DIOECESANA SYNODUS

QUAM

SUB FAUSTISSIMIS AUSPICIIS

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

PII PAPAE SEXTI

ILLUSTRISSIMUS, ET REVERENDISSIMUS DOMINUS

D. CYRILLUS ANTONINI

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS ANAGNINUS,

EJUSDEM SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PRAELATUS DOMESTICUS, AC PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS, NEC NON TERRAE ACUTI DOMINUS

Coegit, & diebus XXII., XXIII., XXIV, & XXV. menſis Octobris Anni Aerae Vulgaris Chriſtianae MDCCLXXX. Biſextilis

ECCLESIAE SUAE SERVANDAM PROPOSUIT.

ROMAE MDCCLXXXI.

APUD ANTONIUM FULGONI

PRAESIDUM FACULTATE.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

CYRILLUS ANTONINI EPISCOPUS ANAGNINUS.

Quod Dioecesanam Synodum Anagninam secundo hoc Episcopatus mei anno coactam, & solemniter celebratam SANCTITATI TUAE *inscribere, & dedicare magnopere exoptans, enixis, humillimisque precibus, ut id mihi liceret a beneficentissima*

humanitate Tua impetrare ego curaverim, non eſt, PATER BEATISSIME, non eſt, cur alicujus praeſumptionis meae culpae imputetur & vitio, tamquam ſi minus juſto perſpectum haberem, aut inacceſſibile praeclariſſimorum meritorum tuorum culmen, aut penè divinum praecelſae Dignitatis Tuae faſtigium. Fateor equidem me non latere tum quantum univerſa Chriſtiana Reſpublica debeat ſapientiae, vigilantiae, pietati, magnanimitati, ceteriſque virtutibus, quibus periculoſis difficilliniſque temporibus iſtis eam feliciter cuſtodiendo tueris, tuendo doces, docendo regis, atque regendo & ditas & illuſtras, & munis & protegis, tum etiam quantum humanae cujuſcumque honorificentiae, ſive juriſdictionis grādum longiſſime excedat Romana, cui inſides, Cathedra, in qua, dum Te locatum agnoſco, Te SACERDOTEM MAGNUM venerari cogor, Summum Pontificem, Principem Epiſcoporum, Haeredem Apoſtolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, Officio Aaron, Auctoritate Moyſen, Judicatu Samuelem, Poteſtate Petrum, Unctione denique Chriſtum (a).

At quin putem (o in unica, & vera Dei Eccleſia inſigniſſime Pater, Magiſter, & Domine) quin putem doſibus, quibus polles, & Sacerdotio, quo fungeris haud congruere exiguam hujuſce munuſculi oblationem, gratam acceptabilemque Tibi futuram ipſam eſſe tanta fiducia arbitror, ut ſiſtendo me talē deferentem donum fulgidiſſimo Throno MAJESTATIS TUAE

(a) S. Bernardus lib. 2. de conſideratione cap. 8.

Tuae nullo prorsus dubietatis scrupulo angar, nulla timoris anxietate perturber, nullo demum verecundiae rubore perfundar. Cujus confidentiae, hilaritatisque meae causas urgentes re vera & multas pedibus modo tuis corde provolutus detegere & aperire epistolari hac supplici inauguratione contendo.

Primum jucundum profecto Tibi erit experiri nequaquam ingratum hominem qui quamplurimas liberalitatis Tuae effusiones accepit. Hinc quoniam solius benevolentiae Tuae suffragiis Episcopali me honore insignire non es dedignatus, & venerabilis Ecclesiae hujus regimini praeficere voluisti, & insuper dona donis cumulando splendidissima Praelati Tui Domestici, & Episcopi Solio Tuo Assistentis thessera me decorasti, magna procul dubio Cordis Tui voluptate amplexaberis nunc publicum signum hoc, qualecumque sit illud, non oblivioso voluntatis meae, quam innumeris maximisque beneficiis obstrinxisti. Nam gratias, quas Tibi summas habeo, (referre tamen nullo modo possum) agere saltem, atque aliquod eorum animi testimonium extare ad futurorum temporum memoriam, ut ut mihi concessum est, adnitor, atque vehementer cupio.

Deinde oblatum Beatitudini Tuae *volumen Ecclesiasticae Hjerarchiae, cujus ipse idem spiritus, & ordo, centrum, & corona existis, apex, & fundamentum, luculentissimum testimonium praefert, in quo velis nolis necesse Tibi est delectari. Super cunctum Dominicum Gregem Principalis Pontifica-*

tificatus Tui & jus, & onus eſt excubare. Quem omnibus Eccleſiis condecet praeſidere, hunc Eccleſiarum omnium ſollicitudine oportet omnino eſſe gravatum. Sunt quidem (a) *& alii Caeli Janitores, & Gregum Paſtores: ſed Tu tanto glorioſius, quanto differentius prae illis nomen haereditaſti. Habent illi aſſignatos Greges, ſinguli ſingulos; Tibi univerſi crediti, uni Unus. Nec modo ovium, ſed & Paſtorum omnium Tu unus Paſtor. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic indiſcrete tot commiſſae ſunt oves?* Si me amas Petre, paſce Oves meas. *Quas? Illius, aut illius populos civitatis, aut regionis, aut certi Regni?* Oves meas, *inquit; cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil. Alii igitur in partem miniſterii, Tu in plenitudinem Poteſtatis vocatus es: aliorum poteſtas certis arctatur limitibus; Tua extenditur in ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Ex quo Catholicae Religionis noſtrae dogmate Patrum, Conciliorumque omnium unanimi conſenſione firmato, & a me verbis S. Bernardi Abbatis mox recenſito conſequitur, ſalutares leges ſpiritualibus cleri, populique Anagnini neceſſitatibus accommodatas, poſt minis longa curricula ſeptem & ſexaginta annorum ab altera congregata Synodo, in ſynodali confeſſu nuper hic collecto a me indictas & promulgatas, res curae quoque tuae injunctas eſſe, & negotia tuae praeſertim*

(a) S. Bernardus loco citato.

tim providentiae divina ordinatione commissa & demandata ; sive quia peculiares sanctiones istae uti derivationes nonnullae e sacrorum canonum fonte promanantes ad eum praecipua ratione attinent , qui canonicarum institutionum omnium interpretationem & custodiam , moderamen , & abrogationem amplissima , & inappellabili facultate administrat , sive quia cum hae severioris , accuratiorisque ecclesiasticae disciplinae regulae eo duntaxat fine sancitae , vel renovatae sint , ut facilius dioeceseos incolae saeculi crimina devitantes vitam consequantur aeternam , ad illum in primis constat eas pertinere , cujus est omnium salutem diligentissime procurare .

Postremo speciali quadam Anagnina Ecclesia praestantia fulget , ob quam Tu , o Romanorum Antistitum vere Maxime Pontifex *, quidquid ad eam magisque sanctificandam collustrandamque conferre valeat , ferventioris amoris studio prosequi , & generosiori subsidiorum copia promovere impelleris, & urgeris . E sinu hujus Anagninae Ecclesiae prodiere inter illustriores praedecessores tuos praeclarissimi Praesules Innocentius III. , Gregorius IX. , Alexander IV. , & Bonifacius VIII. In quatuor hisce memoratis omnium ore celebratissimis Christiani Orbis rectoribus , quos Anagnina parturivit & enutrivit Ecclesia , majores nostri suspexerunt dispersa ea probitatis , prudentiae , zeli , ac doctrinae monimenta , quae nos in Te uno collecta , immo aucta obstupescendo miramur .*

Erudi-

Eruditionem Innocentii III. , ejuſque famoſam in canonicis , theologiſque diſceptationibus peritiam Te aſſequtum eſſe demonſtrant Encyclicae, Homiliae , Proloquia , Deciſiones , Diplomata , Conſtitutiones , quibus in legentium , & auditorum animos exquiſitiſſimae , & abſolutiſſimae ſapientiae theſauros effundere non deſiſtis & manu , & lingua , nocte , dieque . Gregorii IX. , qui auctor fuit campanae ſonitus ad elevationem in Miſſa , & veſpertinarum Deiparae laudum , devotionem nedum aemulari , ſed & vincere aggreſſus fuiſti in cultu & auguſtiſſimi Sacramenti altaris , & beatiſſimae Virginis Mariae ; neque illi opus eſt invidere gloriam ſibi comparatam ob redactas juſſu ſuo a ſancto Raymundo de Pennafort in unum decretalium volumen Romanorum Pontificum ſententias in diverſis deciſionibus , & Conciliis huc illucque diſſeminatas ; cum jam communi litteratorum hominum judicio ſimul , ac experimento in promovendis cujuſcumque generis utilium ſtudiorum profectibus nulli Te ardore , vel opere ſecundum dicere poſſimus . In aſſumptione ad Cardinalatus eminentiam plurium Regularium Ordinum Profeſſorum , quos ſacra Purpura dignos inveniſti , Te Alexandrum IV. Tibi imitandum propoſuiſſe dignovimus , & eo in condemnatione infenſiſſimi Mendicantium Religioſorum hoſtis Guilielmi a Sancto-amore glorioſiorem Te eſſe , poenitentiae, & retractationis cauſa larvati Febronii privilegiorum Apoſtolicae Romanae Sedis audaciſſimi perſcruta-

ſcrutatoris , nemo non videt . Bonifacii denique VIII. veſtigia premis in vindicandis opportuna ſeveritate , & inexpugnabili fortitudine Eccleſiae juribus , quorum tutelam Patriarchis , Primatibus, Archiepiſcopis , & Epiſcopis univerſis , ignitis , validiſſimiſque adhortationibus commendaſti ab eo fauſtiſſimo anno (a) *, quo ad ſanctae Eccleſiae amplificationem , fideliumque tranquillitatem in ſupremi Sacerdotii Principatum glorioſiſſime ſuffectus fuiſti* (b) .

Tu interea , qui cunctis religionis , & ſcientiae niſibus iis potiſſimum Te conformare ſtuduiſti inter Pontifices Summos vita functos , quos Anagnina iſthaec genuit , & educavit Eccleſia , nonne ſingulari , propenſiorique dignatione ejuſdem Eccleſiae nitorem , felicitatemque zelabis ? Nonne ſynodalium praeſcriptorum adjumenta utiliſſima ad reparandam hic morum laxitatem , ſtudiorumque neglectum corrigendum Auſpiciis Tuis ſecuriora , & efficaciora reddere minime recuſabis ? Iſtius ergo Synodi Tuo Nomini obſequentiſſima conſecratio ita conſona mihi videtur , & officiis devinctiſſimae ſervitutis meae , & privilegiis univerſalis Pontificatus Tui , & peculiaribus Anagninae Eccleſiae meritis , ut ei libentiſſime conſentiendum Te eſſe miſquam in dubium revocaverim . Quoniam autem cogitationibus , votiſque meis arridere , & indulgere voluit benignitas Tua , SANCTISSIME PARENS ,

(a) Encyclica anni 1775. (b) Guilielmus Burius in brevi notitia Romanorum Pontificum .

novo me Tibi beneficio obſtrictum eſſe confiteor, quo impellente ardentiori cordis affectu, & profundiori humilitatis obſequio pedes tuos deoſculor, & Apoſtolicam benedictionem expoſco non pro me tantum, ſed etiam pro univerſo grege mihi commiſſo, qui una mecum omnia Tibi bona a Deo Optimo Maximo inceſſabili orationis voce precatur.

PIUS

PIUS PAPA SEXTUS

VENERABILI FRATRI

CYRILLO EPISCOPO ANAGNINO

Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

AQuo primum die ſummi Sacerdotii dignitas (durum ſane, & curarum pleniſſimum negotium) commiſſa Nobis divinitus fuit, facile intelleximus, parem oneri impoſito hanc virium noſtrarum tenuitatem minime futuram, niſi adjutores Nobis eos adjungeremus, quorum eſſet non modo fides, prudentia, probitas, ac doctrina, verum etiam periculorum, atque incommodorum contemptor animus perſpicuis anteactae vitae indiciis exploratiſſimus. Late enim patet Chriſtianae Reipublicae procuratio, cum multis ipſa per ſe difficultatibus impedita, tum etiam, hoc potiſſimum tempore, plurimorum improbitate, multo quam antea implicatior! Externorum hoſtium impetus coercendi, domeſticorum inſidiis reſiſtendum, conſtituendi mores, fidei depoſitum ſanctiſſime cuſtodiendum, aegris mentibus medicina, qua releventur, adhibenda, qui vero ſanis adhuc viribus utuntur, iis ne, quid contagio noceat, omni vigilantia proſpiciendum. Haec ut unus tot, ac tanta praeſtare omnia poſſit, humana fragilitas, quantumcumque enitatur, minime patitur. Quare ille ipſe ſacri Ordinis divinus author, atque inſtitutor Chriſtus, laborum comites Pontifici maximo Epiſcopos dedit, qui in Sacerdotii, atque honoris communionem vocati, oneris etiam partem ſinguli ſuſtinerent. Itaque de Epiſcopis deligendis quoties deliberandum Nobis fuit, toties hac ipſa cogitatione permoti eos ceteris praeoptavimus, quos omni virtutum genere inſtructos Nobiſcum omnia ferre, patique pro Chriſti gloria, & animarum ſalute quamparatiſſimos repericbamus: atque hujus quidem cautionis uberrimi ad Nos fructus pervenerunt. Quibus enim hoc toto quinquennio Eccleſias demandavimus, ita ſe gerunt omnes, ut Noſtri de illis judicii minime poeniteat. Ad Te autem quod attinet, quem duobus ab hinc annis Anagninae Eccleſiae praefecimus, illud affirmare poſſumus, ita munetis Tui partes omnes complexum eſſe, ut in ipſo cutriculi initio extremam attigiſſe metam videare. Nam ut cetera ſilentio praetereamus, quae de Te multorum ſermonibus praedicantur, quanti illud faciendum eſt, quod a Te geſtum

ita pridem accepimus ? Qui paucorum mensium Episcopus Dioecesanam Synodum ex Concilii Tridentini praescripto jam coegisse significas ? Quam etiam typis edendam nostro Nomini inscriptam apparere velis ? Nos quidem pulcherrimum hoc propositum tuum tanti facimus, ut hoc uno argumento, si cetera desint, Nostro de Te judicio mirabiliter respondisse existimemus; & propterea ejusdem Synodi exemplar ad Congregationem Tridentini Concilii custodem, ac vindicem rejiciemus, in ejus tabulario asservandum perenne Tuae Episcopalis diligentiae monumentum; cum praesertim cupiamus, posteros etiam intelligere, veram, germanamque virtutem nunquam apud Nos debita laude esse defraudatam. Hac Tu fruere in Domino: & multo ampliorem mercedem expecta a Christo Jesu, qui Princeps Pastorum omnium cum sit, caelestem vitam promisit iis, qui gregem suum ad justitiam erudirent. Cujus auspicium interim accipe Apostolicam benedictionem, quam Tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum Kalendis Februarii MDCCLXXX. Pontificatus Nostri Anno V.

Philippus Bonamicus a latinis epistolis Sanctitatis Suae.

ENCY-

EPISTOLA ENCYCLICA

AD INDICENDAM SYNODUM.

CYRILLUS ANTONINI

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS ANAGNINUS

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII SEXTI

PONTIFICIS OPTIMI MAXIMI

Praelatus Domesticus, & Pontificio Solio Assistens, & Terrae Acuti Dominus.

Justitia, & Pax, & Gaudium in Spiritu Sancto.
Ad Rom. XIV. vers. XVII.

VErentes Nos, ne ex suspicione imponendorum onerum humeris vestris importabilium, sive novitate superstua legum, sive indiscreta earum severitate moeroris turbationisve occasionem ingerat, indictio haec Comitiorum synodalium, quae a septem, & sexaginta annis nusquam coacta fuere, & quorum frequentem iterationem vehementer admodum Episcopis inculcarunt sanctorum Patrum instituta, & Conciliorum decreta, Tridentini praesertim, & novissimi Romani, opportunum esse ducimus ante omnia mentem, voluntatemque nostram in iis congregandis, & peragendis vobis omnibus indigitare, atque litteris hisce nostris aperire, ut sciat unusquisque vestrum, quod non animo gravandi quemquam, aut cuilibet nocendi, sed juvandi, custodiendi, & glorificandi vos mature discusso paternae vigilantiae, & benevolentiae nostrae consilio Synodum convocare statuimus. & celebrare satagimus ac festinamus.

Quamquam enim nedum secundus a suscepti pastoralis officii primordiis elapsus sit annus, dioecesim tamen universam curae nostrae divina ordinatione commissam rite perlustrare, & personaliter invisere Dei annuente clementia, non praetermisimus. Quo in munere obeundo non sine magno cordis dolore hinc quamplurium

plurium laicorum vitam a chriſtiana ſanctitate vel in multis declinantem, vel omnino diſſonam, & prorſus alienam, inde nonnullorum eccleſiaſticorum mores, qua correctione dignos, qua in deteriora labentes, qua in illicitis deplorabili pertinacia firmatos, qua tepore pigritantes, qua otio confectos, qua ignorantia ſordeſcentes videre, & amariſſime deflere ſemel atque iterum coacti ſumus. Sane animarum veſtrarum per viam latam, quae ducit ad mortem incedentium, evidenti & horrendo periculo viribus omnibus occurrere, & proſpicere ſtuduimus nulli parcentes labori, & nulla male placendi cupiditate retardati. Deflorescentem canonicorum praeſcriptorum obſervantiam in primigeniam reducere venuſtatem deſiderio ardentiſſimo concupivimus, debachantes effrenae licentiae mores poenarum minis, & inflictione reprimere multoties tentavimus; invaleſcentem fere undique ſaeculares inter, & clericos deſidiam, negligentiam, incuriam erga Dei cultum, religionem, & pietatem variis congruentibus edictis, ſanctionibuſque compeſcere haud omiſimus, & voce quoque noſtra increpando, obſecrando, arguendo, docendo interdum a Pontificio Throno, ſaepiſſime a ſacris divinorum templorum ſuggeſtibus, & aliquando etiam in publica civitatis platea bellum inferre non negleximus, & abuſibus, quos irrepſiſſe cognovimus, & vitiis, quae in conſuetudinem tranſiiſſe deprehendimus.

Nihilominus cum cognoſcamus ſpiritualia mala & populi, & cleri noſtri, eo quia antiquitate originis ſepta, univerſalitatis contagione vallata, & tenaciſſimae indolis ſoliditate roborata ſunt, efficacioribus indigere remediis, abſque communi veſtri & dedecore, & nocumento minime poſſumus abſtinere a collectione Synodi, ubi arduum negotium neceſſariae reformationis ſtabilibus regulis & ordinationibus exquiſita, ac ſolertiori prudentia concinnatis utiliter agi poſſe jure merito confidimus, atque ſi in coetus hujuſmodi congregatione ullas interponere vellemus moras, officii noſtri partes minus accurate peregiſſe arbitraremur. Rationem autem enunciatam iſtius expediriſſimae providentiae noſtrae nequaquam ad hunc ordinari finem putare debetis, ut hebraico pene ſpiritu praecepta praeceptis addita ſint, & ut multiplicibus conſcientiae obſtringantur vinculis, & honeſta chriſtiani hominis libertas

bertas omni jure privetur. Nihil novi moliri intendimus, *qui vetuſtiſſima renovare tantummodo meditamur*, *& in hac oblitarum rerum inſtauratione non phariſaico*, *ſed evangelico zelo corruptelis obviam ire deliberavimus*.

Multa igitur emolumenta ſunt, *quae a ſynodali congreſſu non abs re ſperamus vos eſſe conſecuturos*; *detrimentum vero*, *quod timeatis*, *nullum penitus invenimus*. *At ſi forte aſſe de rectitudine*, *ſuavitate*, *& exigentia ſtatutorum in ſynodali conventu promulgandorum quidam nullimode dubitantes*, *ſola male vivendi cupiditate*, *& unico obſtinationis furore abrepti amariſſimis triſtitiae ſtimulis ſe eſſe vexatos ſenſerint*, *facile Nobis erit querelas*, *& lamentationes eorum parvipendere ſimul*, *& retundere verbis Pauli ſcribentis tum ad Galatas primo* = Modo enim hominibus ſuadeo, an Deo? An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, ſervus Chriſti non eſſem = *tum ſecunda ad Corinthios cap.* II. = Nam ex multa tribulatione, & anguſtia cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas, non ut contriſtemini, ſed ut ſciatis, quam caritatem habeam abundantius in vobis = .

Univerſos interea, *& ſingulos eccleſiaſticos tam ſaeculares*, *quam regulares juriſdictioni Noſtrae ordinariae*, *vel delegatae ſubjectos*, *qui tam in civitate*, *quam in ceteris dioeceſis locis moram faciunt*, *beneficiatos quoſcumque*, *beneficia licet ſimplicia*, *& ſine cura obtinentes*, *presbyteros quoque*, *ac clericos tam in ſacris*, *quam in minoribus ordinibus conſtitutos*, *& etiam ſola prima tonſura initiatos*, *capitula*, *& canonicos collegiatarum eccleſiarum*, *dilectiſſimum capitulum*, *& canonicos cathedralis eccleſiae*, *reliquoſque omnes*, *qui de jure*, *& conſuetudine adeſſe tenentur*, *peramanter invitamus*, *convocamus*, *monemus*, *ipſiſque praecipimus*, *& mandamus in virtute ſanctae obedientiae*, *ac propoſitis poenis ſacrorum canonum*, *aliiſque arbitrio noſtro infligendis*, *ut dioeceſanam Synodum celebrandam in cathedrali templo conveniant & accedant die* XXI. *proximi menſis Octobris currentis anni* MDCCLXXX., *qua die exordia auſpicaturi ſumus ſynodalium comitiorum*; *nam poſt veſperas dictae diei ſolemnem indicimus ſupplicationem*, *ſeu publicam proceſſionem*, *ad quam volumus*, *ut conveniant omnes de clero*, *& quidem ſinguli cum ſuperpelliceo*, *bireto*,

bireto, & clericali tonſura, ſed parochi ulterius cum ſtola rubri coloris, & ceteri alii cum ſuis peculiaribus diſtinctivis, ſeu inſignibus, ut inde Synodum ipſam proſequamur diebus XXII., XXIII., & XXIV. *ejuſdem menſis.*

Ut autem inſtructior accedat clerus ad praefatam Synodum, ſingulis, qui ad eam accedere debent, de ſequentibus praemonemus.

1. *Dum parochi abſunt, ne animarum ſalus aliquod patiatur detrimentum, in qualibet paraecia aliquis ſubrogetur ſacerdos ad audiendas confeſſiones a Nobis approbatus, qui toto Synodi tempore officia curae obeat.*

2. *Parochi deferant eorum nomina, qui peccata ſua non ſunt confeſſi, & in Paſchate ſacram communionem non ſumpſerunt, excommunicatorum item, blaſphemorum, publicorum concubinatorum, conjugum diviſorum, & ſimilium perſonarum, quae aliis ſcandalo ſunt, necnon abuſuum notulam, quos irrepſiſſe cognoverint, ut pro illis evellendis opportuna poſſint adhiberi remedia. Afferant quoque ſtatum, ſeu numerum animarum, quas habent in parochia.*

3. *Omnes cum in itinere, tum in civitate, ac in ipſa Synodo non minus ore, inceſſu, & habitu, quam vita, & moribus modeſtiam, pietatem, ac religionem praeſeferant, ut aliis ſe praebeant exemplar bonorum operum, & populum, qui eos contemplatur, ad virtutem excitent, atque inflamment.*

4. *Quilibet honeſtum ſibi in civitate paret hoſpitium, in quo ita modeſte ſe gerat, ut nullam hoſpitibus det offenſionis occaſionem, nemo vero ad cauponas, ſeu tabernas divertat.*

5. *Die* XXII. *Octobris, in qua prima inſtituenda eſt ſynodalis ſeſſio, qui ſacerdotio non ſunt aucti, jejuni, ac rite diſpoſiti, noſtram adeant cathedralem, ut in pontificalibus Miſſarum ſolemniis e manu noſtra caeleſti pane nutriantur.*

6. *Vicarii foranei diebus quindecim ante Synodi initium Nobis deferent notulam eorum, qui in ſuo Vicariatu intereſſe Synodo debent, notato cujuſque nomine, cognomine, ordine ſacro, titulo dignitatis, & beneficii; & ita pariter parochi civitatis.*

7. *Beneficiati, & curati afferant inventaria bonorum ſtabilium,*

bilium , & mobilium eccleſiae ſuae , ſacraeque ſupellectilis ; qui nondum detulerunt , aut ſi habent , quae addant , renovent , ac ſuppleant , & ut in librum referri queant , ea ſcribi curent in charactere apto , & in carta uniformi , quam vocant in foglio .

8. *Et cum omne datum optimum , & omne donum perfectum de ſurſum ſit a Patre luminum , enixis precibus expetenda eſt caeleſtis aſſiſtentia , quae in re ſynodali agenda , cogitationes , & actus noſtros dirigat , noſtraque vota perficiat , & ad complementum perducat . Ideo a die indictae Synodi uſque ad diem , qua ipſa cogetur , in noſtra cathedrali , in collegiatis eccleſiis , & in qualibet parochiali , quinta qualibet feria , quae non ſit feſto de ritu duplici impedita , celebretur Miſſa de Spiritu Sancto , & quotidie a ſingulis ſacerdotibus addatur in Miſſa oratio de Spiritu Sancto . Quolibet vero die feſto in unaquaque parochiali eccleſia animarum rectores Litanias Sanctorum cum adjectis precibus populo reſpondente , pie , ac devote recitent . Die autem Dominico Synodum praecedente in noſtra cathedrali , in collegiatis item , & parochialibus eccleſiis auguſtiſſimum Sacramentum per aliquot horas publice fidelium venerationi exponatur , ut ita publicis precibus ad hanc ſacram actionem fructuoſe obeundam adjuvemur . Omnibus autem utriuſque ſexus fidelibus , qui publicis biſce precibus aderunt , Deumque pro felici Synodi exitu pie orabunt , indulgentiam quadraginta dierum ſingulis vicibus lucrandam in forma eccleſiae conſueta peramanter elargimur .*

Praeterea omnes utriuſque ſexus fideles , qui vere poenitentes , & confeſſi , ac ſacra communione refecti una ex his diebus , quibus habebitur Synodus , noſtram cathedralem eccleſiam devote viſitaverint , ibique pro felici ejuſdem Synodi ſucceſſu , Chriſtianorum Principum concordia , haereſum extirpatione , & ſanctae matris Eccleſiae exaltatione pias ad Deum preces fuderint , plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam , ac remiſſionem a ſanctiſſimo in Chriſto Patre PIO VI. feliciter regnante peculiaribus ſuis Litteris in forma Brevis ſub datum Romae apud ſanctam Mariam Majorem die XII. *Octobris* MDCCLXXVIII. *miſericorditer in Domino impertitam conſequentur . Volumus autem , ut haec Synodi indictio affixa valvis eccleſiae cathedralis , nec*

non parochialium dioeceſis aeque omnes afficiat , ac ſi fuiſſet ſingulis intimata .

Datum Anagniae hac die XXI. *Maii* MDCCLXXX.

CYRILLUS EPISC. ANAGN.

In Dei nomine . Amen .

Fidem facio per praeſentes , qualiter in meis &c. perſonaliter conſtitutus Stephanus Principii hujus tribunalis mandatarius, mihi cognitus , qui ſponte ac alias &c. mediante &c. teſtatus eſt , ipſum affixiſſe tres copias conſimiles praeſentis edicti , nempe unam in valvis , ſeu janua , ut dicitur , della Porta oſcura *eccleſiae cathedralis , alteram in janua eccleſiae beatiſſimae Virginis Lauretanae , & tertiam in janua eccleſiae inſignis coll-giatae S. Angeli Cuſtodis hujus civitatis , prout habuit in commiſſis .*

Datum Anagniae hac die XXVI. *Maii* MDCCLXXX.

Joſeph Thomas Belli Notar. ſubſt. cancellar.
Epiſcop. in fidem rogatus, & requiſitus.

CYRIL-

CYRILLUS ANTONINI

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS ANAGNINUS

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PAPAE PII SEXTI PONT. OPT. MAX.

Praelatus Domeſticus, ac Solio Pontificio Aſſiſtens, nec non Terrae Acuti Dominus.

VEſtigiis inhaerentes Chriſti Domini, qui Paſcha celebraturus cum Diſcipulis ſuis, quoſdam ex eis adminiſtros ſui elegit ac miſit, ut quidquid ad religionem, & ſolemnitatem illius legalis convivii requirebatur, diligentiſſime pararent (a), cum jam tempus immineat indicti ſynodalis congreſſus, nonnullos e Ven. Noſtri cleri familia deputamus ad officia neceſſario inſtituenda, & exercenda, ne generalia dioeceſis hujus comitia, ubi totius Anagninae eccleſiae corpus congregabitur, ejuſque Senatus erigetur, aut inordinate, aut indecenter, aut ſine congruenti magnificentia peragantur, Promulgaturi autem eorum, quos ad id opus deſtinavimus, nomina indice mox deſcribendo, officiales conſtitutos monemus, ut injuncto ſibi muneri exquiſita induſtria ſatisfaciant, animo recogitantes, tum verba illa Apoſtoli ſcribentis ad Titum (b) = *Diſcant noſtri bonis operibus praeſſe ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi* =: tum formidabile divinum eloquium a Jeremia prolatum (c) = *Maledictus homo, qui facit opus Domini frudulenter* =.

Omnibus inſuper, & ſingulis praecipimus, ut iis coadjutoribus noſtris in rebus ad provinciam illis commiſſam ſpectantibus prompta obedientia pareant; & ne ignorantia allegari poſſit ad excuſandam ſive miniſtrorum negligentiam, ſive ceterorum provinciam, hic etiam ſuſcipiendas ab unoquoque, & explendas curas adnotamus: cujus rei perficiendae cauſa ſummatim a vobis declarabimus, quae fuſius explicare conati ſunt ſcriptores quamplurimi de Synodo dioeceſana pertractantes, & praeſertim Gavantus (d), & praeclariſſimus de Lambertinis (e).

(a) Lucae cap. 22. verſ. 8.
(b) Cap. 2. verſ. 19.
(c) Cap. 48. verſ. 10.
(d) Gavant. in Praxi dioeceſanae Syn. capitibus 18., & ſeqq.
(e) Bened. XIV. de Synod. dioeceſ. lib. 4. capitib. 1., & 2.

CATALOGUS

OFFICIALIUM SYNODI

PROMOTOR SYNODI.

ISTius munus eſt urgere actiones ſynodales, ſeu inſiſtere, ut omnia, quae in Synodo facienda ſunt, celeriter, ac fructuoſe perficianrur.

Adm. Rev. D. Carolus de Magiſtris Eccleſiae Cathedralis Canonicus, ac J. U. D.

SECRETARIUS SYNODI.

Ad quem ſpectat primo curare, ut pridie quam Synodus inchoetur, futurae ſeſſionis edictum affigatur valvis eccleſiae: ſecundo, ante primam ſeſſionem nominatim, ut moris eſt, vocare canonicos cathedralis eccleſiae, & inſigniorum collegiatarum; tertio, praeparare ſchedulas pro ſcrutinio.

Adm. Rev. D. Magnus Antonius Giuſti eccleſiae cathedralis Canonicus ſacrae Theologiae Doctor.

COADJUTOR.

Rev. Presbyter Vincentius Angelotti, Illmi, ac Rmi D. Epiſcopi Caeremoniarius, ac Secretarius.

ASSISTENS SYNODI.

Adm. Rev. P. Fr. Vincentius Maria Santoro Ordinis Praedicatorum, ſacrae Theologiae Magiſter, & Illmi, ac Rmi D. Epiſcopi Theologus.

LECTORES SYNODI.

Quibus unus incumbit alta voce legendi Synodi decreta, & ex commiſſione ſecretarii ceteros de clero vocare, poſtquam ab illo ante primam ſeſſionem vocati fuerint canonici, tum cathedralis, tum inſigniorum collegiatarum.

Rev. Presbyter Paſchalis Caeſari Cathedralis eccleſiae Vicarius Curatus.

Rev. Presbyter Paulus Polinori Illmi, ac Rmi D. Epiſcopi Familiaris.

Rev. Presbyter Carolus Bonderli Societatis S. Antonii Abbatis, & Hoſpitalis ei adnexi Cappellanus.

Rev. Presbyter Innocentius Paſquali publicus Ludi Magiſter Carpineti.

JUDI-

JUDICES QUERELARUM, ET EXCUSATIONUM.

Ad quos pertinet, ſi quis legitime impeditus Synodo intereſſe nequiverit, ejus excipere, & judicare excuſationes; item audire, cognoſcere, decidere, vel Epiſcopo, ſi opus fuerit, referre diſſentiones, & querelas, ſi contigerit aliquid hujuſmodi produci, vel ore, vel in ſcriptis: audire nempe querimonias criminales, & lites civiles, ac ſummario judicio de utriſque cauſis ſententias proferre. Ad eos attinet quaeſtiones circa ordinem ſedendi, ſeu praecedendi inter congregatos forte excitandas brevi manu (ut dici ſolet) ita componere, ut nulli praejudicium inferatur.

Rmus D. Camillus Campanelli Vicarius Generalis J. U. D., ac Protonotarius Apoſtolicus.

Rmus D. Johannes Baptiſta de Comitibus Praepoſitus Eccleſiae Cathedralis J. U. D., ac Protonotarius Apoſtolicus.

Adm. Rev. D. Carolus de Magiſtris Canonicus Eccleſiae Cathedralis J. U. D.

Adm. Rev. D. Octavius Ranalli Eccleſiae Collegiatae S. Angeli Cuſtodis Rector, ac ſac. Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Cajetanus Viti Archipresbyter S. Andreae, ac eccleſiae Collegiatae S. Angeli Cuſtodis Canonicus.

Adm. Rev. D. Silveſter Maſſimi Archipresbyter Parochialium unitarum S. Pancratii, ac SS. Coſmae, & Damiani, & ſacr. Theologiae Doctor.

PROCURATOR CLERI.

Qui ea, qua decet modeſtia, & reverentia dicere poteſt in Synodo, quae clero diſplicere cognoverit, ſimulque modum ſuggerere, quo illa emoliri clerus optaret: omnia vero, quae nomine cleri ab eo petenda erunt, ſcripto tradenda ſunt Synodi Secretario.

Adm. Rev. D. Vincentius Magni Eccleſiae Cathedralis Canonicus, ac ſac. Theologiae Doctor.

MAGISTRI CAEREMONIARUM.

Qui diligentiſſime curare debent, ut juxta praeſcripta in Pontificali Romano, quae in Synodo facienda ſunt, debito ritu, cultu, & majeſtate peragantur.

Adm.

BIBLIOTECA REALE ROMA VITTORIO EMANUELE

Adm. Rev. D. Carolus Magnus Anzellotti Eccleſiae Cathedralis Canonicus.

Adm. Rev. D. Gregorius Lauri ejuſdem Eccleſiae Cathedralis Canonicus.

COADJUTORES.

Rev. D. Angelus Fioramonti Canonicus Eccleſiae Collegiatae ſancti Angeli Cuſtodis.

Rev. D. Joſeph Rauli ejuſdem Eccleſiae Collegiatae Canonicus.

Rev. D. Nicolaus Viſca Beneficiatus Eccleſiae Cathedralis.

Rev. D. Joachim Cecchini beneficiatus ejuſdem Eccleſiae Cathedralis.

Clericus Franciſcus Anizj Manſionarius ejuſdem Eccleſiae Cathedralis.

PRAEFECTI DISCIPLINAE SYNODALIS, AC SCRUTINII.

Hi debent omnes clericos ſingulatim ad ſe accerſere, ac cujuslibet mores, & vivendi rationem inveſtigare, & omnia in ſcriptis redigere, & perfuncti ſcrutinii acta manu propria ſubſcribere, & Epiſcopo peracta referre: unuſquiſque eorum duplicem a Nobis accipiet ſchedulam; in una deſcribemus illam cleri partem, de qua debeat ipſe ſcrutinium efformare Nobis exhibendum, & in alia ſuggeremus ea, de quibus volumus, ut ſpecialius inquirat.

Adm. Rev. D. Joſeph Antonius Gigli Eccleſiae Cathedralis Canonicus antiquior, ac Protonotarius Apoſtolicus.

Adm. Rev. D. Caeſar Bernardinus Macali Cathedralis Eccleſiae Canonicus Poenitentiarius, Philoſophiae, ac ſacrae Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Matthias Ambroſetti Cathedralis Eccleſiae Canonicus, Theologus, & ſac. Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Joannes Baptiſta Romiti Cathedralis Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Laurentius Favali Cathedralis Eccleſiae Canonicus.

Rev. D. Dominicus Girolami Archipresbyter Eccleſiae Collegiatae ſanctae Mariae Terrae Anticuli.

Rev. D. Vitus Antonius Ottaviani Archipresbyter S. Mariae Terrae Filectini.

CONFESSARII CLERI.

Quibus a die x. Octobris incluſive uſque ad diem XXVI. ejuſdem

dem menſis incluſive delegamus totam noſtram poteſtatem, ita ut in diſpenſatione irregularitatum, & in abſolutione tum a peccatis, tum a cenſuris, tantum valeant pro foro conſcientiae erga clericos ad hanc Synodum conveniendos, & ad eam quocumque modo ſpectantes, quantum noſtri juris eſt, ut eis concedere poſſimus.

Adm. Rev. D. Caeſar Bernardinus Macali Eccleſiae Cathedralis Canonicus Poenitentiarius, Philoſophiae, ac ſac. Theologiae Doctor.

Rev. P. Fulgentius Caſtiglioni ſac. Theologiae Profeſſor, Prior Vener. Conventus S. Jacobi hujus Civitatis Ordinis Praedicatorum.

Rev. P. Caſimirus Sellaroli ſac. Theologiae Profeſſor, ac Praedicator generalis ejuſdem Ordinis.

Rev. P. Joſeph Maria Bordini Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & Coenobii ejuſdem Ordinis hujus Civitatis Prior.

Adm. Rev. P. Magiſter Hyppolitus Caraſa Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci, ac Ven. Conventus S. Angeli Guardianus, ac Definitor perpetuus.

Adm. Rev. P. Magiſter Johannes Baptiſta Saraceni ejuſdem Ordinis Definitor perpetuus.

Adm. Rev. P. Ubaldus Petraſſi Magiſter, & Eccleſiae S. Angeli Curatus, ejuſdem Ordinis.

Rev. P. Aloyſius Serena ejuſdem Ordinis.

Adm. Rev. P. Johannes Maria a S. Remo ex Provincialis Cappuccinorum.

Rev. P. Vitalis a Colla Guardianus Ven. Conventus hujus Civitatis ejuſdem Ordinis.

Rev. P. Andreas Pera Praepoſitus Ven. Collegii S. Johannis de Duce Ordinis Clericorum Regularium Minorum.

Rev. P. Franciſcus Gabrini Curatus Parochialium unitarum S. Johannis Evangeliſtae, ac S. Benedicti Abbatis, ejuſdem Ordinis.

Rev. P. Andreas Trojani ſac. Theologiae, ac Philoſophiae Lector in Ven. Collegio ſancti Johannis de Duce hujus Civitatis, ejuſdem Ordinis.

PRAEFECTI HOSPITIORUM.

Qui omnem adhibebunt diligentiam, ut clerici ad Synodum venientes honeſtis excipiantur hoſpitiis, aut diverſoria in Civitate inveniant eorum ſtatui congruentia.

Adm.

Adm. Rev. D. Johannes Laurentius Fioravanti Eccleſiae Cathedralis Canonicus.

Adm. Rev. D. Joſeph Colantonj ejuſdem Eccleſiae Cathedralis Canonicus.

Adm. Rev. D. Vincentius Favali ejuſdem Eccleſiae Cathedralis Canonicus.

Rev. D. Antonius Poſi Eccleſiae Collegiatae ſancti Angeli Cuſtodis Canonicus.

Rev. D. Angelus Fioramonti ejuſdem Eccleſiae Collegiatae Canonicus.

Rev. D. Horatius Raoli ejuſdem Eccleſiae Collegiatae Canonicus.

OSTIARII SYNODI.

Hi debent praeſidere eccleſiae januis, & laicis ſine ſtrepitu ingreſſum prohibere, & cum incipienda erit Synodus eccleſiae forcs obſerare.

Rev. Presbyter Franciſcus Coletti.

Rev. Presbyter Angelus Dominicus Friſoni.

CANCELLARIUS SYNODI.

Ad quem pertinebit abſentes notare, ut niſi poſtea a judicibus excuſentur, puniantur: ſingulorum, qui fidei profeſſionem emittent, nomina ſcribere, atque in finem cujuslibet ſeſſionis, inſtante promotore Synodi ut de iis, quae geſta ſunt, inſtrumenta conficiat, reſpondere ſe facturum; ſimulque aliquos de clero vocare in teſtes, eorumque nomina in tabula referre.

Clericus Angelus Lanni Not. pub., & Canc. gener. Epiſcopalis.

CONNOTARIUS.

D. Thomas Belli Not., & Sub. Canc. gener. Epiſcopalis.

THEOLOGI SYNODI

IN CIVITATE COMMORANTES.

Praeter Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Epiſcopi laudatum Theologum.

EX

Rmus D. Camillus Campanelli Vicarius Generalis J. U. D., ac Protonotarius Apoſtolicus.

Rmus D. Joannes Baptiſta de Comitibus Praepoſitus Eccleſiae Cathedralis J. U. D., ac Protonotarius Apoſtolicus.

Adm. Rev. D. Joſeph Antonius Gigli Eccleſiae Cathedralis Canonicus antiquior, ac Protonotarius Apoſtolicus.

Adm. Rev. D. Magnus Antonius Giuſti ejuſdem Eccleſiae Cathedralis Canonicus, ſac. Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Caeſar Bernardinus Macali Eccleſiae Cathedralis Canonicus Poenitentiarius, Philoſophiae, ac ſac. Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Matthias Ambroſetti ejuſdem Eccleſiae Cathedralis Canonicus Theologus, ſac. Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Carolus de Magiſtris ejuſdem Eccleſiae Cathedralis Canonicus, J. U. D.

EX CLERO REGULARI.

Rev. P. Caſimirus Sellaroli Praedicator generalis, ac ſac. Theologiae Profeſſor Ordinis Praedicatorum.

Rev. P. Thomas Maria Marcelli in hoc Ven. Seminario Epiſcopali ſac. Theologiae Dogmaticae Lector ejuſdem Ordinis.

Adm. Rev. P. Magiſter Hyppolitus Caraſa hujus Ven. Conventus ſancti Angeli Guardianus Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci Definitor perpetuus.

Adm. Rev. P. Magiſter Johannes Baptiſta Saraceni ejuſdem Ordinis Definitor perpetuus.

Rev. P. Andreas Trojani Philoſophiae, ac ſac. Theologiae Lector in hoc Ven. Collegio S. Johannis de Duce, Ordinis Clericorum Regularium Minorum.

THEOLOGI EXTERI.

Rmus P. Ambroſius Erba a Mediolano Ordinis Minorum Obſervantium ſancti Franciſci Examinator Clerl de Urbe: Lector Jubilatus, ex Miniſter Provincialis, & ſacrorum Rituum Conſultor, nec non ſacrae Indicis Congregationis.

Adm. Rev. P. Magiſter Luzzi ex Provincialis Ord. Minorum Conventualium S. Franciſci, Definitor perpetuus.

Rmus P. Joſeph Vaſco Lector Jubilatus, ex Generalis Clericorum Regu-

Regul. Minor., *Aſſiſtens generalis*, *ſac. Congreg. Indicis Conſultor, & Romanae Univerſalis Inquiſitionis Qualificator.*

Adm. Rev. P. Vincentius a S. Paulo Congregationis Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſacrae Theologiae Profeſſor, & receſſus SS. Johannis, & Pauli de Urbe Rector.

Datum Anagniae ex noſtro Epiſcopali Palatio hac die ſecunda Septembris MDCCLXXX.

CYRILLUS EPISCOPUS ANAGNIAE

Magnus Ant. Canonicus Giuſti Synodi Secr.

Angelus Lanni Not., & Canc. gen. Epiſcopalis, & Synodi.

IN DEI NOMINE. AMEN.

Fidem facio per praeſentes ego not. pub. infraſcript. &c. qualiter in meis &c. praeſens & perſonaliter, conſtitutus Stephanus Principii publicus hujus Epiſcopalis curiae mandatarius, mihi &c. cognitus, qui ſponte &c. mediante ejus juramentis &c. retulit, ipſum ſub hac praeſenti infraſcripta die tres conſimiles copias praeſentis edicti affixiſſe tam ad valvas eccleſiae cathedralis, ac collegiatae eccleſiae hujus civitatis, quam ad valvas eccleſiae beatiſſimae Mariae Virginis Lauretanae poſit. in pub. platea dictae civitatis, prout habuit in commiſſis. In quorum &c. Datum Anagniae hac die II. Septembris MDCCLXXX.

Ita eſt Angelus Lanni not. pub., & curiae Epiſcopalis Anagniae Cancellarius generalis, ac Synodi rog. &c. In fidem &c.

ORA-

ORATIO
DOMINI EPISCOPI.

VOcare coetum, ſanctificare eccleſiam, coadunare ſenes, quod olim vetuſtae tabulae praecipiebant (a), *& quod deinde chriſtianae reipublicae ſenatus graviſſimi, ejuſque moderatores imitandum, ſervandumque duxerunt notiſſimis illis editis ſanctionibus, quibus decretum fuit, ſynodales conventus quam frequentiſſime eſſe cogendos, ut in iis ea mature, ac ſedula deliberatione ſtatuerentur, quae aut labentem eccleſiaſticam diſciplinam erigere valerent, aut vigentem poſſent confirmare. Hoc in venerando iſto, ac ſpectabili conſeſſu, flagranti animo a prima ſuſcepti Epiſcopatus die a Nobis concupito, & nunc tandem, vix expleto ſecundo a conſecratione anno, divina adſpirante gratia feliciter congregato, ad optatiſſimum perveniſſe finem incredibili pene exultantis cordis noſtri voluptate videmus.*

Quoniam autem paſtoralis officii noſtri ratio expoſtulat, ut hujus auſpicatiſſimae diei laetitiam aeque ac jucunditatem ſuaſionibus quoque noſtris fovere, & magis magiſque augere ſtudeamus, inter varia, quae hodiernae orationi noſtrae praefigere poteramus congrua & magnifica argumenta, illud ſeligere maluimus, in cujus pertractatione nulla ſcientiae profunditate, nulla ſublimitate ſermonis, nullo eruditionis ornatu, nullo novitatis fuco opus ſit; cum velimus (Fratres, Filiique cariſſimi, gaudium, & corona noſtra) (b) *intimo, ac ſincero mentis affectu vos alloqui, nec Noſmetipſos hic praedicare* (c), *ſed Dominum, Magiſtrum, & Salvatorem noſtrum Jeſum crucifixum* (d), *nonnullis quidem ſcandalum, multis profecto ſtultitiam, Nobis tamen, Dei virtutem & Dei ſapientiam. Cauſa parandi ea, quae mox vobis dicturi ſumus, divinum bibliorum codicem, ubi quaecumque deſcripta inveniuntur, ad noſtram doctrinam* (e) *ſcripta ſunt, ſemel atque iterum ſtudioſe evolvere curavimus, donec conjectis aliquando oculis ad capitulum quartum libri primi Macabeorum legimus* (f) *verba Judae bellatoris*

(a) Joel 2. verſ. 16.
(b) Ad Philip. 4. verſ. 1.
(c) 2. ad Corinth. 4. verſ. 5.
(d) Ad Corinth. 10. verſ. 23., & 24.
(e) Ad Rom. 5. verſ. 4.
(f) Verſ. 36.

ris invictiſſimi, fratrumque ipſius, dum ad purificationem hebraici templi ſeſe invicem excitabant, dicentes: Aſcendamus *nunc* mundare *ſancta*, & renovare, *atque dictis hiſce materiam ſimul, & methodum, & partitionem eorum, quae vobis exponere, & ſuggerere operae pretium eſſe arbitramur, ſatis opportune detectas, indicataſque Nobis fuiſſe credidimus*: Aſcenſio: mundatio: renovatio, *tria haec in praelaudato textu memorantur, quorum ſi unum, vel alterum defuiſſet, Duces illi fortiſſimi ſacrorum expiationem peragere nullimode poſſe jure merito exiſtimabant. Oportebat enim, ut ipſi ante omnia ingrederentur civitatem Jeruſalem, quae imis vallibus, & planae terrae ſpatiis eminebat, deinde ibi contaminata altaria abluerent, poſtremo profanata ſanctuarii loca priſtinae ſanctificationi religioſis adhibitis caeremoniis reſtituerent.*

Cum igitur ſynodalis iſte congreſſus eo collimet, intendatque, quod Anagnina Eccleſia quacumque fuligine, vel lippitudine, & univerſis purgata ſordibus, caeleſtis Sponſa appareat tota pulchra (a), & *ſpecioſa nimis, maculam* (b) *non habens, neque rugam, maximum, & tam praecellens purgationis iſtius opus tunc utiliter aggrediemur, quando neminem noſtrum pigebit primo conſcendere altitudinem eccleſiaſticae perfectionis*: Aſcendamus nunc: *ſecundo, anteactae criminoſae vitae immunditias poenitentiae ſtetibus, operibuſque lavare*: Mundare ſancta; *tertio, feliciorum temporum ſaluberrima inſtituta deſſuetudine oblita, & praevaricationibus conculcata in obedientiae praxim, & demiſſiſſimi obſequii revocare memoriam*: Et renovare. *Adeſte animis, dilectiſſimi; nam ſi, docibiles ut ſitis Dei* (c), *in manſuetudine ſuſcipietis inſitum verbum* (d) *quod poteſt ſalvare animas veſtras, non dubitamus, quin ſynodalium actionum initio ſtatim jam quod perierat requiretur* (e), *quod abjectum, reducetur, quod confractum, alligabitur, quod infirmum, conſolidabitur, quod pingue & forte, cuſtodietur, & cuncta dioeceſis prava erunt in directa, & aſpera in vias planas* (f).

ASCEN-

(a) Cantic. 4. verſ. 7.
(b) Ad Epheſ. 5. verſ. 26.
(c) Johan. 6. verſ. 45.
(d) Jacob 1. verſ. 21.
(e) Ezechiel 34. verſ. 16.
(f) Lucae 3. verſ. 5.

I.

ASCENDAMUS NUNC.

A neceſſitate exordimur diſponendi aſcenſiones in corde (a) *ut de virtute in virtutem progredientes, & aemulantes* (b) *chariſmata meliora, converſationemque noſtram* (c) *in caelis habentes, nihil eorum, quae ſuper terram ſunt, ſive quaerentes* (d), *ſive ſapientes, reſpondeant deſideria, & opera noſtra ſublimi, ac excellentiſſimi ſtatus clericalis profeſſioni, & dignitati. In medio* (e) *annorum quando venit* (f) *plenitudo temporis, in quo miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere, natum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, dum ipſe Dei* (g), *& hominum Mediator* (h), *via, veritas, & vita noſtra viſibilem ſe in terris praebuit, & cum hominibus* (i) *converſabatur, non loco eodem populorum multitudinem ad eum confluentium, & electos diſcipulos, quos & apoſtolos nominavit, excipiebat, ſolabatur, docebat; curaturus infirmos, & Judaicam inſtructurus plebem ſtabat in loco campeſtri; illos vero, quos non vocabat ſervos, ſed dicebat amicos, quia quaecumque audierat a Patre ſuo nota fecerat eis, ſecum ducere conſuevit in altitudinem montium.*

Quod cum adnotaſſet S. Ambroſius (k), *nobis ſedulo conſiderandum propoſuit dicens*: Adverte diligenter quomodo & cum Apoſtolis aſcendat, &deſcendat ad turbas: *idque etiam non obſcure Nobis inſinuatum eſſe putamus verbis Domini ita praecipientis Moyſi* (l) = Conſtitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos, cavete, ne aſcendatis in montem. Diſcenditque Dominus ſuper montem Sinai in ipſo montis vertice, & vocavit Moyſen in cacumen ejus: non poteſt vulgus aſcendere in montem Sinai; aſcendeſque tu, & Aaron tecum =.

Narrationibus iſtis ex utriuſque foederis litteris deſumptis manifeſte declaratur ſanctitatis praeſtantia, qua ceteris fidelibus antecellere debent, qui & in haereditatem Altiſſimi vocati, & ſegregati fuerunt, altariſque ac religionis miniſterio deputati, & pecu-

(a) Pſalm. 83. verſ. 6., & 8.
(b) 1. ad Corinth. 12. verſ. 31.
(c) Ad Philip. 3. verſ. 20.
(d) Ad Coloſſ. 3. verſ. 1., & 2.
(e) In cantic. Abacuc. verſ. 3.
(f) Ad Galat. 4. verſ. 4., & 5.
(g) 1. ad Timot. 2. verſ. 5.
(h) Johan. 14. verſ. 6.
(i) Baruc. 3. verſ. 20.
(k) In Commentar. cap. 6. Lucae.
(l) Exod. 19. verſ. 12., 20., 23., & 24.

peculiari quodam jure cives Sanctorum (a), *& domestici Dei nuncupati, superaedificatique super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Jesu.*

Porro hic clericatus gradum, quem jamdiu expetivimus, & largiente Domino consequuti sumus, vobis cogimur, & contemplandum ante oculos ponere & dignoscendum verbis ostendere, & rationibus etiam aperire. Clericus (*scribit sanctus Hieronymus*) (b) qui Christi servit ecclesiae, interpretetur primo vocabulum suum, & hominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur: *Si enim* Κληρος graece, *sors* latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit „ Pars mea Dominus „ nihil extra Dominum habere potest. *Cujus ordinationis, & religionis formam* (c), *inquit Cyprianus, Levitae prius in lege tenuerunt, & cum terram dividerent, & possessiones partirentur undecim Tribus, Levitica Tribus, quae templo, & altari, & ministeriis divinis vacabat, nihil de illius divisione portionis percipere; sed aliis terram colentibus, illa tantum Deum coleret, & ad victum, atque vestitum ab undecim Tribubus de fructibus, qui nascebantur, decimas perciperet. Quod totum fiebat de auctoritate, & dispositione divina, ut qui operationibus divinis insistebant, a nulla re avocarentur, nec cogitare, nec agere saecularia cogerentur. Eadem nunc ratio, & forma in clero servanda esset, ut qui in Ecclesia Domini ordinatione clericali promoventur, ob nulla ab administratione divina arceantur, nec molestiis, aut negotiis saecularibus alligentur, sed in honore sportulantium fratrum tamquam decimas ex fructibus accipientes ab altari, & sacrificio non recedant, sed die, ac nocte caelestibus rebus, & spiritualibus inserviant.*

Solemnem hanc divino cultui mancipationem, & plenam saecularium rerum sollicitudinis cujusque abdicationem in iis, qui clericali militiae adscribuntur, testatam faciunt ritus, quibus ecclesiastico fuimus agmini connumerati. Eis, qui ad divina ministeria

(a) Ad Ephes. 2. vers. 19., & 20. (b) Epist. 2. ad Nepotian. (c) Epist. 66.

ſteria applicantur, (praeclare docuit Angelicus Thomas) (a) *competit tonſura, & raſura in modum coronae, & ratione figurae, quia corona eſt ſignum regni; & ratione perfectionis, cum ſit circularis. Illi ergo, qui divinis miniſteriis applicantur, adipiſcuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute eſſe debent. Competit etiam eis ratione ſubtractionis capillorum ex parte ſuperiori per raſuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus a contemplatione divinorum retardetur, & ex parte inferiori per tonſuram, ne eorum ſenſus temporalibus obvolvantur. Denique quando clericali tonſura initiati fulmus, ideo ſuperpelliceum accepimus, ut intelligeremus, quod ſaecularis habitus ſervitute, & ignominia depoſita, & ſacrae religionis habitu aſſumpto morum candore & vitae integritate novos homines Nos eſſe oportebat: unde cuique noſtrum tunc dictum fuit* = Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in juſtitia, & ſanctitate veritatis (b).

Quae cum ita ſint, nemo profecto non dignoſcet, quantum diſtent curae, & actiones noſtrae ab ea innocentiae, & ſanctimoniae eminentia, quam ſuſceptum omnino expoſcit eccleſiaſticae profeſſionis genus. Illi, qui inter Nos ſobrietatis, & probitatis fama celebrantur, etſi graviorum ſcelerum turpitudinibus foedati non inveniantur, in multis tamen, quae ad perfectionis ſtudium exiguntur, deficiunt. Sunt profecto quidam ſpe parum gaudentes (c), *in tribulatione minus patientes, orationibus fere nunquam inſtantes; quidam ſollicitudine pigri, ſpiritu non ferventes; quidam hoſpitalitatem raro ſectantes, neceſſitatibus ſanctorum vix communicantes; nonnulli ſaepe alta ſapientes, & interdum cum humilibus non conſentientes; nonnulli prudentes apud ſemetipſos, providentes bona tantum coram Deo, ſed non etiam coram omnibus hominibus; nonnulli caritate fraternitatis non invicem diligentes, neque honore invicem praevenientes; alii voluptatum magis amatores, quam Dei* (d); *alii habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes* (e); *alii ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes* (f): *multi miſerentur, ſed ſine hilaritate* (g), *aemu-*

(a) In 4. ſent. diſt. 24. quaeſt. 3. art. 1. quaeſtiun. 1.
(b) In Pontifical. Roman.
(c) Ad Rom. 12. verſ. 10., & ſeq.
(d) 2. ad Timoth. 3. verſ. 41.
(e) Ibid. verſ. 5.
(f) Ibid. verſ. 7.
(g) Ad Rom. 2. verſ. 28.

aemulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam (a): *ad oculum ſerviunt quaſi hominibus placentes, ſed non ut ſervi Chriſti, qui faciunt voluntatem Dei ex animo* (b): *plurimi nec corde humiles, nec verbis graves, nec animo prudentes, neque loquendi parci, neque legendi ſtudioſi, neque in prece pauperis, ſed in incerto divitiarum ſpem reponentes, geſtu fracti, inceſſu ſoluti, voce petulantes, in verbis procaces, in actibus inverecundi, in oculis torvi, aequalibus invidentes, rationem non ſequentes, majoribus non aſſurgentes, & doli ambitu ſincerum adulterantes affectum* (c); *demum pauci fortaſſe inter vos erunt, qui aliquando ſemetipſos amantes* (d) *elati, ſuperbi inanem non cupiant gloriam, quandoque carnis curam in deſideriis non faciant* (e), *& non raro forte vel ſuſurrones, detractores, contumelioſi, inſipientes, incompoſiti, ſine affectione, abſque foedere, ſine miſericordia* (f), *pleni invidia, contentione, dolo, malignitate, debita juſtitiae, pietatis, ac caritatis officia proximis ſuis non denegent, vel otio illecti, avaritia excaecati, vanitate inſanientes, quae ſua ſunt non meditentur, non intentent, non quaerant, cum quaerere deberent, quae ſunt Jeſu Chriſti* (g).

Sed numquid (*Filioli*) *repulit Deus plebem ſuam, quam praeſcivit* (h)? *Numquid Nos, qui dormivimus in negligentiis noſtris, non adjiciemus, ut reſurgamus* (i)? *Numquid, quia in ſordibus uſque in hodiernum diem fuimus, ſordeſcemus adhuc* (k)? *Abſit. Obſecramus itaque vos, genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis* (l), *ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Nolite conformari huic ſaeculo, ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quae ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* = *Induite vos, ſicut electi Dei, ſancti & dilecti viſcera miſericordiae, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes, & commonentes voſmetipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, in gratia cantantes cordibus veſtris*

(a) Ad Rom. 10. verſ. 2.
(b) Ad Epheſ. 6. verſ. 6.
(c) S. Ambroſius de Virgin. lib. 2. cap. 2.
(d) 2. ad Timoth. 3. verſ. 2.
(e) Ad Rom. 13. verſ. 14.
(f) Ibid. 1. verſ. 29., 30., & 31.
(g) Ad Philip. 2. verſ. 24.
(h) Ad Rom. 11. verſ. 2.
(i) Pſalm. 40. verſ. 9.
(k) Apoc. 22. verſ. 11.
(l) 1. Petr. 2. verſ. 9.

ſtris Deo: omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum (a). *Os noſtrum patet ad vos, o ſtirps Levitica, caterva regalis, germen ſacerdotale, propago ſanctificata, milites Principis Regum terrae, regni caelorum miniſtri, Duces, & rectores gregis Chriſti* (b): *os noſtrum patet ad vos, cor noſtrum dilatatum eſt* (c), *digne ambulate vocatione, qua vocati eſtis ad conſumationem ſanctorum, in opus miniſterii, in aedificationem Corporis Salvatoris noſtri; deponentes ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem, (qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris) renovamini ſpiritu mentis veſtrae* (d).

Quae enim conventio primogeniti mortuorum ad Belial? Aut quae ſocietas lucis ad tenebras? Aut quae pars clerico cum ſaeculari? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos eſtis praecipuo quodam ſegregationis munere templum Dei vivi, dicente Domino, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Secedite ergo a laicorum turbis, exite de medio eorum, & ſeparamini, & immundum ne tetigeritis (e): *dimittite mortuos ſepelire mortuos ſuos* (f): *contendite intrare per anguſtam portam, quae ducit ad vitam* (g): *operam navate, ut perfecti ſitis, quemadmodum Pater veſter caeleſtis perfectus eſt* (h): *ſatagite, ut purgantes vos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficiatis ſanctificationem in timore Dei* (i), *& non contriſtantes Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem dedicationis veſtrae* (k) *a terrenis cupiditatibus elevati aſcendatis nunc mundare ſancta.*

II.

Mundare Sancta.

Et re vera immunditiis foedantur pretioſiſſima dona, quibus miſeratio divina ad ſacerdotii honorem, ac poteſtatem, ignobilitatem

c *infir-*

(a) Ad Coloſſ. 3. verſ. 12., 16., & 17.
(b) S. Leo hom. de prodit. Judae. S. Gregor. Magn. hom. 12. in Evangel. S. Ambroſ. lib. de dignitate ſacerdotali cap. 2. Apoc. 1. verſ. 5.
(c) 2. ad Corinth. 6. verſ. 11.
(d) Ad Epheſ. 4. verſ. 1., 12., 22., & 23.
(e) 2. ad Corinth. 6. verſ. 15., 16., & 17.
(f) Matth. 8. verſ. 22.
(g) Lucae 13. verſ. 24.
(h) Matth. 5. verſ. 48.
(i) 2. ad Corinth. 7. verſ. 1.
(k) Ad Epheſ. 4. verſ. 30.

infirmitatemque noſtram evexit, atque immutavit; & eo nos confidimus diligentiores vos fore in abſtergendis hujuſmodi maculis, quo felicius mente aſſequi poteritis neglectae dignitatis praecellentiam. Quamobrem de ſacerdotali ſublimitate nonnulla prius operae pretium eſt modo ediſſerere, ut deinceps exhortationes, quas incepimus, validius, atque efficacius proſequamur. At quoniam ſacerdotalis ordinis praeſtantia ex ejus officio intelligitur, quod in eo poſitum eſt, ut circa corpus Chriſti tum verum, tum myſticum verſetur, de utroque hujus divini miſterii exercitio breviter quaedam pauca dicemus non quidem a Nobis excogitata, ſed ab eloquentiſſimo ſancto Johanne Chryſoſtomo accepta, & ipſius quoque verbis prolata.

Terribilia, atque horrifica (a) fuiſſe ferunt, quae gratiae tempus praeceſſerunt; quod genus fuere tintinnabula, mala punica, lapides pectori ſacerdotis, itemqae alii humeris ejuſdem ſuperpoſiti, mitra, ſtrophium, veſtis ad pedes uſque demiſſa, lamina aurea, Sancta Sanctorum, ingens intus quies, atque ſilentium. At vero, ſi quis ea, quae gratiae tempus Nobis advexit, examinet, terribilia, atque horrifica, quae dixi, judicabit eſſe admodum levia..... Nam dum conſpicis Dominum immolatum, & ſacerdotem ſacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfuſam pretioſo illo Sanguine intingi, ac rubefieri etiam ne te inter mortales verſari, atque in terra conſiſtere cenſes? An non potius e veſtigio in caelo transferris?... Ponite ob oculos Eliam illum, praeterea & infinitam illam turbam circumfuſam, & ſacrificium lapidibus ſuperpoſitum, tum vero reliquos omnes admodum quietos, ac taciturnos, ſolum autem Prophetam preces fundentem, ſecundum id flammam de repente e caelo delabentem ſacrificiumque ipſum lambentem.

Mira ſunt iſta profecto, ac ſtupore omni plena. Ab illis ergo ſacris ad noſtratia ſacra te transfer: nec ea mira modo eſſe videbis, ſed etiam omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim ſacerdos non ignem geſtans, ſed Spiritum Sanctum: is preces diuturnas fundit, non quo flamma caelitus delapſa, ſacra appoſita abſumat, ſed ut gratia in ſacrificium influens, per illud ipſum omnium

(a) S. Johannes Chryſoſt. in libris de Sacerdotio praeſertim lib. 3.

omnium animos inflammet, & puriores reddat argento igne excocto, purgatoque =. *Haec praelaudatus facundiſſimus Eccleſiae Pater & Doctor, de presbyteris novae legis in altari divina conficientibus, divina offerentibus, de iiſdem autem a peccatis fideles abſolventibus aureo, quo potiebatur, eloquentiae flumine, quae dictis jam ſubnectemus diſertiſſime adjunxit, corporis lepram purgare, ſeu verius dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare Judaeorum ſacerdotibus ſolis licebat; at vero noſtris ſacerdotibus non corporis lepram, verum animae ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* = Qui terram incolunt, (*addit*) atque in ea verſantur, iis commiſſum eſt, ut ea, quae in caelis ſunt, diſpenſent; iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt „ Quaecumque alligaveritis in terra, erunt alligata & in caelo, & quaecumque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in caelo „. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verum corporum ſolum. Id autem, quod dico, ſacerdotum vinculum, ipſum etiam animam contingit, atque ad caelos uſque pervadit; uſque adeo; ut quaecumque inferne ſacerdotes confecerint, illa Deus ſuperne rata habeat, ac ſervorum ſententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud eſſe dicas, niſi omnem rerum caeleſtium poteſtatem illis a Deo conceſſam? „ Quorumcumque enim, ait, peccata remiſeritis, remittuntur eis, & quorumcumque retinueritis, retenta ſunt „. Quaenam obſecro poteſtas hac una major eſſe queat? Pater omnifariam Filio poteſtatem dedit: ceterum video ipſam eamdem omnifariam poteſtatem a Deo Filio illis traditam =.

Haec vero cuncta (conſortes amantiſſimi) ideo Nos praemiſiſſe, debetis cognoſcere, non ſolum ut oſtenderemus, nihil eſſe in hoc ſaeculo excellentius ſacerdotibus, nihilque ſublimius reperiri, cum nullis poſſit comparationibus adaequari Principatus eorum, ſed etiam, ut demonſtraremus, actione potius, quam nomine comprobandum eſſe quod ſumus; & ita vos urgeremus ad eam aemulandam operum puritatem, quae noſtrae congruat dignitati. = Ne honor ſit ſublimis, & vita deformis: (*verba ſunt S. Ambroſii*)

broſii) ne ſit deifica profeſſio , & illicita actio ; ne ſit religioſus amictus , & irreligioſus provectus ; ne ſit gradus excelſus , & deformis exceſſus ; ne habeatur in eccleſia cathedra ſublimior , & conſcientia ſacerdotis reperiatur humilior ; ne locutionem ſimulemus columbinam , & mentem habeamus caninam ; ne profeſſionem monſtremus ovinam , & ferocitatem habeamus lupinam ; ne digne Nobis per Prophetam reſpondeatur a Domino „ Populus hic labiis me honorat , cor autem eorum longe eſt a me = (a) . *Ergo , Fratres , ſicut ſenatorem chlamys ornat , ſicut agricultura ruſticum , ſicut nautam navigationis peritia , & ſingulos quoſque opifices operis ſui qualitas ipſos demonſtrat auctores , ſic ſacerdotem non aliud niſi ſacerdotalis vita deſignat , ut ex bono opere magis , quam inauguratione noſcatur , plus meritis eſſe presbyteros , quam quod nomine vocitentur .*

Sed ut propius ad id , quod conſiderandum propoſuimus , accedamus , duo diſtinguenda nunc ſunt noxarum genera , quibus ſacerdotii ſplendor aut minuitur , aut omnino obſcuratur : unum eſt , actionum illarum , quae ſacratiſſimi miniſterii uſum denigrant ; alterum eſt , omiſſionum cunctarum , quibus proximorum aeternae ſaluti minime providetur . Aliquibus ſane & primae , & ſecundae ſpeciei maculis deboneſtata conſpicitur fulgentiſſima vobis collata poteſtas . Etenim quidquid ſit de ſacerdotibus illis devotione ferventibus , ut ſancte ſancta pertractent , & zelo inardeſcentibus , ut non pereant ii , pro quibus Chriſtus mortuus eſt ; dioeceſanorum tamen nonnullorum confratrum , & coadjutorum noſtrorum commune novimus vitium eſſe , & Miſſas ita celebrare quaſi jocoſum quidpiam & ſcaenicum agerent , & de ſibi commiſſo grege tunc omnem abjicere curam , quando paſcendus eſſet , tunc omne jactitare dominium , quando eum concupierint ſive lana , ſive etiam velleribus exonerare . Expiationi duplicis iſtius contaminationis conſulere voluimus ſynodalium comitiorum indictione , iiſque collectis quas paravimus leges ad primum , & alterum impediendum facinus opportunas non cunctabimur omnibus intimare . Supereſt modo , ut ſtatutis quae audituri eſtis , corde magno (b) , *& animo volenti obtemperare non delignemini dicentes* = Aſcendamus nunc mundare ſancta , & renovare .

Et

(*a*) Lib. de dignit. Sacerdotal. cap. 3. (*b*) 2. Macab. 1. verſ. 3.

III.

Et renovare.

Conſulto autem hic emendationis veſtrae expetitiſſimum grande negotium, quod in ſynodali actione exhortando, praecipiendo, monendo pertractabimus, renovationis nomenclatura appellandum eſſe cenſuimus. Etenim compertum eſt Nobis, non deeſſe inter vos aliquos male feriatos homines, qui blaſphemantes quaecumque ignorant (a), *& quid dicant, neſcientes* (b) *novatorum execratorio vocabulo traducere, & carpere nituntur antiſtites contendentes eccleſiaſticae diſciplinae reſtaurationem. Verum ad ſynodales conſtitutiones mox vobis promulgandas quod attinet, certum eſt, eas id ſolum ſive injungere, ſive vetare, quod aut juſſum, aut inhibitum jamdudum reperiebatur, vel decretis ſummorum Pontificum, vel deciſionibus Romanarum Congregationum, vel Canonibus Dioeceſanorum, Provincialium, Generalium Conciliorum. Novitatis vitio tribuimus, quod prava & tumultuaria conſuetudine, hujuſmodi rectè vivendi regulae longa annorum ſerie oblivioni, & contemptui expoſitae fuerint; ſed earum obſervantiam tandem artibus omnibus promovere, revocandi vetuſtiſſima, diruta conſtruendi, & diſrupta compaginandi neceſſarium profectò, atque nimis laudabile ſtudium dicendum erit: neque ulla ſuadet ratio, ut tamquam inutilia, aſpera, & inſolita moliendi praeceps ardor habeatur, aut querimoniis, vel cachinnis, conviciiſve inſectetur.*

Si igitur a vinea, quam plantavit dextera Domini (c), *cujus Nos cuſtodes ipſe poſuit* (d), *ſepes ablata fuiſſet, non reſarciemus illam? Si electam ſanctitatis civitatem* (e) *noſtro commiſſam regimini incendio devaſtatam intueamur, non ut iterum aedificetur, navabimus operam? Luxit autem urale noſtrae Jeruſalem, & murus ejus pariter diſſipatus eſt* (f); *tantaene ruinae ſubveniendi opus non aggrediemur? Iſtud renovationis genus a Paulo quandoque dictum*, renovatio Spiritus Sancti (g), *quandoque* renovatio ad poenitentiam (h), *quandoque* renovatio in agnitionem (i), *& quod ſynodalis hic conventus glorioſiſſimum, & nobiliſſimum ſcopum*

(a) Judae verſ. 10.
(b) Ad Corinth. 1. 14. verſ. 16.
(c) Pſalm. 79. verſ. 16.
(d) Cantic. 1. verſ. 5.
(e) Eccleſiaſt. 49. verſ. 8.
(f) Thren. cap. 2. verſ. 8.
(g) Ad Titum 3. verſ. 5.
(h) Ad Hebraeos 6. verſ. 6.
(i) Ad Coloſſ. 3. verſ. 10.

unicum habet, ſi ita exequendum ſuſceperimus, ut quae retro ſunt obliviſcentes (a) *ad ea vero, quae ſunt priora extendentes noſmetipſos ad deſtinatum perſequamur, bravium ſupernae vocationis Dei in Chriſto Jeſu, ſtatim quidem intelligemus, omnia Nos poſſe in eo, qui Nos confortat* (b), *qui emiſſo ſpiritu ſuo renovat faciem terrae* (c), *qui ſedens in throno majeſtatis ſuae clamavit, & dixit* = Ecce ego creo caelum novum, & terram novam (d), ecce ego nova facio omnia = (e).

Interea aſcendamus *nunc praeteritos corrigentes errores*, mundare ſancta, *poenitentiam agentes*, & renovare, *relaxationis damna reparantes, quemadmodum oratione noſtra uſquemodo vobis inculcatum fuit*.

INDEX

(a) Ad Philip. 3. verſ. 13., & 14.
(b) Ibid. 4. verſ. 13.
(c) Pſalm. 103. verſ. 30.
(d) Iſai. 65. verſ. 17.
(e) Apocal. 21. verſ. 5.

I N D E X

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM.

VEnerabilis Dei ſervus *Johannes Ribera* Archiepiſcopus Valentinus in praefatione ad ſuam Synodum dioeceſanam editam *Tom.* 4. Conciliorum Hiſpaniae *Cardinalis de Aguirre pag.* 283. ſermonem faciens de dioeceſanae Synodi utilitate, aſſerit = *Per earum ſtatuta praecipi quae bona ſunt, & inſurgentia mala prohiberi* = (a). Verba iſta valent quam optime ad praefigendam methodum, diſtributionemque faciendam rerum omnium, quae in hac Anagnina Synodo continentur. Eam igitur in tres partimur ſectiones. In prima deſcribuntur bona clero & populo praecepta: in ſecunda, mala inſurgentia prohibita populo: in tertia, inſurgentia mala prohibita clero.

SECTIO PRIMA

De bonis praeceptis clero, & populo.

CAPUT I.

Praecipitur fides.

§. I. *De fide catholica cuſtodienda.* Pag. 1
II. *De fide catholica profitenda.* 5
III. *De fidei rudimentis tradendis, & addiſcendis.* 8
IV. *De verbo fidei praedicando, & audiendo.* 16
V. *De verbo fidei ſcripto explicando, & legendo.* 23
VI. *De ſuperſtitionibus, & erroribus fidei oppoſitis vitandis, & denunciandis.* 27

CAPUT II.

Praecipitur ſpes.

§. I. *Exprobratur vitium deſperationis.* 31
II. *Exprobratur vitium praeſumptionis.* 36

CAPUT III.

Praecipitur caritas erga Deum.

§. I. *De obligationibus annexis praecepto diligendi Deum ſuper omnia.* 39
II. *De mediis adhibendis, ut praeceptum impleatur dilectionis Dei ſuper omnia.* 46

CAPUT IV.

Praecipitur caritas erga proximum.

§. I. *De coercendis ſcandalis.* 55
II. *De eleemoſynis erogandis.* 61

CAPUT V.

(a) Apud Proſper. de Lambertinis de Synodo Dioeceſana lib. 1. cap. 2. n. 3.

CAPUT V.

Praecipitur prudentia.

§. Unicus. *De consiliis in rebus dubiis petendis, & de zelo discretione temperando.* Pag. 67

CAPUT VI.

Praecipitur justitia.

§. I. *De obligatione colendi Deum sacrificio orationis.* 70
II. *De obligatione colendi Deum adimpletione votorum.* 79
III. *De obligatione specialem praestandi Deo cultum in ecclesiis.* 82
IV. *De obligatione colendi Deum praesertim diebus festis.* 99
V. *De obligatione colendi Deum praecipue tempore Quadragesimali, & tempore Adventus.* 112
VI. *De obligatione colendi Deum observantia jejuniorum.* 117
VII. *De obligatione honorandi Deum cultu sacrarum reliquiarum, sacrarum imaginum, & invocatione Sanctorum, & maximebeatissimae semper Virginis Mariae.* 130
VIII. *De obligatione patrum familias, & dominorum erga filios, & servos.* 146
IX. *De obligatione non inferendi damnum proximo illicitis contractibus, vel usuris.* 154
X. *De obligatione adimplendi pia legata.* 167
XI. *De obligatione non differendi restitutionem rei ablatae, aut alio modo debitae.* 171

CAPUT VII.

Praecipitur fortitudo.

§. I. *De spiritu lenitatis, & patientiae in tribulationibus conservando.* 174
II. *De injuriis inimicis condonandis.* 177

CAPUT VIII.

Praecipitur temperantia.

§. I. *De execratione baccanaliorum.* 183
II. *De mortificationibus non praeceptis assumendis.* 192

CAPUT IX.

Praecipitur christianae devotionis incrementum.

§. I. *De sacris meditationibus.* 197
II. *De frequenti, & debito usu sacramentalis confessionis, & communionis.* 203
III. *De lucrandis indulgentiis.* 208
IV. *De spiritualibus exercitiis semel in anno a laicis, & praecipue ab ecclesiasticis non omittendis.* 213

CAPUT X.

Praecipitur ecclesiasticae disciplinae instauratio.

§. I. *De clericis in seminario educandis.* 216.
II. *De regulis in seminario servandis.* 223
III. *De requisitis ad tonsuram clericalem.* 225
IV. *De requisitis ad susceptionem ordinum.* 231
V. *De vita, & honestate clericorum.* 235
VI. *De capitulo, dignitatibus, & canonicis.* 245
VII. *De collegiatis.* 247
VIII. *De chori disciplina.* 249
IX. *De residentia, & ecclesiae servitio.* 256

§. X. *De quotidianis distributionibus, & punctatoribus.* Pag. 260
XI. *De congregationibus capitularibus.* 269
XII. *De sacrificio Missae, & de Missarum celebratione.* 272
XIII. *De sacris processionibus.* 294
XIV. *De parochis, & eorum muneribus, juribus, & obligationibus.* 300
XV. *De regularibus, aliisque exemptis.* 315
XVI. *De monialibus.* 322
XVII. *De tertiariis, & eremitis.* 332
XVIII. *De confraternitatibus laicorum, aliorumque locorum, & operum piorum administratoribus.* 336
XIX. *De hospitalibus, & montibus frumentariis, & pietatis.* 345
XX. *De collectoribus eleemosynarum, & ipsis eleemosynis.* 349
XXI. *De vicariis generali, & foraneis, & de cancellario, & foro Episcopali.* 351
XXII. *De Episcopo, & juribus Episcopalibus.* 359
XXIII. *De rebus ecclesiae non alienandis, sed custodiendis.* 364
XXIV. *De judicibus, examinatoribus, et testibus synodalibus.* 373
XXV. *De ludi magistris, et medicis.* 380
XXVI. *De oratoriis privatis.* 385
XXVII. *De funeribus, et sepulturis.* 390

Allocutio habita a Rmo D.Camillo Campanelli J.V.D.Prot.Apost.,& Vic.Gen. Pag.3

SECTIO SECUNDA

In qua prohibentur mala insurgentia in populo.

CAPUT I.

Prohibentur blasphemiae.

§. I. *De poenis blasphemorum.* Pag. 7
II. *De mediis adhibendis, ut blasphemiae scelus extirpetur,* 12

CAPUT II.

Prohibentur perjuria.

§. Unicus. *De perjuriorum culpa, et penis.* 17

CAPUT III.

Prohibentur immoderatae vini potationes.

§. Unicus. *De foediſſimo ebrietatis vitio, ejusque suppliciis, ac remediis.* 24

CAPUT IV.

Prohibentur impudicitiae.

§. Unicus. *De turpiloquio, ac de remediis contra luxuriam.* 31

CAPUT V.

Prohibentur indigna sacramentorum Poenitentiae, & Eucharistiae susceptio.

§. I. *De incapacitate consequendi fructum sacramentalis absolutionis, in qua degunt peccantes ex habitu.* 44
II. *De non admittendis ad tale convivium, et de prudenti, ac discreta severitate exercenda in eos, qui non satisfecerint praecepto de communione Paschali.* 50

CAPUT VI.

CAPUT VI.
Prohibetur violatio eccleſiaſticae immunitatis.
§. I. *De reverentia clericis debita.* Pag. 55
II. *De perſonali, locali, et reali eccleſiaſtica immunitate.* 60

SECTIO TERTIA
In qua prohibentur mala inſurgentia in clero.

CAPUT I.
Prohibetur otioſitas, & neglectus ſtudiorum.
§. I. *De ſacris ſtudiis a clericis non omittendis.* Pag. 69
II. *De collatione theologiae moralis, et ſacrorum rituum.* 75
III. *De ſententiis moralibus a confeſſariis, et parochis amplectendis, et edocendis, aut rejiciendis, et confutandis.* 79

CAPUT II.
Prohibetur praeceps, ſive illegitima, aut irreligioſa Sacramentorum adminiſtratio.
§. I. *De adminiſtratione Baptiſmi.* 81
II. *De ſacramento Confirmationis.* 89
III. *De ſanctiſſimo Euchariſtiae ſacramento.* 95
IV. *De ſacramento Poenitentiae.* 116
V. *De caſibus reſervatis.* 137
VI. *De ſacramento Extremae unctionis.* 146
VII. *De ſacramento Ordinis.* 158
VIII. *De ſacramento Matrimonii, et ſponſalibus.* 165
IX. *De ſacramentalibus, et ſacris Oleis.* 179

CAPUT ULTIMUM.
§. UNICUS. *De conſtitutionibus ſynodalibus, et concluſione Synodi.* 188
Oratio Domini Epiſcopi in fine Synodi. 196
Rogitus notarii. 203
Edictum de publicatione Synodi. 204
Appendix cum Indice. 205

NOS CYRILLUS ANTONINI EPISCOPUS.

IN nomine individuae, ſempiternaeque Trinitatis Patris, ex quo omnis Paternitas in caelis, & in terra nominatur (a), Filii, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiae & ſcientiae abſconditi (b), & Spiritus Sancti, qui adjuvat infirmitatem noſtram, & poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus (c), ad gloriam omnipotentis Dei, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus Nobis (d), & Deiparae Virginis Mariae, Reginae Angelorum, ac dulciſſimae Matris noſtrae, atque beatiſſimi ejus Sponſi glorioſiſſimi Patriarchae ſancti Joſeph, nec non ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac praeclariſſimi Pontificis, & Martyris ſancti Magni noſtrae hujus civitatis, ac dioeceſis Patroni praecipui, & beneficentiſſimi, & omnium Sanctorum; pro eccleſiaſticae diſciplinae reformatione, inſtauratione, incremento, pro Religionis cultu, pietatis profectu, & catholicae Fidei exaltatione, animarumque Noſtrae curae concreditarum ſalute, Noſtra ordinaria, ac delegata etiam qua potimur, auctoritate has perpetuo valituras conſtitutiones in hac prima noſtra dioeceſana Synodo edicimus, pronuntiamus, & promulgamus.

IMPRI-

(a) Ad Epheſ. 3. verſ. 15.
(b) Ad Coloſſ. 2. verſ. 3.
(c) Ad Rom. 8 verſ. 26.
(d) Ad Epheſ. 4. verſ. 6.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. A. Marcucci Epiſc. Montiſalti Viceſg.

APPROBATIONES.

UT Rmi P. Magiſtri S. P. A. mandatis obſequerer ſedulo conſideratequeperlegi ſynodales haſce conſtitutiones. Ut vero nihil omnino in eis offendi vel a catholica Fide, vel a caſtigatiorum morum doctrina diſſonum, ita multa ex purioribus Eccleſiae fontibus, Pontificiis nempe definitionibus, Concliiorum decretis SS. Patrum placitis, non dubiorum doctorum ſententiis petita, inque lucem educta ſuſpexi. Opus itaque omni ex parte ſacra eruditione ac ſolida pietate refertum, non exiguam quidem Anagninae dioeceſi allaturum utilitatem, digniſſimum publicis typis cenſeo. Ex aedibus S. Calliſti Calendis Januarii anno MDCCLXXXI.

P. A. Epiſcopus Cyrenenſis.

SApienter opportuneque ſacris Canonibus, ac praeſertim nuperrima Concilii (a) Tridentini ſanctione cautum eſt, ut dioeceſanae Synodi, quo fieri frequentius commodiuſque poteſt, ab Epiſcopis cogerentur. Ut enim ſcripſit aeternae memoriae Pontifex Benedictus XIV., dioeceſanae Synodi = *Validum ſunt fulcimentum ad nutantem in dioeceſi diſciplinam ſuſtinendam*. Quo quidem reſpiciens vigilantiſſimus Anagninae eccleſiae Antiſtes *D. Cyrillus Antonini*, vix ac Epiſcopale munus adeptus eſt, ſtatim coepit de indicenda dioeceſana Synodo cogitare, quam denique ſuperiori anno convocavit, feliciterque abſolvit: ſunt autem in ea Synodo editae prudentiſſimae leges ad chriſtianam vitam ſine labe ducendam, & ad eccleſiaſticam diſciplinam integre conſervandam opportuniſſimae, quas non ſolum non repugnantes catholicae religionis dogmatibus, bonorumque morum regulis; ſed contra, partim conſtitutionibus Romanorum Pontificum, Conciliorum generalium canonibus, aliorum Synodorum decretis apprime cohaerentes comperi, partim vero hiſce ex ſanctiſſimis fontibus hauſtas inveni. Quare hujuſmodi ſynodales leges, quas juſſu Rmi P. Magiſtri S. P. A. legi diligenterque conſideravi, typis evulgari poſſe arbitror. Siquidem eae non ſolum ceſſurae ſunt in decus atque firmamentum ſplendidiſſimae Anagninae eccleſiae, quae plurium ſummorum Pontificum ſuo in ſinu altorum gloria inclaruit; ſed etiam ſummopere proderunt ad populi & cleri pietatem religionemque fovendam atque confirmandam. Dabam ex Coenobio Aracaelitano XII. Kalend. Jan. MDCCLXXXI.

Fr. Ambroſius Erba Ex-Provinc. O. M. O., Cleri Rom. Examinat. Apoſtol., & Indicis, ſacror. Rituum Conſultor.

IMPRIMATUR,

Fr. Pius Thomas Schiara Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

CONSTI-

(a) Seſſ. 24. de reform. (b) De Syn. Dioeceſ. lib. 1. c. 2. n. 4. edit. Rom. 1767.

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM SANCTAE ANAGNINAE ECCLESIAE

SECTIO PRIMA

In qua praecipiuntur bona Clero, & Populo.

CAPUT PRIMUM

Praecipitur Fides.

§. I.

De Fide Catholica cuſtodienda.

Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere etenim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Ad Haebr. cap. 11. v. 6.

I. Uoniam his ubique recte credentium pervulgatis verbis apertiſſime edocuit nos Apoſtolus nedum neceſſitate, verum etiam ordine fidem principem habere locum inter univerſa, quae ad ſaluris noſtrae conſecutionem requiruntur, jure merito a ſuaſionibus cuſtodiendi fidem ſynodales ſanctiones iſtas volumus auſpicari. Hinc ſingulis ante omnia diſtricte injungimus, ut ſedulo curent in ea credendi Religione perſiſtere, quam ſingulari Dei munere ſunt adepti; qua in re principa-

liorem, & vehementiorem quiſque teneatur ſive conatum impendere, ſive ſolertiam adhibere : nam Patrum noſtrorum unanimi fuit voto firmatum, *Fidem eſſe ad ſalutem inclinationem*, = ita S. Clemens Alexandrinus libro ſeptimo Stromatum = *januam, & viam vitae*, = ita S Cyrillus Alexandrinus libro quarto in Johannem = *originem fiduciae, & acceſſus ad Deum* = ita S. Hieronymus in capite tertio epiſtolae ad Galatas = *Donum Dei, quo cetera impetrantur* = ita S. Auguſtinus libro de Praedeſtinatione Sanctorum capite ſeptimo. Praeterea Chriſti Domini immutabilis ſententia eſt, Marci ultimo = *Qui non crediderit condemnabitur* (a).

II. Cum autem dies mali (b) dies malorum (c) jam nunc decurrant, de quibus prophetico ſpiritu ſcribens Paulus ad Timotheum praedixit (d) = *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus; & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*. = Profecto ad orthodoxae Fidei puritatem, integritatemque ſervandam oportet omnino, quod abhorrentes a ſciolis ponentibus in caelo os ſuum, & quaecumque ignorant blaſphemantibus, eorum vitare familiaritatis conſortium, & vaniloquia deſpicere ſtatuatis.

III. Infauſtiſſima aetatis noſtrae tempora deplorat SSmus in Chriſto Pater PIUS Sextus in Encyclica cunctis Catholici Orbis Epiſcopis directa ſub die vigeſima quinta Decembris anni 1775, quod ſcilicet abundent turbulentis hominibus, qui novitatum prurigine quadam furentes vel ipſa naturalis rationis adgredi non dubitant fundamenta, atque item conantur, ſi fieri poſſet, ſubvertere, & quaſi parum infelicitatis, aut ſceleris eſſet teſtimonia Domini, *quae credibilia facta ſunt nimis* (e), in dubium revocare, ad caecitatis, atque facinoris menſuram cumulandam hoc ipſum, in quo turpiſſime errant, ſcientiam, eruditionem, immunitatem a praejudiciis, bonumque ratiocinandi uſum appellant. Quare ſuperbo animo, & elato ſupercilio jactitare ſolent, adveniſſe tandem poſt tenebrarum longiſſimas tempeſtates ſaeculum illuminatum, cujus eſt ſive intemperantis criticis

(a) V. 16.
(b) Ad Eph. 5. v. 16.
(c) Pſalm. 26. v. 5.
(d) 2. ad Timoth. 4. v. 3., & 4.
(e) Pſalm. 92. v. 7.

ces legibus de Chriſtianis privilegiis judicare, ſive audaciſſimae Philoſophiae ſpeculationibus de creatione rerum, ac de Creatoris exiſtentia, natura, potentia, & providentia diſputare.

IV. Quorum miſerandae propaginis, & abjectiſſimi furfuris hominum ideo nos vobis mentionem faciendam eſſe exiſtimavimus, ut ſciatis litteratos hujuſmodi nil aliud in lutulentis, & peſtiferis non modo haereticorum, ſed etiam *Materialiſtarum*, ut ajunt, & *ſpirituum fortium*, ſcholis didiciſſe, praeterquam ponere lucem tenebras, & tenebras lucem, atque de quaeſtionibus univerſis ſcrutandis, definiendiſque jus ſibi arrogare hoc unico inſignitos merito, quod cum velint eſſe in omni diſciplinarum genere Magiſtri, & Doctores, non erubeſcunt nugis, ſomniis, paradoxis, abſurdis intendere, nequaquam intelligentes (a) neque quae loquuntur, neque de quibus affirmant.

V. Et quamquam in Domino confidamus, neminem iſtorum Pſeudo-Chriſtianorum apud ſemetipſos ſapientium, & re vera ſordidiſſima ignorantia laborantium noſtram incolere Dioeceſim, timentes nihilominus, quod in manus alicujus ex dilectiſſimis Filiis noſtris venire poſſint eorum libri, quorum ſubſidio ſcimus, illos eſſe in omnem circumventionem ſeductionis, & falſitatis comparatos, tum Laicis, tum Clericis praecipimus, ne contra Indicis Librorum prohibitorum regulas libros ullos legere, vel retinere audeant ſub poenis ab Apoſtolica Sede, ſacriſque Canonibus conſtitutis, aliiſque arbitrio noſtro irrogandis (b).

VI. Inſuper cupientes, ut juxta Doctoris Gentium conſilium ſcriptum Corinthiis in decimo tertio capite ſecundae Epiſtolae ad eos miſſae = *Voſmetipſos tentetis ſi eſtis in fide, & ipſi vos probetis* (c) =, Regulas vobis tradimus ad dignoſcendum in hoc examine, an debito impar, vel non, fides ſit veſtra, cum in credendis articulis, tum in motivo credendi, & in aſſenſus firmitate. Primo igitur voſmetipſos tentate, ipſi vos probate, ſi neceſſaria certitudine deficiat veſtra fides: Abſit enim, ut putemus in fide noſtra aliquid

(a) 1. ad Timoth. 1. v. 7.

(b) Pius IV. Conſt. *Dominici gregis* 14. Martii 1564. & ex Concilio Mediolanen. 1. tit. de profeſſione Fidei anno 1758. Prodiit in lucem novus Index Librorum prohibit. ſub Benedicto XIV. Vide etiam regulas Indicis in fine Conc. Tridentini.

(c) V. 5.

(d) S. Bernard. Epiſt. 190.

dubia aeſtimatione pendulum (d), *ſcio cui credidi*, *& certus ſum*, clamabat Apoſtolus (a) = *Fides*, eodem docente Paulo (b), *ſubſtantia eſt rerum ſperandarum, argumentum non apparentium* =. Si eſt ſubſtantia ſperandarum rerum, non eſt inanium phantaſia conjecturarum. Audimus ſubſtantiam, non licet nobis in fide nutare, vel diſputare pro libitu, non huc, illucque vagari per inania opinionum, per devia errorum. *Subſtantiae* nomine aliquid nobis certum, fixumque praefigitur, certis claudimur finibus, certis limitibus coarctamur; non eſt enim fides exiſtimatio, ſed certitudo. Haeſitationem igitur excludit prorſus omnem. Unde S. Jacobus (c) = *Poſtulet autem* inquit, *in fide nihil haeſitans* =. *Qui enim haeſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur, & circumfertur*. Deinde tentate voſmetipſos, ipſi vos probate, ſi credendi cauſam habetis aliam praeter Dei revelantis veracitatem. Siquidem ille ſolum fidei conſequitur gloriam, & meritum adipiſcitur, qui miſteriis non viſis, ſed noſtrum ſuperantibus captum aſſentitur unica ratione divinae auctoritatis. Et hac praecipue cogitatione munire ſe debet animus chriſtianus adverſus omnem carnis cogitationem, quae vel contraria ſuggerit, vel religionis veritatem in controverſiam vertit. Dei voces eſſe quaecumque fides loquitur, docet Apoſtolus (d), cum, inquit = *Quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed ſicut vere eſt verbum Dei* =. Poſtremo voſmetipſos tentate, ipſi vos probate, ſi debitam extenſionem habeat fides veſtra, ideſt conſiderate, ſi aequali firmitate iis omnibus mente adhaereretis, quae Deus nobis revelavit: & ne a quocumque ſathanae miniſtro in hoc graviſſimo negotio decipi poſſitis, opus eſt, ut divinam revelationem agnoſcatis in omnibus, quae Apoſtolica una ſancta Catholica Eccleſia vobis credenda proponit: illi namque tradidit Deus depoſitum fidei, de quo Apoſtolus ad Timotheum ſcribens ait = *O Timothee, depoſitum cuſtodi devitans prophanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiae* (e): = ejuſdem definitiones oraculorum inſtar fidelibus omnibus eſſe debent, cum *ſit columna, & firmamentum veritatis* (f): in eius auctoritate acquieſcendum eſt, cum a Chriſto

(a) 2. ad Timoth. 1. v. 12.
(b) Ad Haeb. cap. 11. v. 1.
(c) In Epiſt. cap. 5. v. 6.
(d) Ad Theſſal. ep. I. cap. 11. v. 13.
(e) 1. ad Timoth. 6. v. 20.
(f) Ad Timoth. 1. cap. 3. v. 15.

ſto gubernata, qui cum ea ſe futurum promiſit uſque ad conſumationem ſaeculi, & a Spiritu ſancto perenniter illuminata deficere, aut errare non poſſit. Igitur qui illam audit, Chriſtum audit, & Spiritum ſanctum per eam loquentes,& qui illam ſpernit,eique reſiſtit, ſpernit Chriſtum,& Spiritum ſanctum per eam loquentem.Deus enim, qui multifariam, multiſque modis locutus eſt nobis in Prophetis, & noviſſime locutus eſt nobis in Filio, nunc Filii ſui verbum nobis proponit per Eccleſiam, quam proinde qui non audierit habendus eſt, ex Chriſti ſententia ut Ethnicus, & Publicanus (a). Hinc S. Auguſtinus (b) ait = *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicae Eccleſiae commoveret auctoritas*.

§. II.

De Fide Catholica profitenda.

Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & Ego eum coram Patre meo, qui in caelis eſt. Matth. 10. v. 32.

I. *Fides*, inquit S. Auguſtinus lib. de Fide, & Symbolo cap. 1. *officium a nobis exigit & cordis, & linguae, quandoquidem in ſempiterna juſtitia regnaturi a praeſenti ſaeculo maligno ſalvi fieri non poſſumus, niſi & nos ad proximorum ſalutem nitentes etiam ore profiteamur fidem, quam corde geſtamus* =. Quae quidem expreſſa confeſſio eo plane tempore eſt emittenda, iiſque in circumſtantiis, quibus illam expoſcunt Praeceptum Divinum, & Eccleſiaſticum, aut etiam quando illius omiſſio, & ſilentium ſuſpicionem inducerent, male impieque credendi, & in animarum perniciem, quemadmodum docet *Sanctus Thomas* 2. 2. *quaeſt.* 3. *art.* 2. *in reſponſione ad* 2., & 3.

II. Nos fidei profeſſionem ex data per Pium Papam IV. formula (c) paucioribus expreſſa verbis ſub ipſum Synodi initium religionis ergo (d), & in obſequium inſinuationis Epiſcopis quoque factae a Benedicto XIII. in Romano Concilio libenter emiſimus. Nec vero

(a) Matth. 18. v. 17.
(b) Lib. contra Epiſtolam Manichaei cap. 5.
(c) Conſtitutione *Injunctum* 14. Novembris 1564. vide in Appendice num. 1.
(d) Benedictus XIV, Inſtit. 60.

vero religionis dumtaxat causa, sed arctissimae obligationis vinculo eamdem formulam servare (a), atque in manibus nostris, seu nostri Vicarii Generalis juxta Concilii Tridentini decretum (b) deinceps profiteri volumus, quos de beneficiis curam animarum (c) habentibus contigerit etiam per Apostolicam Sedem provideri, sub poena fructus non faciendi suos, si intra duos menses a die adeptae possessionis numerandos, ab hoc onere defecerint, possessione ipsa quamvis pacifica, & cujusvis declarationis defectu (d) nihil suffragante.

III. Quam eamdem poenam subibunt assumpti, seu assumendi ad Canonicatus, vel Dignitates in hac nostra Cathedrali Ecclesia, etiam de Apostolicae Sedis gratia (e), nisi praedictam fidei professionem, tum coram nobis, vel Vicario nostro Generali, tum publice in Capitulo infra idem tempus absolverint (f).

IV. Sed & quoscumque universarum in Dioeceſi Collegiatarum Canonicatus. & quoslibet Beneficia ecclesiastica, quamvis simplicia in posterum habituros, Clericos pariter omnes sacris ordinibus initiatos (ita enim dissertis verbis statutum legimus tit. 1. cap. 1. n. 1. Romani Concilii Benedictini, quod Provinciale Concilium Dioecesim nostram complectens vim procul dubio obligandi habet quoscumque Anagninae spirituali ditioni subjectos) in Dioecesana, cui adesse debeant, Synodo, quae primo quoque tempore a Beneficii perceptione celebrabitur, pari obligatione profitendae fidei devinctos volumus, & declaramus; alias secundum formam sacrorum Canonum a nobis, & Successoribus nostris puniendos se sciant (g).

V. Coram nobis, vel Vicario nostro Generali tantum ad eamdem fidei professionem obligantur sanctione laudati Concilii Romani sub Benedicto XIII. an MDCCXXV. celebrati provisi omnes de Beneficiis quibuscumque tam simplicibus, quam personalem residentiam requirentibus infra duorum mensium terminum. Poenam vero ex memorato Concilio arbitrio nostro statuendam decernimus parem esse illi, quam ex Tridentino pro Canonicis Cathedralis enunciavimus; vide-

(a) Pius IV. in praelaud. Constit.
(b) Session. de Reform. 24.
(c) Benedictus XIV. d. Instit. 60.
(d) Synod. Parsen. anno 1685. apud Benedictum XIV. Instit. 60.
(e) Benedictus XIV. citat. Institut.
(f) Idem Concil. Tridentinum loco citato.
(g) Conc. Trid. sess. 25. de reform. cap. 2. Bened. XIV. de Syn. lib. 1. cap. 2. n. 6. Bened. XIII. Syn. Rom. tit. 1. cap. 1.

videlicet ut elapſo bimeſtri fructus omnes perceptos ſine alia declaratione reſtituere teneantur: nos etiam hos fructus pro reſpectivis Eccleſiarum, quibus ea Beneficia adſcripta ſunt, fabricis, applicandos eſſe mandamus.

VI. Doctores inſuper, Ludiquemagiſtros qui vel Theologiam, Canonicam, vel Civilem facultatem, Medicinam, Philoſophiam, Grammaticam, vel alias liberales artes in hac Anagniae Civitate, ac Terris, Oppidis, lociſve Paſtoralis noſtrae ditioni ſubjectis publice, vel privatim quoquo modo profiteri, legere, aut exercere voluerint, prorſus ab hujuſmodi exercitiis interdictos ſtatuimus, niſi prius ſolemne Fidei profeſſionis juramentum juxta Pianam pariter formam emiſerint (Pius IV. in Conſtit. 88. *In ſacroſancta*. Benedictus XIII. loc. citat. Concil. Mediolan. 1. tit. de Profeſſione Fidei.)

VII. Ad hanc eamdem Fidei profeſſionem teneri ſancimus, cum primum ad obeundum eorum officium fuerint aſſumpti, Vicarium Generalem, Vicarios Foraneos, Procuratorem, & Promotorem Fiſcalem, Cancellarium noſtrae Eccleſiaſticae Curiae; item Concionatores tum ſaeculares, tum regulares, & Confeſſarios etiam Monialium; ex his autem neminem ad propria ſubeunda munia, niſi praevia orthodoxae Fidei profeſſione coram nobis, vel Vicario Generali noſtro facta, admitti volumus, & abſque ea admiſſos, ſi infra menſem poſt praeſentium Conſtitutionum publicationem illam profiteri omiſerint, a ſuorum munerum exercitio privandos edicimus, aliiſque gravioribus poenis arbitrio noſtro plectendos. (Syn. Farſen. Barberini cap. 1. n. 4.)

VIII. Omnis Procurator etiam ſpeciali mandato ſuffultus ad profeſſionem Fidei emittendam recipiatur ſub poena nullitatis (a).

IX. Ut de obedientibus, ac de contravenientibus juridice conſtare poſſit, duo ſint Codices, unus reponendus in Archivio Cathedralis, in quo ſcribantur nomina eorum, qui coram Capitulo Fidem profeſſi ſunt, alter in Cancellaria Epiſcopali aſſervandus, in quo adnotentur a Cancellario *gratis* nomina, cognomina, patriaque eorum, qui Fidei profeſſionem emiſerint, item & duorum teſtium adhi-

(a) S.C. Concil. in Segunt. 18. Aprilis 1720., & in d. Cathacen. ad 2., & Concil. Mediolanenſem V. titulo de profeſſione Fidei.

adhibitorum, nec non eius nomen, in cujus manibus facta fuerit profeſſio, una cum cauſa, loco, die, & anno ejuſdem profeſſionis (a).

X. At quoniam non ſoli Rectores, ac praecellentes in Populo viri, ſed populus ipſe omnis oportet, ut quod corde credit ad juſtitiam, hoc & ore confiteatur ad ſalutem (b), eumdem per viſcera miſericordiae Dei noſtri rogamus, & obſecramus, ut perfectus in ea, qua ineffabili clementia vocatus eſt, Fide permaneat, & quacumque data opportunitate glorietur in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, & coram omnibus praeſertim male viventibus, qui aut Deum ventrem habent (c), aut colunt avaritiam, quae eſt Idolorum ſervitus (d), non erubeſcat myſteria divinae Religionis noſtrae confiteri, & praecipue humanae Redemptionis Sacramentum, & futurae vitae aeternitatem. Etenim formidanda ſententia eſt illa Salvatoris noſtri dicentis Lucae nono (e) = *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* =

§. III.

De Fidei rudimentis tradendis, & addiſcendis.

Quomodo credent ei, quem non audierunt? ... Fides ex auditu. Auditus autem per Verbum Chriſti. Ad Rom. 10. v. 14. & 17.

I. NOtum omnibus eſſe volumus, Fidem in Chriſtum Redemptorem, ac Mediatorem omni tempore ad ſalutem neceſſariam fuiſſe. Eumdem ſpiritum Fidei habemus, quem antiqui juſti habuerunt. Tempora, & Sacramenta variata ſunt, non Fides. Crediderunt in Chriſtum venturum, quem nos veniſſe credimus. Per eamdem Fidem liberati ſunt, per quam liberamur & nos, Fidem ſcilicet Incarnationis Chriſti, quae illis praenunciabatur, ſicut nobis facta annunciatur, ut docet S. Auguſtinus Epiſtola 157. alias 87. ad Hilarium. Idque Fidei Catholicae dogma eſt, ut idem Sanctus Do-

(a) In Synod. Civitatis Caſtellanae Sanctes Lanucci tit. 1. cap. 2. num. 3. & in Synod. Ferentinae Eccleſiae D. Pauli Toſi p. 1. cap. 2. n. 28.
(b) Ad Tom. 10. v. 10.
(c) Ad Philipp. 3. v. 19.
(d) Ad Epheſ. 5. v. 5.
(e) V. 26.

Doctor asserit *lib. de Peccato originali cap.* 24. = *Sine Fide*, inquit, *Incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi nec antiquos justos, ut justi essent a peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, veritas christiana non dubitat.* =

II. Mysterium autem *Incarnationis Christi* explicite credi non potest, ait S. Thomas 2. 2. art. 8. sine Fide Trinitatis. Quia in Mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, & quod per gratiam Spiritus Sancti Mundum renovavit, & quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit, & ideo eodem modo, quo Mysterium Incarnationis Christi ante Christum fuit explicite creditum a majoribus, implicite autem, & quasi obumbrate a minoribus, ita etiam & Mysterium Trinitatis. Et ideo etiam post tempus gratiae divulgatae tenentur omnes ad explicite credendum Mysterium Trinitatis, & omnes, qui renascuntur in Christo, hoc adipiscuntur per invocationem Trinitatis secundum illud Matthaei ultimo = *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* =

III. De Deo igitur omnium Remuneratore, ac de Incarnationis, & Trinitatis Mysteriis adeo necessaria est Fides, & quidem non velata, sed distincta, illa scilicet, quam Theologicae Scholae vocant *Fidem secundum se in particulari, & explicitam*, ut nulli prorsus salutis aditus pateat eam non habenti. Hinc *necessitas* de iis expresse credendis communiter vocatur, non solum *praecepti*, sed etiam *medii*, cum nedum Deus jusserit, ut haec pro salute aeterna consequenda ab omnibus credantur, sed insuper statuerit firmissimo praesentis suae providentiae decreto in hac Fide medium, viam, & meritum, sine quibus ad caelestem patriam pervenire, & beatae retributionis coronam, ac praemium assequi nemo hominum possit in quacumque excogitabili, aut possibili circumstantiarum serie.

IV. Alia tamen necessitatis specie, quae a Doctoribus *necessitas praecepti* dumtaxat nuncupatur, tenentur omnes, & singuli Christiani omnes, & singulos articulos symboli Apostolorum saltem quoad substantiam explicite credere. Quare ex prisca Ecclesiae disciplina Cathecumenis tradebatur symbolum, idemque reddebant, sive recitabant, antequam baptismo initiarentur. Et Can. *Vos ante*.

diſtinctione 4. de conſecratione, qui ex S. Auguſtino depromptus eſt, dicitur = *Ante omnia ſymbolum, & orationem dominicam, & vos ipſi tenete, & illis, quos ſuſcepiſtis de ſacro fonte oſtendite* = Hinc S. Leo epiſtola 27. alias 13. cap. 4. = *Non enim*, inquit, *de portiuncula aliqua fidei noſtrae, quae minus lucide declarata ſit, quaeritur* = Sed hoc ſtultiſſima ſuperbia audet inceſſere, quod Dominus noſter neminem ſexus utriuſque voluit ignorare. Siquidem ipſa catholici ſymboli brevis, & perfecta confeſſio tam inſtructa ſit munitione coeleſti, ut omnes haereticorum opiniones ſolo ipſius poſſint gladio detruncari. = Tenentur quoque, docente Sancto Thoma art. 7. quaeſtionis paullo ſuperius indicatae, univerſa myſteria, & dogmata explicite credere, quae ſolemniter in Eccleſia celebrantur, & proponuntur. Ex quo conſequens eſt, & explicite credi debere quae pertinent ad Sacramentorum, Baptiſmi praeſertim, Poenitentiae, Euchariſtiae neceſſitatem, ac divinam Inſtitutionem, gratiaeque per illa collationem; realem praeſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, & tranſubſtantiationem, ſeu mutationem ſubſtantiae panis in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti; item Sanctorum cultum, & invocationem, Reliquiarum ſacrarum, & Imaginum Chriſti, Deiparae Virginis, & Sanctorum venerationem; Indulgentiarum uſum ſalutarem eſſe, Purgatorium exiſtere, animaſque in eo detentas fidelium ſuffragiis, ac praeſertim ſacroſancto Altaris ſacrificio juvari. Haec enim omnia in Eccleſia ſolemnia ſunt. Omnia item dogmata, quae ad vitam recte, chriſtianeque inſtituendam neceſſaria ſunt, ab omnibus, & ſingulis explicite ſunt credenda; quid nimirum Decalogo praecipiatur, quid vetetur. Noſſe etiam quiſque debet Eccleſiae praecepta, fideque pariter diſtincta credere, Eccleſiae eſſe parendum, extra illam neminem ſalvari, non habere Deum Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem: ea profecto expreſſe credenda ſunt & addiſcenda ſaltem quoad ſubſtantiam ſub periculo damnationis aeternae, niſi juſtum obſit impedimentum, ſcilicet vel captivitas apud Infideles, ſeu magna a terris Chriſtianorum diſtantia, ſeu tantus ingenii ſtupor, ut haec nullo modo capere, & memoriae commendare poſſit. Si quis vero haec diſcere non curet, diligentiamque neceſſariam non adhibeat, reus eſt peccati lethalis, quamdiu illa in ignorantia verſatur, nec ex illa

illa ſtuder emergere. Unde abſolvi ſacramentaliter non debent, nec ad alia admitti Sacramenta.

V. Ex his colligitur, peccare Chriſtianos, qui cum in Doctrina Chriſtiana rudes ſint, & imperiti nec myſteria noverint, quae credere neceſſe eſt ad ſalutem, catecheſibus adeſſe nolunt, vel negligunt, & familiaribus inſtructionibus, quae praefinitis diebus in Parochialibus Eccleſiis, vel alibi fiunt de praecipuis Doctrinae Chriſtianae capitibus, & communibus chriſtiani populi precandi formulis: gravis item peccati reos eſſe Parochos, qui Catecheſes huiuſmodi, atque inſtructiones praetermittunt; nec non parentes, ac dominos, qui filios, ſervos, ancillas iiſdem catecheſibus adeſſe, & Doctrinam Chriſtianam ediſcere non ſinunt, vel non compellunt.

VI. Propterea cum nos probe cognoſcamus, praecipuum Paſtoralis officii noſtri munus eſſe, ut ad Chriſtianae Doctrinae ſcholas diſcipulos convocemus, & conſtitutos in eis Praeſides, ac Magiſtros vigiles, ſolertes, & patientes reddamus, generale edictum noſtrum hac de re in adminiſtratione Chriſtianae Reipublicae omnium graviſſima publicatum ſub die 2. Januarii currentis Anni 1780. in hac prima noſtra Synodo iterum exponimus, & inviolabiliter ſervari mandamus. Volumus proinde, quod memoratum edictum noſtrum Appendici hujus Synodi ſub num. 8. de verbo ad verbum tranſcriptum adnectatur, & interea ſanctiones in illo contentas hic per ſumma capita recenſendo quae ſequuntur ſtatuimus, & jubemus.

VII. In primis omnibus curam animarum habentibus enixe, ac rigoroſe praecipimus, & mandamus, ut ſingulis Dominicis, & feſtis de praecepto diebus, exceptis dumtaxat Dominicis Palmarum, Paſchatis Reſurrectionis, & Pentecoſtes, ante veſperas ſonitu campanae pueris coadunatis, ſepoſitiſque maribus a foeminis (a) fidei rudimenta illis praebeant in eccleſia, & addiſcentium idoneitatis habita ratione majora majoribus, minoribus minora percipienda tradant tam dilucide, quam patienter, atque uniformiter, ut methodum a venerabili Cardinali Roberto Bellarmino propoſitam (b) ſervando fructum uberrimum impenſi operis referant. Nec vero pueros tantum, ſed impuberes quoque omnes cogendos, atque adulta pariter aetate

(a) S. Cong. Conc. apud Benedictum XIV. Inſtit. 9.

(b) Benedictus XIV. conſtit. *Etſi minime* n. 17.

mulieres ac viros, adhortandos volumus, ut tam neceſſario, atque utili Chriſtianae Religionis tyrocinio in Eccleſia, quibus diximus diebus interſint (a). Noverint enim vero prudentes inſtitutores, quibus tamquam parvulis in Chriſto lac potum dare, quibus autem exercitatos habentibus ſenſus ad diſcretionem boni, & mali ſolidiorem cibum exhibere conveniat.

VIII. Idcirco plures in claſſes pueros, & puellas diſtribuent: in prima eos reponent, qui primis, & facilioribus Doctrinae Chriſtianae rudimentis in praelaudati Cardinalis Bellarmini libello contentis imbuendi erunt, veluti oratione Dominicali, Apoſtolorum ſymbolo, ſalutatione angelica, Decalogi, & Eccleſiae praeceptis, & id genus aliis. In ſecunda collocabunt quos eiuſdem libelli potiora Chriſtianae Religionis capita percepiſſe, ac memoriae tenere invenient: in tertia tandem illos referent, qui altiora mox dicti libelli documenta integre, ac memoriter reddere, inſtitu aque diſpu atione per interrogationes, & reſponſa digeſta ceteros erudire queant. (b).

IX. Quod ſi ad praedictas inſtitutiones Parochi juvandi ſunt, monemus, & exhortamur clericos omnes in quibuſvis ordinibus poſitos, ut qui velut ſal terrae condiendis populis initiati ſunt, manus ſuas adjutrices, prout Parochus expetierit, in tam ſalutare opus conferant, maximopere de nobis merituri: quod ſi abnuerint, ſciant ad altiora ſe minime conſcenſutos (c). Nec tantum clericos, ſed etiam Ludi magiſtros, & Magiſtras omnes ſtatuimus, ubi ſit opus, & monitio fruſtra praeceſſerit, noſtra in id eſſe auctoritate compellendos.

X. Injungimus pariter Magiſtris univerſis, ut negotio eidem vacare non omittant in ſuis paleſtris, curantes, ut ſibi crediti adoleſcentes timorem Domini, qui eſt initium ſapientiae, ante omnia ediſcant, & impleant fideliter quod eis a Lateranenſi Concilio juſſum eſt, nempe ſemel in hebdomada docere pueros tum pietatem erga Deum, eum obſequium erga parentes, tum etiam cetera chriſtiani hominis officia (d).

11. Id

(a) Benedictus XIV. in cit. conſtitutione.
(b) Clemens XI. Encyclica ad Epiſc. Ital. Bullar. n.19. p.224.
(c) Ex citata conſt. Bened. XIV. & Inſtit.9.
(d) Ex Leon.X. conſtit. *Supernae* n.32. Benedicto XIV. conſtitut. *Cum religioſi* n.4. ſac. Congr. Conc. apud eumdem Inſtit.9.

XI. Id quod a Patribus familias potiori iure exigendum eſt, qui quos carnaliter genuerunt, niſi etiam ſpiritualiter ſpiritu fidei, & ſpiritu timoris Domini alere, & ad perfectum adducere ſtuduerint, diſtrictum omniporenti Deo rationem ſunt reddituri. Quare omnimodis agant Parochi, ut hi ſuarum partium memores qua verbis, qua exemplis oſtendant filiis ſuis viam bonam, per quam ambulent, eoſque tum domi, tum in Eccleſia chriſtianam catecheſim ſubire, ſacriſque intereſſe, & ad Dei cultum, & ſanctimoniam vivere omni, qua praeſunt, auctoritate compellant (a). Quo ſimiliter ſtudio ſuccendi oportet Dominos erga ſubiectas ſibi ancillas, & famulos (b), ne, ſi domeſticorum ſuorum curam negligant, tamquam infideles, & infidelibus deteriores a Dominorum Domino arguantur.

XII. Et ut Doctrinae Chriſtianae addiſcendae, ac docendae ardor, & cura maiores in dies divina auxiliante gratia fructus vitae aeternae producant, Sodalitium, ſive Congregationem a Doctrina Chriſtiana nuncuparam in noſtra hac Cathedrali eccleſia ereximus, eamque aggregare curavimus expeditis Bullis Archiconfraternitati Doctrinae Chriſtianae Urbis, vi cujus aggregationis omnes ſcholae in Civitate, & Dioeceſi univerſa participatione gaudent immenſi theſauri gratiarum, & Indulgentiarum, quae plena manu ab Apoſtolica Sede praelaudatae Archiconfraternitati conceſſae fuerunt. Quamobrem Parochis, & Concionatoribus injungimus, ut quam frequentiſſime e ſuggeſtu, ſive ab Altari Sodalitium praedictum enixis verbis commendent, atque promoveant: & interim pios viros ac mulieres modo Nos hortamur, rogamus, & obſecramus, ut Confraternitati huiuſmodi Doctrinae Chriſtianae gratiarum, & indulgentiarum ſpiritualibus divitiis cumulatiſſimae & nomina, & operam libenter exhibeant, quo fiat, evaſuros ipſos, quemadmodum de Angelis teſtabatur Apoſtolus, adminiſtros Omnipotentis *Dei in miniſterium miſſos propter eos, qui haereditatem capiunt ſalutis*. (c) (d)

XIII. Ne autem deſit poenarum aufugiendarum ſtimulus, decrevimus iam in commemorato edicto noſtro, & iterum nunc ſancimus,

(a) Benedictus XIV. citat. conſtit. *Cum religioſi* n. 4.
(b) Idem Benedict. XIV. ibidem.
(c) Ad Haebreos 1. v. 14.
(d) Regulae Doctrinae Chriſtianae in Appendice hujus Synodi n. 9.

mus, ac decernimus, quod ſine Parochi atteſtatione ſcripta, de reſpective competente inſtructione Doctrinae Chriſtianae nullus omnino utriuſque ſexus vel Confirmationis Sacramentum recipiet, vel admittetur ad ſuſcipiendum tam in confirmatione, quam in baptiſmo, vel prima initiabitur tonſura, vel, cum ſit puella in Monaſterio, aut Conſervatorio recipietur, vel Matrimonium celebrabit, vel piis ſodalitii adſcribi poterit, exceptis ſodalitatibus Doctrinae Chriſtianae.

XIV. Ad haec adjicimus, & diſtricte mandamus, quod Parochi fidem pauperratis non expediant pro eleemoſynis conſequendis ab iis, qui curam negligunt mittendi filios filiaſque diebus feſtis ad Doctrinae Chriſtianae exercitium, neque pro ſubſidiis dotalibus aſſignandis puellis, quae Doctrinam Chriſtianam non frequentant, vel niſi inſtructae ſufficienter ſint de principalibus rudimentis ſanctae Fidei cum expreſſa mentione in atteſtatione (a).

XV. Quoniam vero haec ſalubris proviſio inanis eſſet, ſi ab illis, qui ſubſidia dotalia pauperibus puellis diſtribuere tenentur, praedictae Parochi atteſtationes non requirerentur, inhaerendo Edictis ſancte memoriae Clementi XI. 1701., Clementis XII. 1730., & Benedicti XIV. 1742. mandamus, quod a Confraternitatibus, aliiſque piis locis, nec non familiis etiam ſaecularibus, quibus id onus incumbit, nullatenus ſubſidia dotalia aſſignentur puellis negligentibus, ſive minus inſtructis in doctrina chriſtiana, ut ſupra, veluti ſi id requiſitum impoſitum eſſet in ſtatutis, conſtitutionibus, vel teſtamentariis diſpoſitionibus, ſub poena iteratae ſolutionis ſubſidii dotalis de propriis pecuniis adverſus Rectores, & Officiales Confraternitatum, & locorum Piorum, vel capita familiarum.

XVI. Tandem cum dolenter recogitemus pueros quamplures Chriſtianam Doctrinam edocendos non omnes in Civitate, & Oppidis habitare, alios in campeſtribus animalium cuſtodiae addictos, aliquos ruſticam vitam ita agere, ut vix praecepto audiendi Miſſam diebus Feſtis ſatisfaciant, adultos etiam non paucos tam viros, quam mulieres etiam in Civitate occurrere principaliora Fidei myſteria ignorantes, & qui Doctrinam Chriſtianam addiſcere verecundantur, aeternae eorum ſaluti quocumque modo conſulere cupientes praecunte

(a) Edict. Ven. Innocent.XI. 1676. & Benedict. XIV. 1742.

eunte Concilio Romano, & celebri Conſtitutione Benedicti XIV., hac Synodali Sanctione diſtricte praecipimus, & mandamus, ut diebus Feſtis de praecepto Parochi omnes, & Archipresbyteri, qui curam animarum exercent, inter Miſſam Parochialem poſt habitam explicationem ſancti Evangelii, alta voce, vel cum cantu, italico ſermone, populo univerſo, qui adeſt, replicante ſaltem ſequentia principaliora Fidei myſteria Sanctiſſimae Trinitatis, & Incarnationis, Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Praecepta Decalogi, Praecepta Eccleſiae, ſeptem Sacramenta, actus virtutum Theologalium, & contritionis, niſi ipſorum Parochorum cura, & officio Sacerdos alius inter Miſſam in aurora hoc officium pietatis expleat, ſicut plane expedit; quo Sacerdote altero deficiente, Parochi, & Archipresbyteri immediate ante, vel poſt dictam Miſſam in aurora munus eorum exerceant, licet non celebrent propter Miſſam Conventualem, vel ſolemnem, ſignanter in Eccleſiis Collegiatis ab ipſis ratione dignitatis, vel turni celebrandam, quando ſcilicet ſimilis brevis doctrina edoceri non convenit, ſicut neque inter horas chorales. Ceterum alteram excuſationem non cauſentur, & praetendant, nimirum ob Evangelii praedicationem, vel ſi Doctrinam Chriſtianam alia hora non praetermittant.

XVII. Et quoniam difficile admodum eſt Parochianos urgere omnes, praecipue in campeſtribus vitam agentes, ut Miſſae Parochiali diebus Feſtis interſint, ſicut cupimus, tum ob diſtantiam locorum, cum propter iter aſperum, hyemali praeſertim tempore, graviter praecipimus, & mandamus (a) Beneficiatis, & Cappellanis etiam de Jurepatronatus laicali, aliiſve Sacerdotibus quibuſcumque, qui primam Miſſam celebrant in Eccleſiis, Cappellis, & Oratoriis ruralibus, ut adimpleant & ipſi, quae ſupra Parochis impoſuimus de brevi Doctrina alta voce, vel cum cantu inter Miſſae celebrationem poſt Evangelium ſub poena ſuſpenſionis a Divinis per quinque dies ipſo facto incurrenda; excipimus vero ab hac diſpoſitione, & poena Cappellanos Eccleſiarum, quae ſunt ſuburbanae, cum magis cenſeamus neceſſariam obſervantiam in dictis Eccleſiis ruralibus, ubi Paſtores, & villici diebus Feſtis Miſſam audiunt, qui raro

(a) Epiſt. Circular. Clem. XII. ſub die prima Julii anni 1735. ad omnes Epiſcopos Italiae relata per Lambertin. Notific. XLIV. tom. I. n. 5.

raro admodum Doctrinae Chriſtianae interſunt in Eccleſiis Parochialibus (a). Ne autem brevior formula elementorum Chriſtianae Catecheſis rudibus proponenda in Cappellis ruralibus Cappellanis deficiat, eam in Appendice num. 47. collocabimus.

§. IV.

De verbo Dei praedicando, & audiendo.

Praedica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Ad Timoth. 2. cap. 4. verſ. 2.

I. IMperio vocis ſuae, quae magnificentiae, & virtutis omnipotentiſſima vox eſt, vocavit Deus, ut eſſent omnia, quae non erant, *Dixit*, enim, *& facta ſunt*; *verbo Domini caeli firmati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum*; dixit *de tenebris lucem ſplendeſcere*, & facta eſt lux, quae *primogenita ex ore Altiſſimi prodivit ante omnem Creaturarum* (b). Conſimili prorſus divinae Providentiae conſilio ſtatutum fuit, ut verbo Domini primum a Patriarchis in Lege naturae, poſtmodum a Prophetis in Lege ſcripta, denique ab Apoſtolis in Evangelica Lege annunciato humana conditio originali ſauciata delicto, culpiſque innumeris propria voluntate perpetratis vehementius depravata, & mundaretur a ſordibus, & in ſancto pie, juſte, & ſobrie vivendi propoſito firmaretur. Ex quo conſequitur evidentiſſime, nedum opportunam, verum etiam neceſſariam eſſe Chriſtiano populo Verbi divini praedicationem, qua a vitiis excitetur, & in virtutibus proficiat. Hinc Miniſtri ab Eccleſia ad hoc exercendum munus approbati, & deputati, & qui eo, ut par eſt, zelo, ſcientia, & caritate funguntur, jure merito in ſacris Litteris *Medici animarum*, *Piſcatores hominum*, *Jeſu Chriſti Legati*, & *Vineae Domini Cultores*, & *lux Mundi* ſunt appellati.

II. Sed cum duplici ex capite oriri poſſit, quod ad ſalutem Fidelium vel parum, vel nihil omnino conferat hodierna Praedicatorum

(a) Lanucci in Synod. tit. 1. cap. 3. n. 2. 3. 8., & 9. Pſalm. 32. v. 6. 1. ad Corinth. 4. v. 6. Eccl. 24. v. 5.
(b) Pſalm. 28. v. 4. Pſalm. 148. v. 5.

rum multitudo, ſive quia minus apte verbum Dei ipſi proponant, ſive quia raro ad illos audiendos plebs Chriſtiana conveniat, propterea officii noſtri ratio expoſtulat, ut generis utriuſque defectui ſalutaribus legibus conſulamus.

III. Qua de re Praedicatoribus quibuſcumque in Civitate, & in Dioeceſi Saecularibus, & Regularibus tum ordinariis, cum extraordinariis interdicimus omnem concionandi formam, quam utillimi, ac ſublimiſſimi eorum miniſterii finis, & dignitas abiicit, ac reprobat. Etenim ex una parte Chriſtianae Religionis ſanctitas, veritas, atque maieſtas minime conſentiunt, ut divina praeconia immiſceantur modo apocryphis narratiunculis, modo male digeſtis, & peſſime diſpoſitis argumentis, modo inverecundis, & imprudentiſſimis clamoribus; & ex alia parte audientium ſive inſtructio, ſive correctio expoſcunt, ut illa dicantur, quae ad reformandos mores conducere valent, & eo ſermone, ac ſtylo proponantur, qui capacitatem vel rudiorum inter ipſos non excedat. Volumus proinde, ut verbum Dei in hac noſtra Civitate, & Dioeceſi digne, & fructuoſe proponatur, & in id intendentes denuntiamus Sacerdotibus ſingulis in locis ditioni noſtrae ſubjectis praedicaturis, quod cum non fuerint nobis, vel Succeſſoribus noſtris noti, aut aliunde de eorum praedicandi merito, & modo ſufficienter non conſtet, vi praeſentis hujus in perpetuum duraturae Synodalis ſanctionis tenebuntur, antea quam per patentes litteras tam praecellentis muneris obeundi recipiant facultatem, examen ſubire, & in eo coram illis, qui ab hoc deputabuntur, legere, aut recitare debebunt unam, vel plures ex eorum concionibus pro Examinatorum arbitrio, quorum conſcientiam oneramus ſuper faciendo ab eis judicio aut approbationis, aut reprobationis (a).

IV. Obtenta autem ab illis praevio Examinatorum voto praedicandi commiſſione, & permiſſione, ſi non exhibitas, & probatas conciones facere praeſumpſerint, & praedicando in perſpicuitate, vel ſcientia ſacra defecerint, diſtricte injungimus Vicariis Foraneis, ut de eorum inſufficientia, ſive inutilitate & nos, & Succeſſores noſtros certiores facere non omittant. Tunc enim ſive a nobis, ſive a Succeſſoribus noſtris indicto illis ſilentio, ad oppida,

(a) Clem. X. in Conſtit. 7. Superna.

quae petierant, infra ſpatium unius diei tantum alii operarii opportuniores mittentur (a).

V. Cumque ſtatutis providentiis nonniſi extraordinarii Praedicatores comprehendantur, ad Parochos, alioſque ordinarios in Civitate, ſive Dioeceſi Praedicatores quod attinet, decernimus, deſtinandos eſſe ſecreto tum a nobis, tum a Succeſſoribus noſtris viros eccleſiaſticos doctrina, & zelo praeditos, qui in Parochialibus eccleſiis conciones attente audiant, & de earum ſoliditate, & utilitate, vel nugacitate, ſive obſcuritate ad Epiſcopum, vel Vicarium ejus Generalem referant, ut poenis pecuniariis, aliiſque pro arbitrio delinquentes puniantur.

VI. Nemo alius praeter Parochos, & animarum ex officio curatores ſive ſaecularis, ſive regularis fuerit etiam in eccleſiis ſuorum Ordinum nobis inconſultis praedicare praeſumat, poenis etiam ſpiritualibus coercendus (b).

VII. Nullus Regularis cujuſvis ordinis, & gradus ad officium concionandi admittatur, niſi prius per Superiorem ſuum diligenter examinatus, ac morum honeſtate, doctrina, probitate, prudentia ad illud aptus, & idoneus approbationem, & licentiam praedicandi expreſſe obtinuerit, de quo examine fidem oſtendere, teneatur (c). Reſervamus tamen arbitrio noſtro quoad Regulares praedicare volentes in eccleſiis, quae ſuorum Ordinum non ſunt, examen coram nobis, vel Vicario noſtro Generali faciendum, etiamſi Epiſcopi anteceſſores per tempus immemorabile praedictum examen non requiſiverint (d).

VIII. Regulares quicumque in eccleſiis, vel oratoriis ſuorum Ordinum praedicare, vel ſermonem aliquem coram populo habere non praeſumant, niſi petita a nobis, vel a Vicario noſtro Generali benedictione, quam etſi non obtinuerint, adhuc in propriis eccleſiis praedicare poterunt, dummodo tamen illa petita, licet non obtenta, nos expreſſe non contradixerimus. In eccleſiis autem, quae ſuorum Ordinum non ſunt, praeter licentiam ſuorum ſuperiorum, & noſtram benedictionem, facultа-

(a) In eadem Conſtit. Leonis X.
(b) Trident. cap. 4. ſeſſ. 24. de Refor. Apud Lanucci in Syn. tit. 1. cap. 4. n. 1.
(c) Leo X. Concilio Lateran. ſeſſ. 11. Gregorius XIII. Conſt. 9. *In tanta*, extravag. commun. *ſuper Cathedram* de ſepult. Apud Lanucci loc. cit. n. 2.
(d) In citat. Conſtit. 7. *Superna* Clement. X. In Syn. Lanucci loc. cit. num. etiam 2.

cultatem quoque a nobis expreſſam exhibendam obtinere debeant; quam facultatem, antequam praedicationis munus aggrediantur; Vicariis noſtris Foraneis, Parochis, vel Rectoribus eccleſiarum oſtendere teneantur ſub poenis nobis beneviſis (a).

IX. Licentiam, ſive benedictionem ſemel concionatoribus conceſſam arbitrio noſtro reſervamus ſemper revocandam, vel ſuſpendendam ob rationabiles cauſas, licet occultas, praedicationem tamen concernentes, & conſcientiam noſtram pulſantes (b).

X. Praedicatores quoſcumque vehementer monemus, hortamur, atque in Domino rogamus, ut faciant quod docent, & opere magis, quam ore tantum vitiis bellum intentent, ac parent, & ita ſe gerant, ut intelligant auditores, ſe non turpis lucri cupidos eſſe, non vanae gloriae amatores, ſed ſuis laboribus divinam gloriam quaerere, & animarum ſalutem. Sane cupimus, ut unuſquiſque eorum divinam illam objurgationem pertimeſcat, & horreat: = *Aſſumis Teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam* (c). *Lucerna*, inquit S. Thomas, *doctrina praedicationis eſt, in qua debet eſſe fervor ſpiritus interius, & lumen boni exempli exterius. Si enim doctrina eſt bona, & praedicator malus, tunc ipſe eſt occaſio blaſphemiae verbi Dei* (d).

XI. Nunc vero decretis jam, atque explicatis iis, quae ad Praedicatorum conditiones, & requiſita ſpectant, de illis loquuturi, quibus praedicandi opus incumbit, fatemur in primis hoc ſanctae praedicationis officio ſtrictiſſima obligatione ligari Epiſcopos, qui in propriis Dioeceſibus ſunt primi animarum oeconomi, primi fidelium magiſtri, & populi doctores. Hinc quiſque eorum revera cum Apoſtolo Paulo ſcribente ad Titum de ſe ipſo affirmare poteſt = *Qui non mentitur Deus ... manifeſtavit temporibus ſuis verbum ſuum in praedicatione, quae credita mihi eſt ſecundum praeceptum Salvatoris noſtri Dei* (e). Quamobrem Oecumenicae Tridentinae Synodi Patres praedicationem dixerunt *praecipuum Epiſcoporum munus*, & conſequenter decreverunt, omnes Epiſcopos teneri per ſe ipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad praedicandum ſanctum

C 2

(a) Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. Gregor. XV. Conſtit. 18. *Inſcrutabili*. Clem. X. Conſtit. 7. *Superna*.

(b) Conſtit. dicta *Superna* Clem. X. in Syn. Lanucci loc. cit. n. 3., & 4.

(c) Pſalm. 49. v. 16., & 17.

(d) In Comment. in Matth. cap. 5.

(e) Cap. 1. v. 3.

ctum Jeſu Chriſti Evangelium (a). Quare liberum eſt Epiſcopo concionem habere ad populum in qualibet eccleſia, etiamſi ad Regulares, & exemptos pertineat, & ipſo per ſe praedicante quilibet inferior, tametſi Regularis, & exemptus eadem hora ſilere debet etiam in propria eccleſia (b). In ſolemnioribus autem Epiſcopo Pontificali more celebrante decet, eum, ſi fieri poteſt, ſeptem Diaconibus eſſe ſtipatum juxta S. Evariſto Papae attributam conſtitutionem (c), ut functionis decor, & dicentis majeſtas ad Dei gloriam enitcat.

XII. Parochi quoque, qui in partem curae animarum ſunt vocati, hujus oneris memores, non ſint canes muti cauſati apud *Iſaiam*, quod non valebant latrare (d), ſed omne ſtudium, laborem, diligentiam, aſſiduitatem ad praedicationis officium conferant, ſicut alibi ſermo recurret (e). Volumus praeſertim, ut Concilii Tridentini decretum ſervent latum ſeſſ. 5. de Reformat cap 2. ſequentibus verbis = *Quicumque Parochiales, vel alias Eccleſias animarum curam habentes quocumque modo obtinent, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quae ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quae eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, & caeleſtem gloriam conſequi valeant* =. Praecipimus igitur cunctis animarum Rectoribus, ut remoto quocumque praetextu, ſublataque qualibet excuſatione, & abuſu, ſingulis ſaltem praefatis diebus huic tam ſaluiari decreto obtemperent, poenas alioquin daturi, ſi negligentes, & contumaces fuerint, eccleſiaſticis, cenſuris, ſubtractione fructuum, aliiſque arbitrio noſtro, quemadmodum in praecitata Tridentini ſanctione diſpoſitum fuit.

XIII. Etſi nihilominus neque praedicationis frequentia, neque Praedicatorum lectiſſima conditio deſiderari poſſit, adhuc tamen dolendum nobis erit de praepeditis verbi Divini emolumentis, quoties execrabilis nunc vigens corruptela, & peſſima Dioeceſis, & prae-

(a) Seſſ. 5. cap. 2. de Reform.
(b) Benedict. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 43. n. 6., & 7. ubi reſolut. ſac. Congregationis.
(c) Canon Diaconi XI. diſtinct. 93.
(d) Iſaiae 56. v. 10.
(e) Lanucci in Syn. tit. 1. cap. 4. ante n. 1.

praecipue Civitatis conſuetudo non conveniendi ad ſaeras audiendas eoneiones congruentibus non fuerit curata remediis . Innovantes propterea Statuta Anagninae Synodi congregatae a bonae memoriae Praedeceſſore noſtro Johanne Baptiſta Baſſo *parte 1. cap. 4 n. 5.* & 6. edieimus , quod concionis Quadrageſimalis tempore ſaecularia negotia ſileant , mercatores , & artifices a ſuorum opificiorum exercitio vacent , tabernas claudant ; ſecus poenas carceris , aliaſque arbitrio noſtro infligendas luent . Inſuper Canonici , ceterique de Capitulo Beneficiati , & Clerici Cathedralis , & cujuſcumque Collegiatae , ſive Parochialis , aut Archipresbyteralis Eccleſiae legitime non impediti chorali habitu , & ſuperpelliceo reſpective induti verba Dei ſtudioſe, & cum omnimoda corporis compoſitione tempore Adventus , & Quadrageſimae audiant ſub poena amiſſionis diſtributionum ſervitio totius diei correſpondentium ad tramites edicti noſtri , & noſtri Praedeceſſoris Baſſi appoſiti in ejus Synodi appendice pag 229. iidemque alias etiam condignas poenas arbitratu noſtro pro tranſgreſſoribus taxandas non effugient (a) .

XIV. Inſuper eum a dicto clariſſimo Praedeceſſore noſtro Johanne Baptiſta Baſſo laudabilem ſuam recognoſcat originem quotidiana in eccleſia ſanctorum Angelorum Cuſtodum , ac S. Andreae Apoſtoli hujus Civitatis praedicatio Quadrageſimalibus diebus , & ab illo eo fine introducta fuerit , ut ruſtici , & coloni ferialibus Quadrageſimae diebus primo mane , antequam ad agros exeolendos a Civitate proficiſeerentur , eam audirent , quare in Parentalibus Praedicatoris eligendi apponi juſſerit , concionem peragendam fore matutina hora (b) , reprobantes , & prohibentes modo nos immutationem in hac commendabili providentia factam plurimis ab hinc annis incipiendi concionem longe poſt ſolis ortum , praecipimus , quod in dicta eccleſia Praedicatores in poſterum deputandi in aurora ferialibus diebus eoncionem incipiant ſub poena pro Praedicatoribus ſuſpenſionis ipſo facto incurrendae in ordine ad obtentam ibi praedicandi

(a) Sac. Congregatio Epiſcop. apud Nicol. Floſc. verb. Canonicus num. 33. fac. Congreg. Rituum in Caſalen. 17. Februarii 1728. in reſponſ. ad dub. 18. Vide alias reſolutiones apud Petram ad Conſtit. Apoſtolic. pag. 471. num. 15. , & ſeq. tom. 3.

(b) Conſtat evidentiſſime ex authenticis monumentis , quae in Cancellaria noſtra aſſervantur in volumine expeditionum incipiente ab anno 1712. uſque ad ann. 1717. pag. tum 127., tum 362.

candi facultatem, & pro illius eccleſiae Rectore ſcutorum decem in pios applicandorum uſus pro noſtro beneplacito. Haec autem Conſtitutio noſtra nihil omnino innovat, vel prohibet eorum, quae uſque modo ſervata ſunt tam reſpectu eleemoſynarum a ſpontanea fidelium pietate colligendarum, ac praedicto concionatori tribuendarum, tam reſpectu expenſarum in memorata eccleſia occaſione fortaſſe dictae matutinae pradicationis faciendarum, tam reſpectu Jurium cuſtodiae, adminiſtrationis, ac praeſidentiae erga praefatam eccleſiam; de iis enim omnibus id ratum, firmumque eſſe nos velle declaramus, quod ſive juſtis conventionibus, ſive legitimis conſuetudinibus uſu jam receptum, ſtatutumve invenitur.

XV. Praeterea ad inſtructionem omnium Dioeceſanorum noſtrorum, quorum generalis fere morbus eſt divinae praedicationis audiendae faſtidium, notum eis facimus, quod negligentes ipſi, ex torpore, & ſocordia damnabilis acaediae, praedicati verbi divini lumen, & auxilium, quibus facillime poſſent vel ſtare, ne caderent, vel poſteaquam cecidiſſent, reſurgere, in deplorabili reproborum ſtatu ſe ſe conjiciunt: Idque apertiſſime innuunt verba Chriſti Domini Johannis 8. = *Qui ex Deo eſt verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis* (a). Cum enim animus noſter ager ſit, in quo baptiſmi ſalutaribus aquis purgato, & rigato Pater coeleſtis chriſtianas virtutes inſeruit juxta illud Apoſtoli = *Dei agricultura eſtis* (b), & occultis gratiae ſuae ſubminiſtrationibus daturus ſit incrementum, ſi ad illas excolendas cooperemur, gravis certe delicti rei ſumus, ſi negligentia noſtra ſpinae, & tribuli oriantur, ideſt pravae concupiſcentiae, & eo gravior culpa noſtra eſt, quo etiam a facilioribus, ſuavioribus induſtriis abſtinemus: At quid levius, aut dulcius inter omnia Chriſtianae profeſſionis onera, quam dicentem vitia fugienda, & virtutes complectendas audire? Si igitur neque in hoc ſolliciti eſſe volumus, nonne iram Dei provocabimus, ita ut potioribus ſuis deſtituti praeſidiis in profundum peccatorum caecitatis, & obſtinationis delapſi praeſcitorum turbis pene iam aggregati inveniamur? Tremendam hanc veritatem ſancimus quam frequenter plebibus ſuis ab animarum Rectoribus exponendam.

§. V. De

(a) Verſ. 47. (b) Ad Corinth. 1. 3. v. 9.

§. V.

De verbo Dei ſcripto explicando, & legendo.

Scrutamini ſcripturas, quia vos putatis in ipſis vitam aeternam habere: Johannis 5. v. 39.

I. INter omnes, qui Chriſtiana Religione cenſentur, neminem prorſus eſſe arbitramur, cuius animus veneratione ſumma erga canonicos libros non afficiatur (a). Nam cum hos libros ſacri auctores Spiritu Sancto dictante exceperint, eos dubio procul certiſſimos, ac veriſſimos eſſe credimus, quemadmodum Auguſtinus lib. de civitate Dei 11. cap. 3., & lib. confeſs. cap. 15. & Epiſt. 7. ad Marcellinum, & Epiſt. 19. ad Hieron. & lib. 1. de Doctr. Chriſt. cap. 3.; & in proemio 3. libri de Trinitate docet, reſumit, inculcat; niſi enim fundamentum hoc fideliter jeceris, quidquid in Theologia ſuperſtruxeris, corruet, corruetque fides *Civitas illa Dei, cujus fundamenta in montibus ſanctis, & in ſcripturis Principum, qui fuerunt in ea* (b) quarum ſcripturarum author non eſt homo, ſed Deus, = *Dominus enim narrabit in ſcripturis populorum, & Principum horum, qui fuerunt in ea*. = Igitur haec ſcriptura *Turris David eſt, & mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (c), nec umquam *portae inferi praevalebunt adverſus eam* (d).

II. Proinde a fidelibus cunctis magni facienda eſt Biblia divina, eamque omnes, & praeſertim Clerici legere quam frequentiſſime débent, ut viam vitae addiſcant, & cognoſcant magnalia Dei, & intelligant voluntates ſuas. Sed volumen iſtud ſignatum eſt ſigillis ſeptem, & tot pene habet Sacramenta, quot verba. In actibus Apoſtolorum (e) Sanctus Eunuchus, cum legeret Iſaiam Prophetam, interrogatus a Philippo = *Putas ne intelligis quae legis?* = reſpondit = *quomodo poſſum, niſi aliquis me docuerit?* = *Ego*, inquit, Sanctus Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum, *ego nec ſanctior ſum hoc Eunucho, nec ſtudioſior, qui de Aethiopia, ideſt de extremis mun-*

(a) Melchior. Can. de locis Theolog. lib. 2. cap. 1.
(b) Pſalm. 86. v. 1. & 6.
(c) Cant. 4. v. 4.
(d) Matth. 16. v. 18.
(e) Cap. 8.

mundi finibus venit ad templum, reliquit AULAM REGIAM, *& tantus amator legis, divinaeque ſcientiae fuit, ut etiam in vehiculo legeret litteras ſacras. Et tamen cum librum teneret, & verba Domini cogitatione conciperet, lingua volveret, labiis perſonaret, ignorabat eum, quem in libro neſciens venerabatur. Venit Philippus, oſtendit ei Jeſum, qui clauſus latebat in littera. O mira Doctoris virtus! eadem hora credit Eunuchus, baptizatur, & fidelis, & ſanctus factus eſt, ac Magiſter de diſcipulo, plus in deſerto fonte Eccleſiae, quam in aurato Synagogae templo reperit: Haec a me* (concludit Doctorum maximus) *praeſcripta ſunt breviter, ut intelligeres, te in ſcripturis ſacris ſine praevio, & monſtrante ſemitam non poſſe ingredi* =.

III. Quare opportuniſſimo Spiritus Sancti afflatu Tridentini Patres ſeſſ. 5. cap. 1. de reformatione praeceperunt, ut in illis Eccleſiis, in quibus praebenda pro Lectoribus ſacrae Theologiae deputata reperitur, ii, qui praebendam obtinent ad ſacrae Scripturae expoſitionem, & interpretationem per ſeipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneum ſubſtitutum ab Epiſcopis eligendum etiam per ſubtractionem fructuum ab eisdem Epiſcopis cogantur, & compellantur.

IV. Juſſionibus mox recitatis praedicti Concilii obſequentes, cum in hac Cathedrali noſtra Canonicatus cum theologali praebenda erectus reperiatur, mandamus Canonico Theologo pro tempore exiſtenti, ut ſtatutis diebus, & horis arbitrio noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum deſignandis legat, & explicet materiam ſacrae Scripturae ab Ordinario aſſignaram, prout eidem pro cleri, & populi profectu videbitur magis expedire (a).

V. In caſu deficientiae idoneitatis in Canonico Theologo ad ſacrae Scripturae explanationem ſive a nobis, ſive a ſucceſſoribus noſtris de convenienti ſubſtituto providebitur etiam per fructuum ſubtractionem. Id quod fiet pariter, quando accidat, Canonicum Theologum diuturna, & incurabili infirmitate laborare (b).

VI. Canonicus Theologus in ſuis praeelectionibus eam adhibeat methodum, quam in Concilio Romano praefinit ſanctae memoriae Be-

(a) In Synodo Anagnina Dom. Baſſo p. 1. cap. 8. n. 2. Ex Sac. Congreg. Concilii in Brixien 11. Januarii 1594. cum allis ap. Petram ad Conſtit. Apoſt. tom. 4. pag. 255. n. 46., & 51. & ſeq.

(b) Ibi n. 3. ex eadem S. Congreg. in Aſtenz. ap. Criſp. viſit. paſtoral. par. 2. n. 23. n. 5.

Benedictus XIII. (a), enarrando prius, quae ſacri Textus littera praefert, inde ad auditorum utilitatem duas ſaltem eruat quaeſtiones, hiſtorialem unam, moralem alteram, quae circa fidei articulos, vel Sacramenta, aut eccleſiae ritus, eorumque myſteria, ſeu ſanam doctrinam chriſtianae inſtitutioni accomodatam verſetur.

VII. Ex laudato Romano Concilio quadraginta ad minus quotannis per ſe ipſum, vel per alios idoneos a nobis, ſi opus fuerit ſubſtituendos habeat lectiones (b), quibus, inhaerentes conſtitutioni ſanctae memoriae Benedicti XIII. incipien. *Paſtoralis officii* (c), tertiam redditurum praebendae theologalis partem diſtributionum loco reſpondere volumus, aequata ſingulis lectionibus congrua illorum portione, quos, ſi Theologus praeelectionum numerum compleverit, integre ſine ulla diminutione percipiet; ſin minus, eaſdem diſtributiones neglectis lectionibus reſpondentes amittet, quae eccleſiae ſacrario applicabuntur, dummodo nobis conſtiterit, eas non omiſſas fuiſſe ob culpabilem negligentiam, ac inſuper ſi res expoſtulet, ejus graviorem in ſuo obeundo munere negligentiam emendabimus, alterius Theologi Sacerdotis ſaecularis, vel regularis deputatione, cuius labori mox dictas diſtributiones cedere praecipiemus.

VIII. Qua die Canonicus Theologus legerit, a chori ſequela legitime vacare poſſe edicimus (d), atque perinde ac ſi praeſens fuerit, quotidianas lucrari diſtributiones. Id vero extendere uſque ad tres dies praelectionem antecedentes, Canonicis obſiſtentibus ſanctionibus, nequaquam poſſumus, ut olim Canonicus Theologus in uſu habebat vi conſtitutionum capitularium, quas in hac parte attendi nolumus (e).

IX. Quod, theologali canonicatu vacante menſibus Ordinarii, perſonae magis idoneae praevio concurſu ſeligendae conferri debeat juxta praeſcriptum in quinto Provinciali Mediolanenſi Concilio; & quod interim vacatione durante alteri Canonico ad id idoneo reper-

D to,

(a) In Conc. Romano anni 1725. tit. 1. cap. 8.

(b) Cit. Conc. cap. 7. Sac. Congr. Concil. in reſponſione Epiſcop. Ferentino data occaſione viſitationis SS. Liminum 24. Martii 1776.

(c) Editae 14. Kalendas Junii 1725. §. ceterum.

(d) Sac. Congr. Concil. in Mediolan. 1589. & in Limana 18. Junii 1622. ap. Bened. XIV. inſtit. Eccleſ. 107. §. 9. num. 55.

(e) S. Congr. Concil. in Anagnina 16. Decemb. 1645. Vide noſtram Appendicem n. 27.

to, seu alii extra capitulum ab Ordinario eligendo eius vices sint committendae, vacantis praebendae fructibus ei applicatis; & quod denique deficiente in clero saeculari sacerdote idoneo iidem fructus assignandi sint alicui Superiori Regularis Conventus, qui curet, ut aliquis Theologus ex suis regularibus huic muneri explendo sufficiens publice in Cathedrali doceat sacram Scripturam; quemadmodum etiam, quod cum in cathedrali nostra omnes fructus Canonicatuum in quotidianis distributionibus consistant, duae ex tribus partibus distributionum earumdem in eventu supra expresso, ut dictum est, applicandae erunt, relicta tertia, quae inservientibus accrescat. Haec omnia in Synodo ab Illmo Praedecessore nostro Johanne Baptista Basso celebrata iam laudabiliter constituta modo confirmamus, atque iterum sancimus (a).

X. Ne vero sermo effundatur, ubi non est auditus, provide sancit pluries paulo ante memoratum Concilium Romanum (b), ut Canonici, Parochi, & Confessarii (& etiam regulares sub poena suspensionis ab audiendis confessionibus, si in eorum monasteriis sacrae Scripturae lectio non habeatur) hujusmodi sacrorum librorum praelectionibus interesse omnino debeant, modo legitime impediti non fuerint: & nos praesenti nostro decreto ad id adstringimus saeculares sub trium juliorum poena, Regulares vero sub enunciata poena suspensionis ab audiendis confessionibus, si ut supra ediximus, in eorum coenobiis scripturalis lectio fieri non consueverit; quam tamen suspensionem non de jam lata, sed de ferenda sententia volumus esse intellectam (c).

§. VI.

(a) Par. 1. cap. 8. n. 7. ex S. Congr. Episcop. 26. Januari 1594.

(b) Conc. Rom. tit. 1. cap. 9.

(c) Tosi in Synodo 1. p. cap. 5. n. 2. 4. 5. 6. & 7.

§. VI.

De ſuperſtitionibus, & erroribus Fidei oppoſitis vitandis, & denunciandis.

Vani Filii hominum, mendaces Filii hominum, ut decipiant ipſi de vanitate in idipſum Pſal. 61. v. 9. *Die Eccleſiae. Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Matth. 18. v. 17.

I. QUamquam agrum Domini noſtrae curae commiſſum peſtifera haereſum zizania purgatum omnino eſſe plena, ac rationabili fiducia confidamus, qua de cauſa in his Synodalibus ſtatutis ſuperfluum reputavimus titulum nullum de Haereticis apponere, veremur tamen, ne ſaltem in dilecto Clero, vel chariſſimo populo noſtro occulte verſentur, aut in poſterum ſerpere poſſint nonnulli ex ſuperſtitioſis hominibus, in quos glorioſae memoriae Sixtus V. edidit celebrem conſtitutionem incipientem *Caeli, & Terrae Creator Deus* = In ea conſtitutione praelaudatus Pontifex enumerat, & exprobat multiformis vanitatis, ſuperbiae, curioſitatis, & ſacrilegii leviſſimos, ac temerarios ſectatores. Primi illi ſunt, qui falſam ſyderum, & aſtrorum ſcientiam profitentes, Divinaeque diſpoſitionis ordinationem ſuo tempore revelandam praevenire audaciſſime ſatagentes, hominum nativitates, ſeu genituras ex motu ſyderum, & aſtrorum curſu metiuntur, ac judicant futura, ſive etiam praeſentia, & praeterita occulta, atque ex puerorum ortu, & natali die, ſive quavis alia temporum, & monumentorum vaniſſima obſervatione, & notatione de uniuſcujuſque hominis ſtatu, conditione, vitae curſu, proſperis, & adverſis caſibus, & eventibus praecognoſcere, judicare, & affirmare temere praeſumunt, Et hi *Aſtrologi*, *Genethliaci*, & *Planetarii* vocantur. Alii ſunt, qui Necromantiae, & ſacrilegiis non ſine daemonum ſaltem occulta ſocietate, aut tacita pactione dant operam, ut futurarum & occultarum rerum notitiam praenoſcant; & hi *Gehomantes*, *Hydromantes*, *Aeromantes*, *Piromantes*, *Onomantes*, *Chiromantes*, *Necromantes* appellantur. Quidam ſunt, qui aliquas priſtinae, & antiquatae ae per

Crucis victoriam proſtratae Idolatriae reliquias retinentes, quibuſdam auguriis, auſpiciis, ſimilibuſque ſignis, & riſu excipiendis obſervationibus ad futurorum divinationem intendunt. Alii etiam ſunt, qui cum morte foedus ineunt, & pactum faciunt cum inferno, nam vel ut magia mirabilia faciant, vel ut divinatione ſciant occulta, & futura, vel ut maleficio, & veneficio ſive noceant, ſive ad amorem, aut odium alios inflamment, vel ut vanis adhibitis obſervationibus proſpera, aut adverſa conjiciant, (quae omnia ſunt impiae ſuperſtitionis ſpecies, de quibus pertractat S. Thomas 2.2. quaeſt. 96.) expreſſam cum diabolo pactionem faciunt, daemones invocant, & conſulunt, ab eis reſponſa petunt, aut accipiunt, eis preces, & thuris, & aliarum rerum ſuffimenta, ſeu fumigationes, aliave ſacrificia offerunt, candelas accendunt, aut rebus ſacris, vel Sacramentis, aut Sacramentalibus ſacrilege abutuntur, aut quaevis alia impietatis obſequia praeſtant, & cultum venerationemve tribuunt (a).

II. Timentes nos igitur, ne venenifera contagione tam execrabilium facinorum Dioeceſis noſtra contaminetur, in primis declaramus, expreſſam invocationem doemonis, vel pactum explicitum cum ipſo graviſſimum contra Religionem ſcelus eſſe, ſacrae Inquiſitionis judicio reſervatum; pactum vero implicitum cum doemone ſemper ſuſpicandum eſſe in omni re, ſive verbo cujus effectus, ad quem adhibetur, non poſſit a Deo, a natura, vel arte humana expectari; at certo pactum tacitum cum diabolo conjici, ſi abuſus ſacrorum intercesſerit, quemadmodum docet S. Antoninus in ſumma p. 2. tit. 12. cap. 1. §. 13.

III Deinde excommunicationem majorem ipſo facto denunciamus adverſus magos, divinos, maleficos, veneficos, ſtriges utriuſque ſexus, qui rebus, aut verbis ſacris abutentes, maleficio, ligatura, faſcino, incantatione, ſortilegio, malo carmine utuntur, ut perdant homines, & pecudes, aut in morbum conjiciant, vel excitent tempeſtates, theſauros inveniant, concilient affectum, vel demereantur, ſive ut ſancta nuptiarum foedera frangant, vel impediant, etiam non ſequuto effectu: cui etiam poenae ſubjaceant qui his operibus

(a) In Conſtit. Sixti V. 1588. Lanucci in Syn. tit. 1. cap. 7. num. 1., & ſeq., & Toſi in Syn. p. 1. cap. 13, n. 5. 6., & 8.

ribus praeſtant conſenſum, conſilium, vel auxilium ſcripto, lingua, vel manu: horumque abſolutionem nobis reſervamus, ut in prima tabula caſuum reſervatorum num. 2.

IV. Inſuper nemo ſit, qui ad aſtrologos judiciarios, augures, hariolos, genethliacos, ceteroſque id genus divinatores recurrat, vel ſciſcitetur, ut praenuncient futura contingentia, praecipue ſi humana voluntate eveniant, ſive prorſus occulta inquirant, (ſane quae percipere, & ſcire nequit mens humana) ſub poenis contentis in Bullis Apoſtolicis (a).

V. Praeterea diſtricte prohibemus eis, qui occulto, & iuſto Dei judicio diabolicae poteſtati ſubjacent, ne maleficium maleficio diſſolvere procurent, confugiendo ad magos, vel ſtriges; illoſque graviter admonemus, ut illum obſervent curationis modum, qui praeſcribitur in ſacris Canonibus, praeſertim canone *ſi per Sortiarias* 4. cauſa 33. quaeſt. 1. & in Rituali Romano tit. de exorcizandis; Quamvis nefas non ſit ſigna, vel res, quibus maleficium, vel pactum alligatum creditur, quaerere, & comburere.

VI. Addimus, punitos iri poena detentionis in carcere ſpatio ad minus duorum menſium, aliiſque tum afflictivis, tum pecuniariis poenis pro noſtro arbitratu quoſcumque ſexus utriuſque reperiemus ſimulaſſe impiam, & nefariam artem, ſeu profeſſionem faciendi, aut diſſolvendi ligaturas, quibus matrimonii uſus impediatur, ad finem extorquendi mercedem cujuſvis generis temporalem ab iis, qui de ſimulatione ab avaritia proficiſcente non cogitantes, putant revera, ipſos poſſe quod fingunt, & promittunt: pari etiam ſupplicio plectendos eſſe edicimus eos omnes utriuſque ſimiliter ſexus, qui dictorum ſimulantium ſe arte conficiendi, aut deſtruendi maleficia pollere, vel ſocios, adminiſtros, aut mediatores fuiſſe deprehendentur, vel neglexiſſe illos ad nos, vel Vicarium noſtrum Generalem denunciare, ſtatim ac de turpi eorum quaeſtu, & pravo artificio ſcientiam, aut notitiam quocumque modo habuerint.

VII. Ad tollendas quoque ſuperſtitiones, quibus ex ignorantia vulgares homines, & rudes mulieres inquinari quam frequentiſſime ſolent, mandamus Parochis, & animarum Rectoribus univerſis, ut hac de re ſemel, atque iterum quotannis plebes ſuas inſtruant, & doceant,

(b) Conſt. cit. Sixti V. qu. 17., & Conſt. *Inſcrutabilis* Urbani VIII. anni 1631.

ceant, ita ut intelligant, & ſciant, ſuperſtitioſum eſſe quemcumque expectare effectum a re qualibet, quam res illa nec ſui natura, nec ex inſtitutione divina, nec ex ordinatione, vel approbatione Eccleſiae producere poteſt (a). Ad ſuperſtitiones autem detegendas haec perpendant attente. 1. Superſtitioſe agi, ſi verborum, eſto ſancta ſint, tota reponatur virtus in futili aliqua, & vana circumſtantia, veluti ſi quis ad aegri ſanitatem putaret neceſſarium recitari orationem Dominicam ante ſolis ortum: 2. Si nomina, aut characteres obſcuri adhibeantur (quibus non raro ſunt referta amuleta) ad febres, morboſque curandos: 3. Si quod ſit, vanitatem, levitatemque redoleat, illudque agatur, ut aliquid ex eo praeter naturam ſequatur: 4. Demum, ſi piis, religioſiſque precationibus aliquae apocryphae, & incertae uniantur hiſtoriae, ſeu narrationes (b).

VIII. Praecipimus etiam Parochis, ceteriſque Eccleſiae Miniſtris, ut diligenter caveant, ne ipſi ſuperſtitionum abuſum ullo modo fovere videantur. Quare nullo etiam pietatis praetextu exorciſmos, aut preces, aut ritus uſurpent, qui ab Eccleſia probati non fuerint, aut frequenti, laudabilique uſu recepti (c).

IX. Denique mandamus omnibus, ne quiſquam familiariter agat cum Aegiptiis, quos vulgus Cingaros appellat, aut ab illis vaticinia exquirat, vel quidquam emat, nec de eorum furtis, & rapinis quoquo modo particeps fiat, ne praeſertim inquinetur ſuperſtitionibus, quibus vagum iſtud, & fallax, & rapax hominum genus operam dare conſuevit. Hinc Erronibus, & Cingaris moram ducere in Parochia, vel loco noſtrae Dioeceſis ultra triduum, praeſertim ſi ternarium numerum excedant, interdicimus, & prohibemus ſub poena carceris arbitrio noſtro.

X. Sed quoniam ſuperſtitiones, quas enunciatis Decretis coercere, & abolere conati fuimus, de die in diem pullulare poſſent, ad Fidei, Religioniſque integritatem, puritatemque vigilantiori ſtudio conſervandam opus eſt, ut de obligatione denunciandi a Fide

(a) Concil. Mechlinien. anni 1607. tit. 15. cap. 3. apud Nat. ab Alexand. lib. 4. de Decal. art. 13. reg. 18.

(b) Conſtit. Synod. S. Franciſci Saleſii p. 1. 3. cap. 11.

(c) Concil. Mediolan. 1. tit. de magicis artibus. S. Thom. 2. 2. quaeſt. 96. art. 1., & ſeq. Divina Teſtimonia PP., & Concilior. apud Natalem loc. cit. regula 17.

de aberrantes, ac in Fide ſuſpectos, quae noſtri muneris ſunt indicemus, ac decernamus: quapropter confirmantes, & innovantes ea, quae in Synodo Praedeceſſoris noſtri Johannis Baptiſtae Baſſi perleguntur par. 1. cap. 3. n. 1., omnibus, & ſingulis, quos Paſtoralis ditionis noſtrae ambitus complecti ur, cujuſcumque ſexus, ſeu conditionis exiſtant, diſtricte in Domino praecipimus, ut ſi quos in ovili noſtro veneficos, ſacrilegos, incantatores, divinatores, magos, blaſphemos haereticales, libros haereticorum legentes, aut retinentes, et generaliter verba proferentes, aut facta patrantes, quae haereſim redoleant, aut alias quomodolibet de haereſi ſuſpectos reperire quandoque contigerit, eos ad formam edicti ſanctae Romanae Eccleſiae, et univerſalis Inquiſitionis nobis, ſeu Vicario noſtro Generali denunciare ultra tempus triginta dierum in eodem Edicto praeſcriptum non differant, ne divinae indignationis gladium, et excommunicationis latae ſententiae poenam in eodem edicto comminatam ſubite cogantur, cujus quidem edicti perlegendi in hujus *Synodi Appendice n.* 2. tenorem ſummatim ſaltem bis ad minus in anno ſubjectis ſibi animabus perlegere, & publicare Parochorum curae erit, ut omnes de obligatione denunciandi ſibi impoſita opportune moneantur, videlicet prima Dominica Quadrageſimae, et prima Dominica Adventus.

CAPUT II.

Praecipitur Spes.

§. I.

Exprobatur vitium deſperationis.

Sperate id eo omnis congregatio Populi, effundite coram illo corda veſtra: Deus adjutor noſter in aeternum. Pſalm. 61. v. 8.

I. QUI ſcelerum ſuorum multitudine, ac gravitate territi veniam a Deo obtinere deſperant, enormiter peccant contra praeceptum ſpei non ſemel in Scripturis ſacris traditum, et inculcatum, et praeſertim Eccleſiaſtici 2. *Dirige viam tuam, & ſpera in illum = Qui timetis Dominum ſperate in illum*: Oseae

Oſeae 12. = *Spera in Deo ſemper* = Et 2. Petri 1. *Sperate in eam, quae vobis offertur, gratiam* = . Omnes autem, qui huic dulciſſimo mandato parere recuſant, fratricidium Cain imitantur, qui voce fraterni ſanguinis ad Dominum clamante ait = *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear* (a), & Chriſti traditorem Judam, qui ſanguinem juſtum tradendo, ſe peccaſſe cum profeſſus eſſet, abiens laqueo ſe ſuſpendit; de quo S. Auguſtinus ſcribit ſermon. 352., alias 27. inter Homilias, quinquageſima (b). *Judam traditorem non tam ſcelus, quod commiſit, quam indulgentiae deſperatio fecit penitus interire. Non erat dignus miſericordia, ideo ei non fulſit lumen in corde, ut ad ejus indulgentiam concurreret, quem tradiderat, ſicut illi, qui eum crucifixerunt, ſed deſperando ſe occidit, & laqueo ſuſpendit ſe, ſuffocavit ſe. Quod fecit in corpore ſuo, hoc factum eſt in anima ipſius. Spiritus enim dicitur etiam iſte ventus aeris hujus. Quomodo ergo qui ſibi collum ligant, inde ſe occidunt, quia non ad eos intrat ſpiritus aeris hujus, ſic illi, qui deſperant de indulgentia Dei, ipſa deſperatione intus ſe ſuffocant, ut eos Spiritus ſanctus viſitare non poſſit. Deus certe timendus eſt, ſed in eo ſperandum nihilominus eſt ſecundum illud* Pſalm. 146. *Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia ejus. Timuit eum Judas; ſed non ſperavit in miſericordia ipſius. Ergo ſic time Dominum: ut ſperes in miſericordia ejus: ſi times latronem, ab alio ſperas auxilium, non ab eo, quem times: poſcis auxilium ab eo, quem non times adverſus eum, quem times. Si ſic times Deum, & ideo times Deum, quia peccator es, a quo accepturus es auxilium adverſus Deum? Quo iturus es? Quid facturus? Vis ab illo fugere? Ad ipſum fuge. Vis fugere ab irato? Fuge ad placatum. Placabis autem eum, ſi ſperes in miſericordia ipſius, atque de cetero peccare caveas, ut de praeteritis depreceris, ut tibi dimittantur a Domino* = .

II. Hinc cunctis animarum Rectoribus vehementer injungimus, ut frequenter contra deſperationis vitium, cum plebes ſuas docent, & inſtruunt, declamare non deſinant, & praecipue volumus, ut eis

(a) Geneſis 4. v. 13.
(b) Et in enarratione in Pſalmum 146. apud Natalem ab Alexandro, lib. 4. de Decalogo art. 9. regula 2.

eis oſtendant, hoc vitium eſſe peccatorum omnium periculoſiſſimum, quemadmodum diſerte tradit Doctor Angelicus 2. 2. quaeſt. 20. art. 3. = *Deſperacio*, inquit, *eſt periculoſior, quia per ſpem revocamur a malis, & inducimur ad bona proſequenda, & ideo ſublata ſpe, irrefrenate homines labuntur in vitia, & a bonis operibus retrahuntur* =. Unde Gloſſa ſuper illud Proverbiorum 24. *Si deſperaveris laſſus in die anguſtiae, minuetur fortitudo tua*, = ait = *Nihil eſt execrabilius deſperatione, quam qui habet, & in generali hujus vitae laboribus, & quod pejus eſt, in fide certamine conſtantiam perdit* =. Quae Gloſſa ex venerabili Beda ſumpta eſt verbis aliquantulum immutatis. Quapropter S. Iſidorus lib. 2. Sententiarum, ſive de Summo Bono cap. 14. inquit = *Contemnere poenitentiam, & permanere in culpa, deſcendere in infernum poſt mortem eſt. Ergo peccare ad mortem pertinet, deſperare vero eſt in infernum deſcendere* =: Et inde refert illud Proverb. 18. = *Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit* = Unde S. Leo ſermone 3. de Paſſione Domini ait = *Chriſtus ſic ad omnium redemptionem utebatur malitia perſequentium, ut in mortis ejus, Reſurrectioniſque ſacramento etiam interfectores ſui poſſent ſalvi eſſe, ſi crederent. Unde ſceleſtior omnibus Juda, & infelicior extitiſti, quem non poenitentia revocavit ad Dominum, ſed deſperatio traxit ad laqueum* = (a).

III. Imponimus inſuper tum praedictis animarum Rectoribus, tum omnibus aliis, & Praedicatoribus, & Catechiſtis, ut ne dum de virtute ſpei ſaepe verba faciant, ſed etiam auditores edoceant, cui fundamento, & motivo ſpes chriſtiana innitatur, & quando urgeat obligatio eliciendi actum ſpei: Quid nempe ad ſpem noſtram conferant omnipotentia, veracitas, & miſericordia Dei; Quid merita infinita Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti; Quid opera bona a nobis peragenda; Quomodo neceſſarium ſit unicuique ſpe ſe praeparare ad juſtificationem, ſpe contra tentationem deſperationis dimicare, ſpe ſe diſponere ad imperrandum ea, quae oratione a Deo petuntur, ſpe, & expectatione futurorum bonorum in adverſitatibus conſolationem, & robur exquirere, ſpe potiſſimum in mortis articulo in divinam miſericordiam ſe conjicere, & ſic in manus miſerentis Domini

(a) Loc. cit. regula 6.

mini commendare ſpiritum ſuum? De quibus tamen Chriſtianae religionis elementis plerique inter hodiernos fideles inveniuntur ſufficienter imbuti. Etenim etſi infrequentes non ſint de Divina miſericordia ſermones, & conciones; at fere ſemper in hujus pertractatione argumenti principaliores ſpei Theologalis notiones, obligationes, & conſecutiones ſilentio praetermittuntur.

IV. Sed non ſolum aut inſufficientem, aut nullam de ſpe inſtructionem, & doctrinam fideles praeſertim illiterati, & rudes a nonnullis hodiernis animarum curatoribus audire ſolent, verumetiam, quod longe deteſtabilius eſt, ab eiſdem, qui ſpem in illis excitare, atque fovere deberent, deſperationis occaſiones, ſtimulos, & incentiva quandoque recipiunt, & habent. Quod tunc profecto accidit, cum Sacerdotes confeſſarii eos, qui ad Tribunal Poenitentiae accedunt gravibus onerati peccatis faſtidientes, ſtatim ac ſciant, aut ſuſpicentur, illos ſive per integrum anni ſpatium, ſive etiam per plures annos remedium ſacramentalis reconciliationis neglexiſſe, vel illud percipiendi indignos extitiſſe, vultu, voce, geſtibus indignationem, & abominationem oſtendentes jubent, ut a ſe recedant, & vel ad alios, nulla hoc exigente rationabili cauſa, remittunt, vel abſolute proteſtantur, ſe nolle pro hujuſmodi ſceleſtiſſimis Chriſtianis inutiliter & verba projicere, & tempus terere. Quare tempeſtate quotannis redeunte, in qua praeceptum adimplendum eſt Paſchalis Comunionis, fere omnes, qui ab altero Paſchate de patratis delictis exhomologeſim non peregerunt, turmatim conſpiciuntur in hac praecipue Civitate ab una in aliam eccleſiam divertere, medicos ſpiritualibus, quibus languent, vulneribus opportunos quaerentes, & minime invenientes. Ex quo conſequitur, ut in rabiem agantur, & poenitendi propoſitum deſperationi conſentientes immutent.

V. Hac de cauſa Confeſſariis univerſis in noſtra Dioeceſi degentibus, & maxime iis, qui in hac Civitate commorantur, tum ſaecularibus, tum regularibus ſub poena ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus a nobis, cum inobedientiam reſciverimus, ferenda injungimus, ut peccatores quoſcumque, praecipue Paſchalibus diebus ab eis poſtulantes, ut confeſſiones culparum ſuarum audiant, etiamſi dixerint, ſacramento poenitentiae ab anno, vel a pluribus annis

annis ſe uſos minime fuiſſe, omnibus caritatis paternae ſignis, & officiis excipiant, & patienter audiant, & ad abſolutionem tunc cum expediens, juſtum ac licitum juxta ſanae Moralis doctrine leges judicabunt, ſuſcipiendam ſalutaribus monitis, atque conſilis diſponant, invitando, alliciendo, & hortando, ut toties, quoties neceſſarium erit, ad eos ipſos redeant.

VI. Quod ut melius, & facilius executione impleatur, volumus, quod Confeſſarii in omni noſtra ditione exiſtentes interdum, imo ſaepiſſime in memoriam revocent ea, quae ſcripſit S. Gregorius Magnus Homilia xxxiv. in Evangelia poſt initium = *Audiſtis in lectione Evangelica, Fratres mei, quia peccatores, & publicani acceſſerunt ad Redemptorem noſtrum, & non ſolum ad colloquendum, ſed etiam ad conveſcendum recepti ſunt* (a), *quod videntes Phariſei dedignati ſunt. Ex qua re colligite, quia vera juſtitia compaſſionem habet, falſa juſtitia dedignationem, quamvis & juſti ſoleant recte peccatoribus dedignari. Sed aliud eſt, quod agitur typo ſuperbiae, aliud quod zelo diſciplinae. Dedignantur etenim, ſed non dedignantes; deſperant, ſed non deſperantes; perſecutionem commovent, ſed amantes, quia etſi foris increpatione per diſciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per caritatem ſervant. Praeponunt ſibi in animo ipſos plerumque, quos corrigunt, meliores exiſtimant eos quoque, quos judicant. Quod videlicet agentes, & per diſciplinam ſubditos, & per humilitatem cuſtodiunt ſemetipſos. At contra hi, qui de falſa juſtitia ſuperbire ſolent, ceteros quoſque deſpiciunt, nulla infirmantibus miſericordia condeſcendunt, & quo ſe peccatores eſſe non credunt, eo deterius peccatores ſiunt. De quorum profecto numero Phariſaei extiterunt, qui dijudicantes Dominum, quod peccatores ſuſciperet, arenti corde ipſum fontem miſericordiae reprehendebant.*

(a) Lucae cap. 15.

§. II.

Exprobatur vitium praeſumptionis.

Exiſtimas autem hoc, o homo, qui judicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies judicium Dei? An divitias bonitatis ejus & patientiae, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impoenitens cor theſaurizas tibi iram in die irae, & juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus. Ad Rom. 2. v. 3. 4. 5., & 6.

I. COntra ſpei chriſtianae praeceptum lethaliter peccant qui contendunt, ſe permanentes in peccato miſericordiam conſecuturos, aut ſi vitam quandoque in melius mutare proponant, id nihilominus ita in dies differunt, ac ſi de dono poenitentiae accipiendo certi eſſent, ac illi etiam, qui etſi crimina ſua deſerant, Deum tamen placare non ſatagunt ſatisfactoriis operibus. Id conſtat evidentiſſime ex S. Thoma (a). = *Circa ſpem*, inquit, *per quam aliquis de propria virtute confidit, attenditur praeſumptio ex hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum, ut ſibi poſſibile, quod ſuam facultatem excedit ſecundum quod dicitur Jud. 1. th* c. VI = *Praeſumentes de ſe humilias* = *& talis praeſumptio opponitur virtuti magnanimitatis. Circa ſpem autem, per quam aliquis inhaeret divinae potentiae, poteſt per immoderantiam eſſe praeſumptio in hoc, quod aliquis tendit in aliquod bonum, ut poſſibile per virtutem, & miſericordiam divinam, quod poſſibile non eſt; ſicut cum aliquis ſperat ſe veniam obtinere ſine poenitentia, vel gloriam ſine meritis. Haec autem praeſumptio eſt proprie ſpecies peccati in Spiritum ſanctum, quia per hujuſmodi praeſumptionem tollitur, vel contemnitur adjutorium Spiritus ſancti, per quod homo revocatur a peccato* (b). = *Peccare cum propoſito perſeverandi in peccatis ſub ſpe veniae ad praeſumptionem pertinet, & hoc non diminuit, ſed auget peccatum* = .

II. Quae cum ita ſe habeant, hortamur chariſſimos Filios noſtros

(a) S. Thom. 2. 2. quaeſt. 21. art. 1. (b) Et art. 2. in reſponſione ad 3.

ſtros praeſertim profeſſionis, & ſtatus ſaecularis, ne velint ſibi pelliceri, vel peccatorum ſuorum remiſſionem, vel aeternae beatitudinis conſecutionem, dum in ea vivendi perſiſtunt ratione, quam modo ipſi tenent, ut mundanis ſe conforment conſuetudinibus, tum in converſandi periculoſiſſima libertate, tum in carnalibus voluptatibus exquirendis perniciosiſſima occupatione, tum in divitiis comparandis inextinguibili ſiti, ac fame, tum in omnibus perpetuo omittendis religionis, & caritatis exercitiis, & officiis. Quod ſi in excuſationem, atque praeſidium mollis, delicatae, otioſae, quam ducunt vitae divinam putant valere poſſe clementiam, atque miſericordiam, ſciant, ſe in hoc vehementer decipi; tantum enim abeſt, quod iſta vana eorum fiducia divinae obſequatur benignitati, quantum manifeſtiſſime apparet, ipſos eſſe audaciſſimos praeſumptores, qui Dei irrident, & parvi faciunt clementiam, eamque ad iracundiam, atque juſtum furorem incitant. Audiant ſapientem Eccleſiaſtici v. contra eos clamantem = *Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui, & ne dixeris, quomodo potui? Aut quis me ſubjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit. Nec dixeris peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum, & ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt; multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius & in tempore vindictae diſperdet te* =. Audiant & Auguſtinum illuminantem, & increpantem eos enarratione in Pſalmum 144. Et ſpes, & deſperatio timenda eſt in peccatis = *Videte vocem deſperantis ad augenda peccata, & videte vocem ſperantis ad augenda peccata, & quomodo utrique voci occurrit providentia, & miſericordia Dei. Audi vocem deſperantis; jam inquit, damnandus ſum, quare non facio quidquid volo? Audi & vocem ſperantis; miſericordia Domini magna eſt; quando me convertero, d mittet mihi omnia, quare non facio quidquid volo? Deſperat ut peccet, ſperat, ut peccet. Utrumque metuendum eſt; utrumque periculoſum: vae a deſperatione, vae a perverſa*

verſa ſpe : utrique huic periculo , & utrique malo quomodo occurrit miſericordia Dei ? Quid dicis tu , qui deſperando volebas peccare ? Jam damnandus ſum , quare non facio quidquid volo ? Audi ſcripturam = Nolo mortem impii , tantum ut revertatur , & vivat = (a) *Hac voce Dei reducitur alius in ſpem , ſed timendus eſt alius laqueus , ne ipſa ſpe amplius peccet . Quid ergo & tu dicebas , qui ſpe magis peccas ? Quando me convertero , omnia mihi Deus dimittet , faciam quicquid volo . Audi & tu ſcripturam* (b): *= Ne tardes converti ad Dominum , neque differas de die in diem : ſubito enim veniet ira illius , & in tempore vindictae diſperdet te =. Noli ego dicere , cras me convertam , cras Deo placebo , & omnia hodierna , & heſterna dimittuntur mihi . Verum quidem dicis , quia Deus converſioni tuae indulgentiam promiſit , ſed dilationi tuae diem craſtinum non promiſit =.*

III. Praeterea jubemus cunctis animarum rectoribus , ac pariter omnibus in noſtra Dioeceſi , & praecipue in hac Civitate Praedicatoribus , ut frequentiſſime ſive cathechizando , ſive concionando auditoribus exponant , ac demonſtrent praeſumptionem , ſeu perverſam , & inordinatam confidentiam in divinam miſericordiam enormiſſimum peccatum eſſe , & in illud facilius , & ſaepius , quam in deſperationem incidere aetatis praeſertim noſtrae peccatores , qui confidunt , gloriam aeternam ſe aſſecuturos ſine jejuniis , ſine carnis conflictatione , & abſque laborioſis operibus , ita ut noſtri aevi fideles intelligant , quod Chriſtiani illi , qui abuſibus , & corruptelis etiamſi univerſaliter vigentibus , potius quam evangelicae doctrinae legibus inſervientes , vitam inſumunt in ludis , in conviviis , in ſolatiis , in promiſcuis virorum , & mulierum converſationibus , non ſperant in Deum , ſed Deum tentant : & quamvis non peccent peccato praeſumptionis proprie dictae , quae conjuncta cum haereſi eſt , ſunt tamen in continuo peccato incuriae propriae ſalutis aeternae , & perſeverant in peccatis ex nimia fiducia in divinam miſericordiam . Haec ſola craſſa negligentia , haec ſtupida torpedo , & indolentia in graviſſimo aeternae ſaluis negotio inexcuſabile , & maximum delictum eſt . Diuturna vero perſeverantia in peccatis ex ſpe divinae miſericordiae ſupplicium eſt divinae vindictae *ſpargentis* (juxta pervulgatiſſi-

(a) Ezech. 11. v. 11. (b) Eccl. 5. v. 8. , & 9.

tiſſimum Divi Auguſtini eloquium) *poenales caecitates ſuper illicitas cupiditates* (a).

IV. Monemus denique univerſos Filios, & Fratres noſtros, ut ſedulo curent orationis, mortificationis, & innocentiae ſtudio in via mandatorum Domini, neque ad dexteram declinare, neque ad ſiniſtram, aequo conatu devitantes tum praeſumptionis, tum deſperationis exceſſum. Etenim = *Cum primo* (ait S. Bernandus ſermone 87. de diverſis) *convertimur, pedes Domini oſculamur. Duo autem ſunt pedes Domini, miſericordia, & veritas. Hunc utrumque pedem Deus convertentium cordibus imprimit, & utrumque pedem peccator quiſque ſi vere convertitur, amplectitur. Si enim ſolam miſericordiam ſine veritate reciperet, per praeſumptionem caderet. Rurſus, ſi veritatem ſine miſericordia reciperet, nihilo minus per deſperationem periret. Sed ut ſiat ſalvus, ad utrumque pedem humiliter provolvitur, ut per veritatem peccata damnet, & per miſericordiam veniam ſperet.*

CAPUT III.

Praecipitur charitas erga Deum.

§. I.

De obligationibus annexis praecepto diligendi Deum ſuper omnia.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua; Hoc eſt maximum, & primum mandatum = Matth. 22. v. 37. = Ex Deuteronomio 6. v. 5.

I. PRobe ſcientes, pleroſque inter chriſtianos reperiri, qui aut raro, aut numquam mentis aciem figunt in praecipuo, quod eis incumbit debito amandi Deum, rogamus, & obſecramus cunctos ad noſtram ſpectantes Dioeceſim, ut ſerio, & aſſidue conſiderare non negligant praecepti diligendi Dominum vim, ejuſque intelligentiam inveſtigare, adducta hujus mandati verba = *Diliges ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente*, quibus alibi in ſacra Scri-

(a) Vide Concin. in Manuali Theol. Chriſt. Dogmatico-Moralis lib. 3. c. 10. n. 4.

Scriptura adjunctum legitur etiam = *ex tota fortitudine tua.* =Verba iſta commentatione ſua exponere volens Angelicus Doctor 2.2.q.44. art. 4. = *Praecipitur nobis*, inquit, *ut tota noſtra intentio feratur in Deum, quod eſt, ex toto corde, & quod intellectus noſter ſubdatur Deo, quod eſt ex tota mente, & quod appetitus noſter reguletur ſecundum Deum, quod eſt ex tota anima, & quod exterior actus noſter obediat Deo, quod eſt ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.* =

II. Hinc deteſtamur, reprobamus, ac deflemus amariſſime ſive ignorantiam, ſive perfidiam eorum omnium qui vel revera exiſtimant, vel falſo credere venditant, ſe Deum diligendi imperato obſequi, tametſi neque corde, neque mente, neque anima, neque viribus Deo ſe ſubjicere adnitantur, aut velint. = *Probatio dilectionis* (ait S. Gregorius homilia xxx. in Evangelia) *exhibitio eſt operis.* = Vere etenim Deum diligimus, & mandata ejus cuſtodimus, noſtras voluptates coarctamus. Nam qui adhuc per illicita diffluit, profecto Deum non amat, quia ei in ſua voluntate contradicit *Mihi videtur* (exclamavit S. Bernardus ſermone 20. in Cantica = *Amor quidem cordis ad velum pertinere affectionis, animae vero ad induſtriam, ſeu judicium rationis, virtutis autem dilectio ad animi poſſe referri conſtantiam, vel vigorem. Dilige ergo Dominum Deum toto, & pleno cordis affectu: Dilige tota rationis vigilantia, & circumſpectione: Dilige ex tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimeſcas* = Et ibidem paulo ſuperius dixerat = *Diſce, o chriſtiane a Chriſto, quemadmodum diligas Chriſtum. Diſce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter; Dulciter, ne illecti: prudenter, ne decepti: fortiter, ne oppreſſi ab amore Domini avertamur. Ne Mundi gloria, ſeu voluptatibus abducaris, dulceſcat tibi prae his ſapientia Chriſtus; ne ſeducaris ſpiritu mendacii, & erroris, luceſcat tibi veritas Chriſtus; ne adverſitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Chriſtus. Zelum tuum inflammet charitas, informet ſcientia, firmet conſtantia. Sit ferviduſ, ſit circumſpectus, ſit invictus. Et vide ne forte tria iſta tibi & in lege tradita fuerint, dicente Deo diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* =

III. Qua-

III. Quare Patrum doctrinae inhaerendo pro retundenda temeritate quamplurium depravati saeculi nostri fidelium putantium, praeceptum dilectionis Dei impletum iri eo solum, quod inani gloriatione dicatur = *Diligo Deum* = obligationes ab hoc mandato omnium primo, & gravissimo necessario consequentes, declarandas esse jubemus saepissime tum a Paroehis, tum a Praedicatoribus commisso nobis populo, cui & nos hie annunciamus divitiarum contemptum, carnis mortificationem, orationis assiduitatem, & alia christianae vitae officia praetermittenda non esse, ut recte faciliusque praeceptum amandi Deum adimpleatur. = *Si quis diligit me* (loquitur Christus Johannis 14.) *sermonem meum servabit*: *Qui non diligit me, sermones meos non servat*: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est qui diligit me*. = Fructus quippe observationis radicem indicat caritatis. Necesse est ergo, ut etiam omnia alia mandata serventur, ut mandatum de diligendo Deum servetur, & ob eamdem rationem ab Apostolo dicitur, *Plenitudo legis, dilectio*. =

IV. Praelucente nobis hujus manifestissimae veritatis face inquirere debemus, num praeceptum diligendi Deum adimpleatur in praesenti generali pene vivendi consuetudine tam aliena a divinae legis, ac voluntatis praescriptionibus? Legimus in sacris litteris = *Cum veniet filius hominis, putas fidem inveniet in terra*? Sed si fidem non inveniet, quanto minus caritatem? Contra ejus existentiam in christianis viventibus juxta dominantes dierum nostrorum hallucinationes innumera militant argumenta, quae omnia ab eorum vita moribusque petuntur = *Caritas*, teste Augustino, *secedit a se excedit a sensibus, ut se non sentiat, quae Deum sentit, imo quodammodo se sibi furatur, & a se labitur, ut se totam immergat in Deum*. = Ubinam quaeso hodiernae disciplinae christianorum caeleste illud gluten animum Deo jungens, vinculum illud perfectionis divinis nos connectens existit, eum videamus quae sua sunt fere omnes quaerere, & creaturis indivulso amore adhaerere? Caritas divina, caelestia semper animo agitat, quia quae amamus, libenter animo versamus, juxta illud Laurentii Justiniani tractatu de caritate cap. 1. = *Vis nosse quid amas? Attende quid cogitas*. Quid autem & mente revolvunt, & sermonibus ventitant regnantis corru-

ptelae christiani, quibus divinorum meditatio cruci est, caelestium colloquio fastidio non ferendo? Igitur non eis inest divina caritas, sed terrena cupiditas, quia, ut optime ait Augustinus in Psal. 121. = *Habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in animo amantis. Necesse est, ut ducat; sed vis nosse, qualis amor sit, vide quo ducat.* = Proinde cum solius nominis fideles isti in terram cogitatione, desiderio, opere ferantur, duci eos cupiditate, non Dei amore necesse est. Concionatores, & animarum Rectores optamus vehementer, ut consimili practico examine in hoc urgentissimo negotio auditores, atque plebanos suos instruere, illuminare, & corrigere diligentissime satagant.

V. Sed neque modo a nobis, neque unquam deinde a nostris in Pastorali officio Coadjutoribus altera reticenda est obligatio a praecepto diligendi Deum naturali consequentia dimanans. Ii, quibus imperatum fuit, ut Deum amarent, tenentur ad elicendos actus amoris Dei. Praeceptum amoris Dei speciale est, non generale, cui per aliorum praeceptorum adimpletionem satisfiat, ideoque non effectivus dumtaxat, sed effectivus amor Dei praecipitur hominibus. Ad vitam aeternam obtinendam requiritur amor non solum ex totis viribus, qui est amor effectivus, sed etiam ex toto corde, qui est amor affectivus, estque actus voluntatis Deum super omnia diligentis. Quantumcumque enim aliqui probare nitantur, posse Deum totis viribus amari absque amore affectivo, numquam tamen ostendent, posse christianum amare ex toto corde id, quod ei disertis verbis mandato legis praecipitur, absque ullo voluntatis affectu, sicut numquam etiam suadere cuique poterunt, posse hominem audire, videre, cogitare, & alicujus audiendi, videndi, cogitandique praeceptum adimplere sine actu auditus, visus, intellectus. Quin etiam opus externum, quodcumque illud sit, & quantumlibet heroicum foris appareat, si ab intentione, & interiori affectu cordis Deum amantis non derivetur, perperam *amor affectivus* nuncupabitur. Quapropter operatio ex praesupposito dilectionis affectu non profluens, chimera amoris est, non amor, merum phantasma, non dilectio, non vera caritas diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Quare verbum Dei inanissime ludificantur, praeceptumque caritatis ad nihilum redigunt, qui hujusmodi distinctionum fucum adhibent, ut lar-

larva pro veritate ſuppoſita rem ipſam, ideſt amoris divini obligationem abigant, chriſtianiſmi characterem deleant, & cor ipſum Religionis invadant. Interea ſcire oportet, errorem hunc imo potius hanc blaſphemiam de non imperato dilectionis actu, praecepto amandi Deum, fuiſſe proſcriptam ab Alexandro VII., a quo ſequens propoſitio damnata fuit = *Homo nullo unquam vitae ſuae tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & caritatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* =

VI. Volumus inſuper quod Parochorum, atque Praedicatorum repetita inſtructione compertum omnibus fiat, *Alexandrum VIII. die* 24. *Auguſti anni* 1690. declaraſſe haereticam, & prohibuiſſe ſub cenſuris, & poenis contra haereticos, & eorum fautores in jure expreſſis hanc propoſitionem = *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative: hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitae ſuae moralis* = & inſuper *Innocentium XI.* ſolemniter reprobaſſe tres alias propoſitiones, quarum prima fuit iſta = *An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus* = Secunda = *Probabile eſt ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare praeceptum caritatis erga Deum* = Tertia = *Tunc ſolum obligat, quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.* = A falſitate autem, ac impietate, quibus ſupremo Apoſtolico jam prolato judicio recenſitae propoſitiones ſunt refertae, cupimus, ut quicumque gregis noſtri ſunt, colligant, & eruant propriam obligationem ſaepius eliciendi divini amoris actum. Profecto hujuſmodi actum quem non ſemel tantum in vita, neque tunc ſolum, cum debet juſtificari, ſed ſaepiſſime elicere tenetur quam frequentiſſime quiſque poteſt, ipſum eliceat oportet. Peculiari tamen quodam debito ad hunc actum adſtringitur homo, & cum primum incipit ratione uti, quemadmodum invictiſſime probat S Thomas 1. 2. quaeſt. 89. art. 6. & cum ad juſtificationem praeparare ſe debet juxta Tridentini Concilii doctrinam ſeſſ. 6. cap. 6. & quando ingens aliquod beneficium a Deo accipit, & cum ad ſacroſanctam Euchariſtiam accedit, & cum gravi tentatione pulſatur, & quoties Deum ſpeciatim obligatur, aut vult colere aliquibus actibus religionis, adoratione, ſcilicet, ſacrificio, auditione ſacri, oratione, voto,

ſi tunc affectu lethalis peccati devinctus exiſtit, & cum Deum blaſphemiis impeti, ſacrilegiis inhonorari, contemni, aut gravi quopiam ſcelere offendi videt, & cum denique in mortis periculo conſtitutus ſit (a).

VII. Nolumus vero, aliquem eorum, noſtrae qui ſpirituali ditioni ſubſunt, arbitrari, quod extra numeratos caſus dilectionis Dei praeceptum ad divini amoris actus nullimode obliget. Etenim toto mortalis hujus vitae tempore divini amoris actus a caritate elicitos, vel imperatos exercere debemus quam frequentiſſime poſſumus, ita ut *omnia noſtra opera*, Apoſtolo 1. ad Corinth. 16. v. 14. ſuadente, *in caritate fiant*, & ſive manducemus, ſive bibamus, ſive aliud quid faciamus, omnia in gloriam Dei facta ſint, (Ad Corinth. 16. 10. v. 31.) ea videlicet referentes in Deum ſaltem virtualiter; = *Hoc enim*, inquit S. Thomas (b) *pertinet ad perfectionem caritatis, ad quam omnes tenentur*. = Hoc & Deus ipſe clariſſime expreſſit, nobiſque injunxit, dum poſt haec verba = *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex toto anima tua, & ex tota fortitudine tua*, ita proſequitur (c) = *Eruntque verba haec, quae ego praecipio tibi hodie in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis ſedens in Domo tua, & ambulans in itinere, & dormiens, atque conſurgens; & ligabis ea quaſi ſigna in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, ſcribeſque ea in limine, atque oſtiis Domus tuae* Non ergo ceſſatio ſedentis ab hoc amore debet ceſſare; non quies dormientis ab hoc amore quieſcere; non e vigilia conſurgentis neglecto hoc amore aliis intendere; non labor itinerantis ab hoc amore diſcedere, ſive domi, ſive foris, quocumque loco, quocumque tempore, quocumque in opere homo Dei amator eſſe debet (d). Nec vero de habitu inerti, & otioſo dilectionis loquitur Deus, ſed de caritate in frequentes actus prorumpente = *Sane dilectio vacare non poteſt*, inquit S. Auguſtinus praefatione in Pſalm. 31. *Habet omnis amor vim ſuam*, inquit idem S. Doctor in

(a) Vide Natalem ab Alexandro lib. 4. de Decalogo art. 10. reg. 4.

(b) S. Thom. in quaeſtionib. diſput. de caritate, art. 11. ad 2. Ita & S. Baſil. in Regulis fuſius diſput. interrog. 5. S. Ambroſ. lib. 2. in Lucam, n. 84. & S. Auguſt. lib. 1. de Doctr. Chriſt. c. 22.

(c) Deuteronom. 6. verſ. 5. 6. 7. 8. & 9.

(d) Conſule Abulenſem in cap. 6. Deuteronom. quaeſt. 3. & 4. Solide exponentem ejuſmodi praecepti verba.

in Pſalm. 121. Cum igitur momentis quoque ſingulis vitae hujus noſtrae praecepto caritatis urgeamur, non illa procul dubio motu, & actione frequenter carens praecipitur, ſed quae in actus amoris quam fieri poteſt frequentiſſimos erumpat. Praeoculis tamen habere optamus auream S. Thomae doctrinam ordinationis operum in Deum praeceptum mire pro more explanantis, & novatorum errores praedamnantis. Apoſtoli teſtimonium, inquit, = *poteſt intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative. Si negative, ſic eſt ſenſus, nihil contra Deum faciatis, & hoc modo praeceptum eſt, & ſic praeceptum hoc praeteritur vel per peccatum mortale, quod contra Deum fit, vel per peccatum veniale, quod praeter praeceptum, vel praeter Deum fit. Si autem intelligatur affirmative: hoc poteſt eſſe dupliciter, aut ita quod actualis relatio in Deum ſit conjuncta actioni noſtrae cuilibet, non quidem actu, ſed virtute, ſecundum quod virtus primae ordinationis manet in omnibus actionibus ſequentibus, ... & ſic adhuc praeceptum eſt: & ſic contingit omiſſionem eius eſſe venialem, aut mortalem, ſicut dictum eſt: vel ita quod ordinatio actualis in Deum ſit actu conjuncta cuilibet actioni noſtrae; & ſic eſt conſilium* = (a) = *Omnia enim actu referre in Deum non eſt poſſibile in hac vita, ſicut non eſt poſſibile, quod ſemper de Deo cogitetur; hoc quidem pertinet ad perfectionem patriae* (b). *Aliud praeter ea eſt habitualiter referre in Deum, & aliud virtualiter. Habitualiter refert in Deum, & qui nihil agit, nec actualiter intendit, ut dormiens, ſed virtualiter aliquid referri in Deum eſt agentis propter finem ordinantis in Deum; unde habitualiter referre in Deum non cadit ſub praecepto, ſed virtualiter referre omnia in Deum cadit ſub praecepto caritatis, cum hoc nihil aliud ſit, quam habere Deum ultimum finem* (c). =

VIII. Sed indicandum nobis remanet, quinam, & quotuplicis generis actus iſti divini amoris ſint. Sunt actus iſti habitualis caritatis effuſiones, halitus, reſpirationes, ſuſpiria, & internae dilectionis effectus ſigna, proteſtationes, & exercitia. In duas claſſes dividi poſſunt, in actus nempe amoris caſtae concupiſcentiae, & actus amoris perfectae amicitiae. Amor motus eſt, quo voluntas in bonum

(a) S. Thom. in 2. ſent. diſt. 40. art. 5. ad 7.
(b) De Carit. art. 11. citato.
(c) Ibid. 3.

num cognitum, ſeu apprehenſum rapitur, aut illud ſibi deſidetando, aut de eodem gaudendo, aut in eodem ſibi complacendo. Si amoris actibus Deo appropinquamus, eo quia nos creavit, redemit, conſervat, alit, protegit, actus dilectionis noſtrae proficiſcuntur ab amore caſtae concupiſcentiae. Si contra, amoris actibus Deum amplectimur, eo quia bonus, & dignus eſt, ut omnes illius amore ardeant, ut illi bonum velint, laudes ejus pangant, ipſum colant, actus dilectionis noſtrae procedunt ab amore perfectae amicitiae. Et quia amor concupiſcentiae imperfectior eſt, noſtraeque infirmae naturae conformior, ideo ab eodem ut plurimum initia ſumuntur. Quam ob rem in primis ſtricte jubemus cathechiſtis, concionatoribus, aliiſque verbi Dei in hac Dioeceſi diſpenſatoribus, ut auditorum capacitati ſeſe accomodantes enunciatarum rerum notitiam populo communicent, & deinde univerſos chariſſimos filios & dilectos fratres noſtros hortamur, ut poſt dilectionem Dei, quia nobis beneficus eſt, quam celerius ipſius Dei munere fieri poterit, aſcendere contendant ad ſublimiorem amandi Dei gradum, hoc ſcilicet impellente motivo, quod, ob ejus infinitas perfectiones omnium digniſſimus eſt creaturarum flagrantiſſimo amore (a): urque rurſus opera faciunt, nedum quoad ſubſtantiam, ſed & undique ex fine quoque bona ſint, omnia ſcilicet, quae agunt referentes virtute in Deum, ut in ultimum finem.

§. II.

De mediis adhibendis, ut praeceptum impleatur dilectionis Dei ſuper omnia.

Et dilexerunt eum in ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei: Cor autem eorum non erat rectum cum eo. Pſalm. 77. v. 40. & 41.

I. NE, dum gloriamur, quod Deum amamus, haec oris proteſtatio mendax ſit, opus eſt, ut id, quod lingua profert, illud etiam cor ſentiat, & proinde media opportuniſſima ad ſervandum de Deo diligendo mandatum ea certiſſime erunt, quae ad excitandum in cordibus noſtris Dei amorem conferre ſatis optime poſſunt. Nihil autem neque facilius, neque efficacius hoc unquam prae.

(a) Videſis Auctor. Theol. Chriſtian. Dogmatico-Moralis in manuali diſſ. 2. v. 3. n. 2.

praeſtabit, quam attenta, & aſſidua conſideratio mentis : cum ſcilicet fidei praeeunte lumine, cogitat vel Dei ſummam bonitatem, vel Dei beneficia, vel circumſtantias ipſas ejuſdem divini amoris praecepti. Hinc trium horum meditationes frequentes cunctis ad Clerum, populumque noſtrum pertinentibus ſuggerimus tamquam adjumenta ultima pro tanti communis noſtri debiti obſervatione, & ut nemo deſpicere, ſive parvipendere audeat adhortationem hanc noſtram in exponendo ea, quae conſideranda eſſe monuimus, aliquantulum hic immorandum eſſe exiſtimamus.

II. Primum itaque Deum mentibus veſtris contemplandum proponimus. Si pulchritudinem amatis, ecce quia pulcher eſt, ſi bonitatem, ipſe bonitas eſt, ſi juſtitiam, juſtus eſt, ſi ſinceritatem, ſincerus eſt, ſi liberalitatem, clementiam, benignitatem, mansuetudinem, aliaque, quae amorem concitant, omnia, in Deo tamquam in ſuo principio reſident. = *Ergo illum amemus*, ait S. Paulinus epiſtola 4., *quem amare debitum eſt; illum oſculemur, quem oſculari caſtitas eſt; illi copulemur, cui nupſiſſe caſtitas eſt; illi ſubjiciamur, ſub quo jacere ſupra modum erigi eſt; propter illum dejiciamur, cui cadere reſurrectio eſt, illi commoriamur, in quo vita eſt.* =

III. At quoniam divina excellentia, quam & rationis lumine, & fidei illuſtratione cognoſcimus, intellectum noſtrum adeo vincit, ut juxta vulgatiſſimum Theologorum effatum potius ſcire poſſimus in hoc mortali ſtatu, quid Deus non ſit, quam quid ſit, removendo a conceptu magnitudinis ſuae compoſitionem, dependentiam, infirmitatem, miſeriam, & quamcumque a nobis excogitabilem imperfectionem aliam, conformius profecto exiguae capacitati erit noſtra ejus ſenſibiliora beneficia in memoriam revocare. Sane cum noſtram creationem, conſervationem, & praeſertim redemptionem rememoramur, reminiſcimur beneficiorum indicibilium, quibus nos oneravit Deus, cui placuit theſauros omnes liberaliſſime pietatis ſuae in nos effundere, immo & qui poſt dona ſua nobis dedit ſeipſum, dedit ad patiendum, & moriendum, dedit indignis, dedit ingratis, & dedit gratis, nullis invitatus meritis, nullis excitatus promiſſis, ſed exaſperatus offenſis per viſcera miſericordiae ſuae viſitavit nos oriens ex alto, ut monſtraret, ſe amore noſtri

ſtri flagrare, & eo modo nos diligere, qui eſt ſine modo, & ſupra omnem modum; diligamus igitur eum, qui prior dilexit nos, tum amore praelationis videlicet omnia infra ipſum, in ipſo, & propter ipſum eligentes, & ut ait Cyprianus lib. de Oratione Dominica = *Diſcamus Chriſto nihil omnino praeponere, quia nec nobis quicquam ille praepoſuit* =; tum amore teneriſſimae ſuavitatis, ſeu caritatis earum habentes, guſtantes, & videntes, *quoniam ſuavis eſt Dominus, & bonus Iſrael Deus his qui recto ſunt corde*. Dulciſſimus eſt enim labor amantium, ſimilis laboribus venantium, aucupantium, & piſcantium, ut ait Auguſtinus, quia in eo quod amatur, non laboratur, & labor amatur. Certe indignus eſt corde, qui ſi non ſemper, ſaltem ſaepe actu non diligit illum, qui illuſionibus ſuis noſtros honores, deſolationibus ſuis conſolationes noſtras, ſervitute ſua libertatem noſtram, morte ſua vitam noſtram, & profunda ſui humiliatione peccantium exaltationem comparavit. Eſtne pectus adeo ferreum, adeo ſupra adamantem durum, quod non emolliat bonitas tam immenſa, quod non demulceat miſericordia tam excedens merita & vota, quod non flectant beneficia tam copioſa, denique quod non transfigat, & fere extinguat adeo inſperata opprimentis dilectio ſuavitatis (a)?

IV. Nova praedictis addunt amoris incentiva ipſius amandi praecepti circumſtantiae, quas nunc vobis curabimus explicare. Magna Dei bonitas, qui ſe amari jubeat a creatura ſua = *Quid tibi ſum ipſa*, inquit S. Auguſtinus lib. Confeſſionum cap. 5., *ut amari te jubeas a me, & niſi faciam, iraſcaris mihi, & minetis ingentes miſerias? Parva ne ipſa eſt, ſi non amem te* =? Magna certe miſeria, in cujus dumtaxat amore cor noſtrum conquieſcere poteſt ſecundum illud ejuſdem Auguſtini effatum (b) = *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Nam quoquoverſum ſe verterit anima hominis, ad dolores figitur alibi, praeter quam inte; tametſi figitur in pulchris extra te, & extra ſe . . . Eunt enim quo ibant, ut non ſint, & conſcindunt eam deſideriis peſtilentioſis: quoniam ipſa vult, & requieſcere amat in eis, quae amat; in illis autem non eſt ubi, quia non*

(a) Vincentius Contenſon tom. 3. pag. 133.

(b) Lib. 1. Confeſſ. cap. 1. lib. 4. cap. 10., & cap. 11. lib. 13. cap. 8., & 9.

non ſtant, fugiunt ... Noli eſſe vana, anima mea, & obſurdeſcere in aure cordis tumultu vanitatis tuae. Audi & tu: Verbum ipſum clamat, ut videas, & ibi eſt locus quietis imperturbabilis, ubi non deſeritur amor, ſi ipſe non deſerat ... Da mihi te Deus meus, redde te mihi, Te enim amo, & ſi parum eſt, amem validius. Non poſſum metiri, ut ſciam quantum deſit mihi amoris ad id, quod ſat eſt; ut currat vita mea amplexus tuos, nec avertatur, donec abſcondatur in abſcondito vultus tui: Hoc tantum ſcio, quia male mihi eſt praeter te non ſolum extra me, ſed & in me ipſo, & omnis mihi copia, quae Deus meus non eſt, egeſtas eſt. Pondus meum, amor meus, eo feror quocumque feror, dono tuo accendimur, & ſurſum feramur, inardeſcimus, & imus =. At urgentiori ſtimulo ad amandum compellit ceterarum circumſtantiarum hujus mandati conſideratio. Amicitiam noſtram ambit Deus, & ait = *Fili praebe mihi cor tum* = *Videamus quis petat: videamus, quid petat, videamus, a quo petat* = (a). Petit cor tuum Deus, cui antequam pereret, debebatur, petit ſupremus Dominus rem ſuam, quaſi alienam petit, & ſimul imperat; jubet enim, qui rogat, ſi poteſt imperare. Petit Dominus, qui ſine injuria dura praecipere poterat; petit ſumma ratio, cujus authoritas pro omni nobis ratione eſſe debet, quia, ut dicebat Nazianzenus oratione 5. = *Mihi eſt pro omni ratione apud ſummam illam rationem, nihil fieri ſine ratione* =. Petit benefactor amore praeveniens, gratiis demerens. Eſto autem, quod excuſationes obtendere, vel fingere poſſis, quod amore non dederis; quomodo excuſabere, ſi non reddideris? = *Non dare cuiquam vix licet, non reddere non licet* =, inquit Ambroſius, Petit adjutor amorem, qui auxilium infundit, ut ames; ignem enim venit mittere in terram, ut ſacram accenderet flammam, quae non conſumat, ſed perficit, non denigrat, vel infuſcat, ſed exornat, quaeve in caelo nata, & in ipſius Dei pectore enutrita ad caelum cor noſtrum ciet, & ſurſum tendit, unde manavit. Petit amorem amor, Deus enim caritas eſt, qui nonniſi amore natus artem amandi & verbis docuit, & monſtravit exemplis. Petit amorem Pater, qui mundum ſic dilexit, ut Filium ſuum unigenitum daret, quive videtur nos plus

(a) Apud Auctorem Theologiae mentis, & cordis tom. 2. pag. 483., & 484.

Filio ſuo quodammodo amaviſſe. *Evidens quippe res eſt* (praecla rus eſt Salviani lib. 4. de Providentia diſcurſus) *quod ſuper affectum Filiorum nos Deus dilgit, qui propter nos Filio non pepercit. Et quid plus addo? Et hoc Filio juſto, & Filio unigenito, & hoc Filio Deo*=: & quid dici amplius poteſt? Et hoc pro nobis, ideſt pro malis, pro impiiſſimis, pro iniquis. Quis aeſtimare hunc erga nos Dei amorem queat? niſi quod juſtitia Dei tanta eſt, ut in ea aliquid injuſtum cadere non poſſit. Nam quantum ad rationem humanam pertinet, injuſtam rem homo quilibet faceret, ſi pro peſſimis ſervis filium bonum occidiſſet. Ergo, ſi potes, non ama amatorem illum, cujus tui nimius amor excuſari ab injuſtitia non poſſet, niſi foret ſumma juſtitia = *Utique*, addit idem Pater, *haec magis inaeſtimabilis pietas, & haec mirabilis magis Dei virtus eſt, quod ita intelligi ab homine magnitudo ſuae juſtitiae non poteſt, in quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, pene injuſtitiae ſpeciem magnitudo juſtitiae habere videatur* =. Petit amorem Filius amore homo factus, ut fieret amabilior, quo ſimilior, Filius, qui artem amandi & verbis docuit, & factis, & morte conſumavit; nam in ultima mortis agonia conſtitutus inter morientis anguſtias, inter continuos dirae mortis dolores, inter innumera dilaniatae carnis vulnera, inter circumſtantium cuneos, inter latronis blaſphemias, & Judaeorum ſubſannantium deriſiones opprobrii oblitus & poenarum, ſolius meminit amoris, dum orare pro crucifixoribus veniam non ceſſavit. Occidite Judaei, & tortores laniate, ſanguinem e venis, vitam de corpore abſtrahite, evellite, extorquete, amorem de corde non extirpabitis. O Deum immortalem. & prae amore mortuum! Qualis iſte amans, qualis amor iſte, qui in tanti medio odii non minuitur, ſed veluti amabili antiperiſtaſi augetur? Quam dulcis amor, qui inter fellis amarorem, verbum bonum, & ſuave eructavit? Quam ſupra mortem dilectio, quam ſuper infernum dura aemulatio, quae nullo tam atrocium hoſtium impetu concuti potuit! Quam denique liberalis, & dives, qui impiorum injuriis, maledictis, furori nonniſi pietate, beneficentia, & amore reſpondit! Denique amorem petit Spiritus ſanctus, amor notionalis, flamma Trinitatis, ignis Dei, ignis Deus, ut te in Deum amore transformet, quem tot vitia deformem effecerunt.

Vi-

Videamus insuper, a quibus petit: liceat, te hominem a Deo parum interrogari. Tu, qui quidquid habes, quidquid futurus es, totum a me obtines, & mihi detrectas amorem? Tu, qui infinitis donis naturae, & gratiae, corporalibus, & spiritualibus, recentibus, & antiquis a me obrueris, tam magna data, & majora danda amore exsolvere dedignaris? Tu tot mihi peccatis debitor, tot in me, in proximum, in te tam crebro, tam perverse patrata scelera, amore redime, amore dele. Tu Legis novae professor, Evangelii auditor, Christi discipulus hanc unicam Christianissimi tesseram, qui amor est, indue, & demonstra. Tu immortalitatis candidatus totum Paradisi regnum amore eme, & *qui magna quaerit parva non expendes*? ut Cyrillus Alexandrinus loquitur. Tu tantillus a tali, & tanto amatus, redamare haeres? Itane possunt pignora sic amata non amari? Quid tantum mali commerui, ut mihi nec tamquam Patri amor, nec tamquam Domino reddatur obsequium? Quid plura? Si me Deum fortassis times, me homo dilige factum hominem; & si animum tuum tota Divinitatis majestas inflectere non potest, dum me hominem vides, inflexo cordis tui sensu, fractoque mentis callo dabis fortassis inclinatus humanitati, quod divinitati hactenus denegaras. Me in te amoris pignus respice, non incognitum, sed domesticum, non alienum, sed proprium, non mihi, & tibi extraneum, sed mihi simul, tibique commune, quod non ad invisibilis, & terribilis cogit dilectionem, sed ad tuae speciei revocat caritatem, nec id monet, ut alienum ames, sed fratrem, illumque diligas, quem si te amas, odisse non potes,

Denique quid petat, cogitemus: petit amorem. Nihil durum, nihil insolens, nihil difficile deprecatur. Amoris enim sor dulcedo. *Nihil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus*, inquiunt Augustinus, & Chrysologus: = *Ubi amor est, labor non est, sed sapor* =, subjungit Bernardus. Si dura Deus praeciperet, illa molliret = *Amor*, qui *omnia gravia, & difficilia facit facilia, & quasi nulla* =, ait doctus Idiota. Amor sapida reddit jejunia, catenas consecrat, torturas inungit, amara condire novit. Quam suavis igitur Christi Lex, quam dulce jugum, quam amandum quod petit onus, lex amoris, ju-

gum caritatis, onus dilectionis, quod non ſolum durum non eſt, ſed ſine quo dura ſunt omnia.

V. Propterea horum meditationem enixe vobis omnibus commendamus: etenim in hujuſmodi meditatione veſtra exardeſcet divini amoris ignis in cordibus veſtris.

VI. Sed & aliud inſinuandum ſupereſt medium, quo neglecto impoſſibile prorſus eſſet amoris Dei mandato ſatisfacere. Oportet nolle alia re frui praeter Deum, ac proinde retento mundi uſu, eius ſibi interdicere amorem: immo neceſſe eſt etiam mundum odio habere, illiuſque abuſivis legibus minime obtemperare, ejuſque irriſionem ſi ecci facere, & aſpernari. Hanc veritatem praeclare explicat S Auguſtinus lib 1. de Doctrina Chriſtiana triplicem rerum ordinem diſtinguens: = *Res aliae ſunt, quibus fruendum eſt, aliae, quibus utendum, aliae quae fruuntur, & utuntur. Illae, quibus fruendum eſt beatos nos faciunt. Iſiis, quibus utendum eſt, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, ut ad illa, quae nos beatos faciunt, pervenire, atque his inhaerere poſſimus. Nos vero, qui fruimur, & utimur, inter utraſque conſtituti, ſi eis, quibus utendum eſt, frui voluerimus, impeditur curſus noſter, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus, quibus fruendum eſt, obtinendis vel retardemur, vel revocemur inferiorum amore praepediti. Frui enim eſt amori alicujus rei inhaerere propter ſeipſam; uti autem, quod in uſum venerit ad id, quod amas referre, ſi tamen amandum eſt* =. Nam *uſus illicitus* abuſus potius, vel abuſio nominandus eſt. Quomodo ergo, ſi eſſemus peregrini, qui beate vivere, niſi in patria, non poſſemus, eaque peregrinatione utique miſeri, & miſeriam finire cupientes in patriam redire vellemus, opus eſſet vel terreſtribus, vel marinis vehiculis, quibus utendum eſſet, ut ad patriam, qua fruendum erat, pervenire valeremus; quod ſi amoenitates itineris, & ipſa geſtatio vehiculorum nos delectaret, & converſi ad fruendum his, quibus uti debuimus, nollemus cito viam finire, & perverſa ſuavitate implicati alienaremur a patria, cujus ſuavitas faceret beatos, ſic in hujus mortalitatis vita peregrinantes a Domino, ſi redire in patriam volumus, ubi beati eſſe poſſimus, utendum mundo eſt, non fruendum, ut inviſibilia Dei per ea, quae facta ſunt, intellecta conſpiciantur, hoc eſt ut de

cor-

corporalibus, temporalibuſque rebus aeterna, & ſpiritualia capiamus. Itaque ſolo Deo fruendum eſt, quia ei ſoli amore inhaerere debemus propter ipſum: cetera vero omnia ad ejus amorem referre tenemur = *Res, quibus fruendum eſt* (inquit idem Auguſtinus) *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, eademque Trinitas, una quaedam ſumma res, communiſque omnibus fruentibus ea* =. Nemine autem homine quamvis amiciſſimo frui debemus, quia nemo hominum propter ſe diligendus eſtiquod enim propter ſe diligendum eſt, in eo conſtituitur vita beata, cujus etiam ſi nondum res, tamen ſpes ejus nos hoc tempore conſolatur: *Maledictus quidem, qui ſpem ſuam ponit in homine* (a). Sed nec ſeipſo quiſquam frui debet, quia nec ſeipſum debet propter ſeipſum diligere, ſed propter illum, quo fruendum eſt. Rebus denique creatis debemus uti, non quaſi fixa obmanenteque quadam dilectione, atque delectatione, ſed tranſitoria potius tamquam viae, tamquam vehiculorum, vel aliorum quorumlibet inſtrumentorum, aut ſi quid congruentius dici poteſt, ut ea, quibus ferimur, propter illud, ad quod ferimur, diligamus. Multo minus ergo bona quaevis temporalia propter ſe ipſa diligere debemus, ſed ea poſſidere, vel in eis delectari debemus utentis modeſtia, non fruentis affectu, ſecundum illud Apoſtoli = *Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur* =(b). Illa pariter diligere non debemus, quatenus etiam nobis a Deo donantur, niſi ut arrham ſponſi, ut munera amici, ut beneficia Domini. Sponſa porro magis ſponſum amat, quam arrhas, ſi caſta ſit, & ſapiens; amicus magis amat amicum, quam ejus munera, ſi verus ſit, ac ſincerus amicus; ſervus fidelis magis amat Dominum, quam ejus beneficia. Temporalia quaevis bona retinacula ſunt ſpei noſtrae, impedimenta itineris, currusque noſtri, quo ad Deum tendere continuo debemus. *Amor rerum terrenarum viſcum eſt ſpiritualium pennarum* (inquit S Auguſtinus ſermone 122. alias 33. de verbis Domini (c).

VII. At volentibus Deum diligere non verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate, haud ſufficit, quod mundum non diligant; eis quoque opus eſt mundum contemnere, illicitis, vel etiam periculoſis ejus conſuetudinibus non ſe conformare, & gloriari in hoc, quod

(a) Jerem. 17. v. 5.
(b) Corinth. 7. v. 31.
(c) Apud Natalem ab Alexandro lib. 4. de Decalogo art. 10. regula 5.

quod ipſi mundo crucifixi ſint, & mundus ipſis. Cum enim evangelica doctrina compertum ſit, non eſſe de mundo quotquot caritatis amore Dei amici facti ſunt, dicente Chriſto Domino Johannis 15. Diſcipulis ſuis = *De mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo* =, quemadmodum odit mundus in Servis Dei ſanctae dilectionis fervorem, ita amantes Deum odio habent in mundo carnalium rerum affectum; quo fit mutua abominatione ſegregatos, contrarioſque eſſe debere & Dei famulos, & mundi ſectatores. = *Si mundus vos odit* (verba ſunt Divini Magiſtri, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti alloquentis Apoſtolos ſuos) *ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret; quia vero de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus* = (a).

VIII. Quae omnia injungimus animarum rectoribus, & confeſſariis etiam univerſis hujus noſtrae Dioeceſis, ut quibuſcumque ad poenitentiae remedium confluentibus, ſive ad catecheſim, ſive ad conciones inſinuent, atque declarent. Acerbo namque cordis dolore pungimur, & tabeſcimus conſpicientes maximam Filiorum, & Fratrum noſtrorum partem nullo prorſus angi ſcrupulo pro violato dilectionis Dei praecepto, etiamſi tantum abſit, ut deſpiciant mundi terriculamenta, & vaniſſimas adinventiones, quod potius ad hoc unice intendunt, ut mundo inſerviant, & placeant, & hoc vehementiſſime timent, quod poſſit mundus quidquam in eorum ſive veſtibus, ſive prandiis, ſive converſationibus, ſive verbis, ſive moribus reprehendere tamquam minus conſonum legibus ſuis.

CA-

(a) V. 18., & 19.

CAPUT IV.

Praecipitur caritas erga Proximum.

§. I.

De coercendis ſcandalis.

Omnis lex uno ſermone impletur, diliges proximum tuum, ſicut te ipſum = Ad Galatas 5. verſ. 14. *Videte, ne ab invicem conſumamini*, ibidem v. 15.

I. EAdem caritate & Deus, & proximus diligitur. Duplex praeceptum implet una virtus, & dum implet, univerſam legem complet, & Propheras. Finis enim legis dilectio. = *Duo iſti amores*, inquit Magnus Gregorius lib 7. Moral. cap 10. *Duo annuli ſunt, ſed catena una, duae actiones, ſed una virtus, duo opera, ſed una caritas, duo apud Deum merita, ſed unum ſine alio inveniri impoſſibile eſt* =. Intima quidem debet eſſe inter chriſtianos, & inviolabilis conſuetudo; nec vere Deum amat, qui proximum non diligit, quia ut alicubi ait Laurentius Juſtinianus = *Amor Dei amorem proximi generat, & amor proximi calefacit amorem Dei; Et propterea voluit Deus unicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, ut tamquam fratres omnes ſe amarent Haec cum ita ſint filioli mei, diligite alterutrum, ſi Deum amatis fratres veſtros amate eodem patre natos, eodem Deo conditos, ejuſdem legis diſcipulos, eodem Chriſti ſanguine redemptos, ejuſdem convivii Euchariſtici commenſales, ejuſdem gloriae cohaeredes, eiuſdemque corporis membra. Imitamini artuum, membrorumque naturalem caritatem. Unum membrum non nocet alteri; cum ab alio laeditur, non ſe vindicat, patienti alteri compatitur, indigenti accurrit, laboranti ſuccurrit, fatigato opitulatur, ſordeſcens mundat, infimo medetur, bene habenti congaudet, ſibi reputat fieri quod fit alteri, nihil tam timet, quam ab eo ſejungi* =. Amorem proximi tamquam unam chriſtianiſmi teſſeram praedicavit Legislator noſter = *In hoc cognoſcent*, inquit (a), *quia diſcipuli mei eſtis*

(a) Johannis 13.

eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. = Hoc praeceptum novum Teſtamentum interdum inculcat. Illud diſcipulis ſuis dilectus Diſcipulus aſſidue ingeminabat. = *Filioli*, inquiens, *diligite alterutrum, quia praeceptum Domini eſt, etſi ſolum fiat, ſufficit* (a). =

II. Cum autem tunc caritate diligamus proximum, quando eum diligimus propter Deum, neque poſſibile ſit proximum diligere propter Deum abſque eo, quod concupiſcamus ei vera aeterna bona, manifeſtiſſimum eſt, hujus praecepti violatores eſſe quoſcumque dantes alteri occaſionem ſpiritualis ruinae. Hinc ne inveniatur inter eos qui ante Filium Matris ſuae ſcandalum ponat, & juxta ſcripturae eloquium caritatis defectu, ſaeviendo in animam fratris ſui evadat homicida, ad ſcandala impedienda, quae ſequuntur, edicimus, & ſancimus. (*In Epiſt. Johannis 1. cap. 3. v. 15.*

III. Concubinarii, adulteri, inceſtuoſi, defloratores, raptores, nefandi criminis rei, aliique luxuriae ſceleſti homines poenis a jure, & in conſtitutionibus Apoſtolicis fulminatis in noſtra Dioeceſi omnino ſubjaceant. (b) Et quoad Concubinarios, cum noſtri juris ſit eos etiam abſque ulla monitione praecedente corporalibus poenis coercere juxta ſancitum a Sac. Congregatione Concilii die 23. Junii 1629. relat. a Ferrar. Biblioth. in verbo *Epiſcopus*, num. 41., hujus noſtrae authoritatis uſu illos pro modo culpae graviter puniemus.

IV. Quamvis in civitatibus majoribus, ubi mores ſolutiores ſunt ex diverſitate nationum, & hominum confluentium, quaedam mala tolerentur; in Civitate noſtra, quae non adeo ampla eſt, & populoſa, & in locis dioeceſis meretrices publicae nullibi tutam ſedem habeant (c); advenientes, in termino trium dierum a Vicariis eliminentur, & niſi paruerint, carcerentur, & publica fuſtigatione plectantur.

V. Quoniam nefaria lenonum arte mulierum pudicitia, poſtribulo, & virorum inſultibus exponitur, Vicariorum, & Parochorum conſcientiam oneramus, eiſque ſerio praecipimus, ut ſi quos alienae libi-

(a) Apud Auctor. Theologiae mentis, & cordis tom. 2. pag. 489.

(b) Trident. cap. 8. de reform. matrim. Leo X. conſtit. 20. *Primitiva*. S. Pius V. conſtit. v. *Cum primum*. Paulus IV. conſtit. 18. *Sanctiſſimus*.

(c) Deuter. 23. verſ. 17. S. Johannes Chryſoſt. orat. 17. Cornel. a Lapide in eccleſ. cap. 19. 3. §. 6.

libidinis mediatores in propriis locis, & Parochis ſibi reſpective commendatis dignoverint, eos, vel eas ad Vicarii noſtri Generalis notitiam deducant, qui juris ſervatis regulis juxta Bullam Pauli IV., quae incipit *Sanctiſſimus*, ad poenas rigoroſe procedat, ab univerſa dioeceſi expellat, vel alio modo in hujuſmodi diaboli inſtrumenta animadvertat.

VI. Parochi, & Confeſſarii facile promiſſis ne credant in ſacramentali confeſſione, ſi occurrant mulieres, vel viri vitio carnis infecti, qui in occaſione proxima voluntaria verſantur, vel habitualiter in ſtatu damnationis vivunt, ſed abſolutionis beneficium vel differant, vel negent; niſi prius cum effectu reſipuerint; ſimiliter qui in occaſione proxima non voluntaria ſunt conſtituti, in ſacramentali confeſſione non abſolvantur, niſi remedia praeſcripta a confeſſario ſedulo, & conſtanter adhibuerint, ut a peccato liberentur.

VII. In coeno luxuriae notorie verſantibus, ſive mulieres ſint, ſive viri, ita quod publici peccatores reputentur, ſacra communio non miniſtretur; defunctorum in ſtatu publico peccati corpora eccleſiaſticae ſepulturae non tradantur, ſed tamquam putrida diaboli membra a Chriſti corpore ſejuncta extra eccleſiam projiciantur (a).

VIII. Si notorii, & publici peccatores cum ſincera poenitentia abſolutionem ſacramentalem meruerint, ſciant Parochi, & confeſſarii, eos ſtatim non fore ad ſacram comunionem admittendos, niſi prius palam, & publice conſtiterit, ipſos removiſſe concubinas, aliaſque malas mulieres a domo, ſive infame damnationis exercitium dimiſiſſe, ut qui prius in medio populi petra ſcandali fuerunt, cum emendationis ſignis cunctis afferant aedificationem (b).

IX. Vicarii noſtri, & Parochi ex officio vigiles ſint, nobiſque referant, ſi quae publica ſcandala in diſtrictu, vel Parochia impudenter verſentur. Praecipue omnem curam adhibeant, ne viri, & mulieres advenae habitationem, & thorum communem habeant, niſi eis per teſtimoniales litteras ordinariorum conſtiterit, ſacro matrimonii vinculo eſſe conjunctos, rationem nobis, & Deo de negligentia reddituri.

X. Quam turpe ſit, & quantum clericorum nomini, qui ſe

(a) Canon. *Quaeſitum* & Canon. *Quibus* cauſa 33. qu. 2. cap. 2. de maled.

(b) Synod. Urbevetana ſeſſ. 2. cap. 5. n. 4. aliaeque paſſim.

divino cultui addixerunt, indignum reputetur, eos in impudicitiae ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis reipſa communi fidelium omnium offenſione, ſummoque clericalis militiae dedecore teſtatur (a). Hac igitur ſacri Concilii Tridentini, & noſtra execratione inferant eccleſiaſtici tam majorum, quam minorum ordinum in ipſos acerbe Nos animadverſuros poenis a ſacris canonibus ſtatutis, aliiſque modis arbitrio noſtro juxta circumſtantias, nedum ſi manifeſte in carnis vitiis immerſi deprehendantur, ſed etiam ſi mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo, vel extra detineant, aut cum ipſis converſationem, vel conſuetudinem habere audeant (b).

XI. Curioſitas puerorum, cum ſit prima aggreſſio contra caſtitatem, quia ab utero matris ſpecialem quamdam malitiam portant ad inveſtiganda ea, quae dedecent, juxta illud = *erraverunt ab utero* = Parochi, & confeſſarii, prout diligentiſſime poterunt, maximopere curent, ne genitores ſimul dormire ſinant filios grandiuſculos diverſi ſexus in eodem ſtrato, etſi frater, & ſoror ſint, ſupra aetatem quinque annorum. Et, quod eſt magis praecavendum, ne conjuges ſimul cum his pueris decumbant; comminantes unicuique diſtrictam Dei ultionem, qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis. Si vero genitores, & qui loco parentum curam puerorum gerunt, obtemperare monitis recuſent, vel negligant, poenis arbitrariis a Nobis compellentur, nec facile admittenda erit excuſatio paupertatis, deficientiae alterius ſtrati, anguſtiaeque domus, quominus hoc ſcandalum removeatur: cum humi potius jacere deberent vel genitores, vel filii, quam in culcitris cum peccandi evidenti periculo, ſicut in pluribus ſynodis magnae authoritatis animadvertitur (c).

XII. Quoniam autem praeter ea, de quibus ſciunt omnes eſſe proximo incentiva peccandi, & proinde peccata ſcandali, quamplura connumerari poſſunt, quae etſi reipſa ad peccandum adjuvent, vel excitent, tamen affectata ignorantia, aut deceptione orta a caeca animi adhaeſione doctoribus depravatae Theologiae moralis, nequaquam

(a) Trident. cap. 19. ſeſſ. 25. de reformat.

(b) Tridentinum loco citato.

(c) Synod. Etna 1683. Synod. Farſen. 1685. Synod. Sublacen. 1684. Synod. Civitat. Caſtellan. 1756. Vide Lanucci in Syn. tit. 1. cap. 8. n. 1. & ſeq. Genet. in Theolog. morali tom. 6. tract. 5. cap. 3., & tit. 7. tract. 7. cap. 21. qu. 10.

quam ſcandalum ingerere putantur. Idcirco Paſtoralis officii noſtri expoſcit ratio, ut hic dilectiſſimo clero, & populo noſtro ſignificemus, ſcandali facinus agnoſcendum eſſe, atque adeo evitandum in quammultis & dictis, & factis, quae communiter a tantae culpae malitia, ac damno creduntur immunia.

In primis tamquam ſcandala reprobamus cantilenas, impudicave colloquia verborum lenociniis, metaphoris, & allegoriis valde ſignificantibus tecta, quae reapſe nullo modo a ſcandali pravitate ſunt vacua, licet fiant recreationis praetextu, libros obſcoenos, & qui hodiedum otioſarum muliercularum, nedum juvenum manibus teruntur, verba contumelioſa irridentia, ſeu quocumque modo irritantia, ſententias pariter laxas in moralibus dubiis, efformationes ſimulacrorum, aut imaginum ad laſciviam provocantium, & hujuſmodi artefactorum detentionem, & conſervationem, & oſtenſionem, venditionem, vel emptionem.

Uti ſcandala inſuper deteſtamur, & ab omnibus improbari volumus, & mandamus nimios mulierum ornatus & illecebroſas earumdem nuditates. Etenim quidquid, ut ab hoc excuſentur crimine, a communi conſuetudine, quae dubio procul abuſus eſt, & corruptela, deducere ſolent nonnulli chriſtianae diſciplinae non doctores, ſed corruptores, experientia conſtat, eſſe libidinis, & ſordidi amoris fomenta. Quare ſuperfluitatem iſtam, iſtamque inverecundiam ſacrae litterae, & Eccleſiae Patres apertiſſime vetant, & damnant, id quod ſatis abunde probant *caput* III. *Iſaiae* IX. *Eccleſiaſtici*, VII. *Proverbiorum*, IX. 4. *libri Regum*, XIV. *libri Eſther*, VII. *Ezechielis*, *Pſalmus* CXLIII., *caput* III. *Epiſtolae* I. *Petri*, *caput* XI. *primae Pauli ad Timotheum*, & ad Patres quod attinet, *caput* XI. *libri Tertulliani de cultu foeminarum*, *liber de diſciplina*, & *habitu Virginum ſancti Cypriani*, *caput* XII. *libri* III *de doctrina chriſtiana*, *ſancti Auguſtini*, *Johannis Chryſoſtomi homilia* XVII *in Matthaeum*, *Gregorii Magni homilia* XL. *in Evangelia*, & *Hieronymi epiſtola ad Euſtochium*.

Inter ſcandala pariter computamus, & ut habeantur jubemus, ſive quod feminae placendi libidine, & oſtentandae pulchritudinis cupiditate vel alienos crines nequiter portant, vel minio ſe liniunt, ac ſtibio vultum adulterant, ſive quod ipſae practice non ignorantes, & pro-

babiliter praevidentes, ſe turpiter amandas a viris, quibus ſe conſpiciendas praebent, ſive ne hodierno vivendi mori contradicant, ſuos venuſtulos ſervulos, & ut verius dicamus, vilia mancipia habent, eorumque fruuntur ſervitute in inceſſu, in aſcenſu, in deſcenſu, & fere ſemper eos ad latera aſſidentes tenent, ſive quod denique ementito civilis commercii, & honeſtae recreationis titulo nocturna quotidie inſtituatur familiaris converſatio virorum, atque mulierum, ubi ſe ſe invicem illiciunt, & tentant ad caſtitatem, deſideriis ſaltem violandam.

XIII. In recenſitis, atque his conſimilibus modernae libertatis adinventionibus ſcandali deprehendimus culpam, cunctiſque coadjutoribus miniſterii noſtri injungimus, ut nobiſcum hoc ipſum ſentientes delinquentes cuiuſcumque gradus, ſtatus, conditionis, & ſexus inſtruant, admoneant, & ſacramentorum, quibus, uſque dum reſipiſcant, & corrigantur, indigni ſunt, denegatione terreant, & puniant. = *Neceſſe eſt enim, ut veniant ſcandala, verumtamen vae homini illi, per quem ſcandalum venit: vae Mundo a ſcandalis* = (a).

XIV. Sed cum ſciamus, eos ipſos, qui ſcandala proximo parant dictis, vel factis, inaniter ſibi adulari, putantes ſcandali reatum non incurrere, eo quia quae dicunt, ſeu agunt, neque loquuntur, neque faciunt voluntate alios in malum adducendi; ut tam pernicioſo errori aditum omnem ſe ſe diffundendi occludamus, notum cunctis eſſe volumus, & praeſertim vanis, & inverecundis mulieribus, quod ad committendum peccatum ſcandali non requiritur, ut male agens, aut loquens expreſſam intentionem habeat incitandi proximum ad peccandum, ſed ſat eſt, ut actio ponatur, aut dictum proferatur, quod ſuapte natura ad peccandum alliciat, & inducat: quemadmodum unanimiter docent ſanae Theologiae moralis doctores (b).

§. II.

(a) Matth. 18. v. 7. Vide Auctorem Theolog. Chriſt. Dogmatico-Mor. lib. 1. in in Decalog. diſſert. 11. de ſcandalo.

(b) Vide ipſum in manuali Theolog. Dogm. Mor. diſſ. 4. cap. 2. n. 3.

§. II.

De eleemoſynis erogandis.

Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? In epiſt. Johannis 1. cap. 3. v. 17.

I. SI pedem pungit ſpina, imperat caput, reſpiciunt oculi, curvantur humeri, accurrit manus, totum corpus contrahitur, omnia, & quaeque membra quod poſſunt faciunt, ut de infimo, & exiguo loco ſpina, quae inhaeſerat, educatur. Oculus videt in corpore; numquid ſoli ſibi? Abſit, & manui videt, & pedi videt, & omnibus quantum poteſt videt; pro membris ceteris manus operatur, pro tacentibus lingua loquitur: ergo ſi ſumus ejuſdem corporis membra, ſi Chriſtum caput cognoſcimus, ſi in Chriſto fratres ſumus, omnes amemus, pro ſingulis laboremus. Felix concordia fraternae caritatis, quae aliis dat quod habet, ab aliis accipit, quod non habet. Quam utilis caritas, quae aliena facit ſua, & congaudens aliis in illis habet, quo in ſe caret: unde Magnus Gregorius = *Quod tuum eſt per laborem, meum eſt per amorem* = (a). Ne autem ceſſet haec bonorum comunio, quam praeter naturae, & ſocietatis jura chriſtiana quoque caritas exigit, debito erogandi pauperibus eleemoſynas ſatisfacere debemus: & quoniam rei iſtius ignari, aut re vera ſunt, aut quod ſint ſimulant moderni divites, pro iis inſtruendis, ſive eorum duritie, & avaritia ab omni excuſatione expolianda, nonnulla ſcitu, & conſideratione digniſſima nunc illos edocere conabimur.

II. Quapropter ante omnia divitibus annunciamns eleemoſynam ipſis jure tum naturali, tum divino eſſe praeceptam. Sane Deus conditor, ac Pater omnium providentiſſimus eſt. Nihil eorum, quae edidit in lucem, negligit, aut obliviſcitur. Non modo jumentis foenum produxit, ſed foenum ipſum, quod eras in clibanum mittitur, liliaque agrorum ſic veſtit, ut nec Salomon omnium Regum potentiſſimus in omni gloria ſua tanta fuit venuſtate ornatus.

Quan-

(a) Vide Concin. in manuali Theologiae Dogm.Mor. diſſert.4. cap.4.n.3.

Quanto igitur longe majori ſtudio hominibus omnibus hujus mundi creaturarum praeſtantiſſimis providit ? Ideo ne divitiarum opulentiam filiorum ſuorum multis impertitur , ut ipſi affluerent , ceteris neceſſario victu deſtitutis ? Abſit de tanto Patre tam crudelis ſuſpicio . Sed ideo alios divites voluit , alios pauperes , ut omnes valido , perpetuoque nexu devinciret . Si omnes aeque divitiis aut affluerent , aut egerent , nulla eos inter neceſſitudo , nulla ſocietas eſſet . Nemo alterius ope egeret , nec alter alteri ſubjectus foret . Nemo ſervus , nemo dominus . Caritatis exercendae cauſa deeſſet , & paupertatis , egeſtatiſque patientia nulla occurreret . Pauper ergo , & dives duo ſunt extrema contraria , ſed duo maxime neceſſaria . Orbis praepotens effector Deus caeleſtibus irrigationibus terram ſubjectam voluit , omnes partes tam arctiſſimo nexu copulatas , ut ex hac aequabili harmonia , ordineque exactiſſimo omnibus compertum fieret , unius Dei arbitrio omnia moderari . Sic idem divitum , & pauperum Dominus altiſſimo diſpoſuit conſilio , ut plures penuria laborarent , & ceteri auro , argentoque affluerent , quo divites pauperum ſervitute , & pauperes divitum ope indigerent , illi caritatis , amoriſque ſtudium bona ſua diſtribuendo excolerent , iſti patientiae , humilitatiſque colendae materiam haberent . Qui igitur hunc ordinem , quo homines mutuo nectuntur , abrumpunt , a naturae legibus procul dubio recedunt . Naturae porro ordinem pervertunt , infringuntque divites , quoties penſionem terrenis bonis ab Authore naturae impoſitum ſolvere pauperibus negligunt . Quod eleemoſynarum tributum pauperibus ſolvendum jure quoque divino impoſitum fuiſſe manifeſtiſſimum eſt ex pluribus Scripturae textibus , quorum aliqui debitum preſſius evincunt , aliqui praemia eleemoſynis reſpondentia demonſtrant. Primi generis ſunt verba Deuteronomii 15. = *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae ; idcirco ego praecipio tibi , ut aperias manum fratri egeno , & pauperi , qui tecum verſatur in terra* = . Et verba Pauli cap. 6. 1. ad Timotheum = *Divitibus hujus ſaeculi praecipe . . . facile tribuere , communicare* = . Verba denique Chriſti Domini Matthaei 15. = *Diſcedite a me . . . eſurivi , & non dediſtis mihi manducare - . . hoſpes eram , & non collegiſtis me* = . Secundae autem claſſis ſunt inter alia pene innumera , & novi , & veteris Teſtamenti = *peccata tua elee-*

eleèmoſynis redime = . Danielis 4. = *Conclude eleemoſynam in corde pauperis , & haec pro te exorabit* = . Proverbiorum 19. = *Beatus qui intelligit ſuper egenum , & pauperem , in die mala liberabit eum Dominus* = . Pſalmorum 40.

III. Divites pariter docemus praecipuas circumſtantias , in quibus urget illos naturale hoc , divinumque mandatum . *Tempus* , inquit S. Thomas in 4. diſtinct. 15. quaeſt. 11. art. 1. quaeſtiuncula 4. ad 4. = *Tempus , ad quod obligat praeceptum de eleemoſynis faciendis , accipitur ex parte accipientis , & ex parte dantis . Ex parte accipientis , quando apparent ſigna probabilis extremae neceſſitatis futurae , niſi ei ſubveniatur , ut cum quis videt alios impotentes , vel pigros ad ſubveniendum , & pauperem cibo , & potu , & aliis ad vitam neceſſaris , nec ſibi ſatisfacere p ſſe . Non enim expectanda eſt ultima neceſſitas , quia tunc forte non poſſet juvari natura jam fame , vel ſiti conſumpta . . . Ex parte autem dantis , quando habet homo multa , quibus non indiget , neque ad ſuſtentationem vitae ſuae , & ſuorum , neque ad decentem ſtatus ſui conſervationem , etſi pauperes extremae neceſſitatis non compareant . Neque oportet occaſionem futurae neceſſitatis praetendere ultra probabilia ſigna futurae neceſſitatis , quia haec eſt ſuperflua ſollicitudo , quam Dominus prohibet* = . Matth. 6. = *Nolite ſolliciti eſſe dicentes : Quid manducabimus , aut quid bibemus , aut quo operiemur* = (a) ? Ex hac doctrina evidenter conſequitur , quod non ſolum in caſu extremae , aut gravis proximi miſeriae teneantur divites ei ſubvenire largitionibus opportunis , ſed debent etiam de bonis fortunae , quae ſibi ſuperſunt , congruentem partem ſubminiſtrare pauperibus communi neceſſitate laborantibus . = *Etenim dare eleemoſynam* (ait idem Angelicus Doctor (b) *de ſuperfluo eſt in praecepto, & ſimiliter eſt in praecepto dare eleemoſynam ei , qui eſt in extrema neceſſitate* = . Nam tertiae decimae , quas divites in veteri Lege cum pauperibus comedere debebant (c), in nova Lege augentur per hoc , quod Dominus non ſolum decimam partem , ſed etiam omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi ſecundum illud Lucae 11. = *Quod ſupereſt date eleemoſynam , & ecce omnia*

(a) V. 31.
(b) 2. 2. quaeſt. 32. art. 2.
(c) 2. 2. quaeſt. 87. art. 1. ad 4.

omnia munda ſunt vobis = (a). Porro bonorum, quae primum communia erant, partitio jure gentium invecta fuit. Hoc autem *Gentium jus*, ſeu humani generis conſenſus, cum fuerit in rerum diviſione aequiſſimus, nil aliud tamquam finem, quam hominum commodum, & tranquillitatem inſpexit. At ſi egentes homines continenter cum fame, & ſiti luctari deberent, ac divites ſuperfluis abundare, & ad libitum ſuperflua prodigere, nulla ratione ab injuſtitiae labe purgari poſſet hujuſmodi partitio. Idque non abs re inſinuandum duximus, eo quia inter alias a vera Chriſtiana Morali aberrantes opiniones circumfertur & iſta, minime nempe de dandis ſuperfluis extare mandatum, ſed tantum conſilium, neque debitum erogandi eleemoſynam urgere, niſi quando illam petat, qui in extrema neceſſitate ſit conſtitutus.

IV. Cum vero quaedam ſuperflua dici poſſint naturae, ſeu propriae naturali vitae, quaedam ſuperflua perſonae, ſeu ſtatui, quem in civili republica unuſquiſque tenet, opus eſt, ut divitibus innoteſcat, de quibus ſuperfluis diſtribuendae ſint eleemoſynae. Hinc illis declaramus, quod eis praeceptum eſt de ſuperfluis naturae ſublevare neceſſitatem extremam patientes, egenos tamen communes de ſuperfluis naturae, & ſtatui. Et quia, licet ab Innocentio XI. proſcripta fuerit ſequens propoſitio = *Vix in ſaecularibus invenies, etiam in Regibus ſuperfluum ſtatui, & ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui* =; nihilominus familiare eſt fere cunctis aevi noſtri divitibus & dicere, & credere, nulla ſuperflua proprio ſtatui ſe habere. = *Vidi* = ego multos jejunantes, orantes, praeteritorum poenitentia ſuſpirantes, omnem denique ſine ſumptu pietatem oſtendentes, egentibus vero ne obulum quidem praebentes. Quid his cetera virtutum diligentia prodeſt? Non propterea Regnum Dei conſequentur. Idcirco dicit Dominus = *Difficilius eſt divitem intrare in Regnum Caelorum, quam camelum per foramen acus* =. Hoc teſtimonium validum eſt: qui teſtatur, verus; perſuaſi vero, pauci. Quid miſer Judici reſpondebis? Parietem veſtis, hominemque non veſtis? Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aſpernaris? Frumentum retinendo perdis, eſurientes non reſpicis? Aurum in terram

(a) V. 41.

ram condis, & oppreſſum non curas? Quid ſi inſuper uxorem avaram habueris? Duplex tibi morbus creverit. Nugas haec, & delicias ardet, voluptatis illecebras tibi augebit, concupiſcentiae, & ſupervacanei ſtudii ſtimulum acuet. Circa margaritas, ſmaragdos, hyacintos, aurum ejus cura continuo verſatur. Hoc digitis aptat, illud veſtibus intexit, malumque viri per omnia probra exaggerat. Neque ſucceſſiva huic ſtudio tempora, verum ordinaria, noctes, atque dies tradit. Mille inſuper aſſentatores illius adſunt deſideriis, adducentes ſullones, aurifices, unguentarios, textores, diſcriminatores, qui ex illius imperio nullo tempore virum reſpirare ſinunt. Nullus item muliebri concupiſcentiae ſatis theſaurus, non ſi e fluminibus fluxerit; quandoquidem unguentum exoticum ex barbaris ita quaerunt, ut oleum e foro, & ex mari conchylia, purpuram, varioſque colorum flores, pluſquam ex ove lanam habere contendunt. Praeterea pretioſi lapides undique petiti auro innectuntur; alii ad ornandam cervicem, alii collo adaptantur, alii zonas locupletant, alii manus, pedeſque ornant. Gaudent auri cupidae feminae manicis ligari, dumtaxat ex auro ſit vinculum. Vir igitur muliebrem ſequens appetitum, quando animae curam geret? Sicut enim debilia navigia procellae, ac tempeſtates diſpergunt, atque inundant, ſic pravi uxorum affectus virorum debiles animos corrumpunt, atque peſſundant. = *Si audieris, vende omnia, & da pauperibus, ut vitam habeas aeternam*, moeſtus abis. *At ſi audieris, da pecuniam mulieribus, deliciis, lapidicidis, architectis, teſſalluriis, pictoribus, gaudes quaſi rem pecunia pretioſiorem aſſequaris* = (a). Laudati Patris, cujus hucuſque recitavimus venuſtiſſima eloquia veſtigiis inhaerentes, mendacio convincimus divites aetatis noſtrae, qui aſſerunt, ſe non habere ſuperflua paupertibus impertienda; teſtes ſuperfluorum, quibus abundant, advocamus, convivia opipara, veſtium luxum, uxorum pompas magnificentiſſimas, pecunias repoſitas, ludos, quos exercent, canes, aves, quas alunt (b).

V. Hinc graviter confeſſarios hortamur, ut caveant diligentiſſime, ne divitibus ad poenitentiae tribunal accedentibus quoquo

I modo

(a) S. Baſilius homilia 7.

(b) Vide Concin. in Theologia Chriſtiana Dogmatico Morali lib. 1. in Decalogum diſſert. 6.

modo adulentur: prae oculis habeant, quod etsi verum sit, bonorum superfluitatem non esse aliquo individuo puncto constituram, etsi verum sit etiam, non posse certam regulam designari, sive super altiori statu comparando, sive super patrimonio augendo intra sphaeram ejusdem status, etsi demum verum sit, licere divitibus plura in futurum servare vel ad dotandas filias, vel ad providendum liberis, vel ad onera Civitatis, aut Reipublicae sustinenda, vel ad alia incomoda, quae probabiliter evenire solent, reparanda, attamen in dubium revocari nequit, quin sub his titulis avara cupiditas, ambitio, & propr'us amor innumera effingat, quae praeceptum gravissimum dandi eleemosynam in nihilum redigunt. Illud est certum, superfluis divites abundare, omnibus oneribus sive presentibus, sive futuris pensatis: quare vana est plurium eorum excusatio, dum affirmant, se superfluis carere.

VI. Denique eosdem confessarios vigilantissimos esse volumus in exquirendo a divitibus ad se confluentibus, an praecepto erogandi eleemosynas satisfecerint, & in imponendo eis quantitem eleemosinae singulis aut mensibus, aut annis distribuendae proportionatam opibus, quas possident, aut pecuniis, quas lucrantur; neque Dioecesis nostrae poenitentiae administros latere confidimus, quod in hujusmodi quantitatis praefinitione non est una Theologorum sententia: etenim aliqui assignant decimam redditnum aut ex latifundiis, aut ex industria obvenientium partem, alii auctiorem, alii ampliorem mensuram praescribunt.

VII. Sed quia pauperum causam hucusque pro virili egimus, ne quidquam ad eorum levamen spectans omittamus, servanda quoque praecipimus ea, quae Benedictus XIV. in favorem egentium sive virorum, sive mulierum spicas a messoribus relictas colligentium paterna justitia, & caritate constituit in Apostolicis Literis in appendice exhibendis n. 40.

CA-

CAPUT V.

Praecipitur prudentia.

§. UNICUS.

De conſiliis in rebus dubiis petendis, ac de zelo diſcretione temperando.

Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbae. Matth. 10. v. 16.

I. PRudentia ſerpentis nobis praecipitur ad cavendum malum, ut quemadmodum ſerpens totum corpus pro ſervando capite obiicit perſequenti, ſic totius corporis periculo caput noſtrum, qui Chriſtus eſt, cuſtodiamus: & ſicut ſerpens per anguſtias ſe coarctans, veteri pelle exutus innovatur, ſic intrare, inquit S. Hieronymus, per anguſtam portam, & veterem hominem exuere teneamur. Columbarum autem ſimplicitatem commendat Chriſtus Dominus, ut nulli noceamus (a). Quare de prudentia moralium virtutum regina nonnulla vobis Nos dicturi, illa ſolum inculcabimus, quae magis ad animae pericula evitanda & ad melius ſaluti proximorum cooperandum conferre poſſe arbitramur, ſcilicet de conſiliis exquirendis, ut nonniſi Deo grata amplectamur, in quo S. Thomas primum prudentiae officium agnovit, ac de circumſpectione, ut non deficiat in zelo diſcretio, & ita non damnum proximo afferatur, ſed utilitas, id quod idem Angelicus Doctor inter partes integrantes prudentiae annumeravit (b).

II. Optimi conſilii in omnibus operibus noſtris, maximeque in rebus ad animae ſalutem pertinentibus neceſſitatem docet Spiritus Sanctus Proverbiorum 12. = *Via ſtulti recta in oculis ejus: qui autem ſapiens eſt, audit conſilia* = Et cap XIII. = *Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt. Qui autem agunt omnia cum conſilio, regunt ſapientiam* = Eccleſiaſtici 32. = *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non poenitebis* = & cap. 37. = *Ante omnia opera verbum*

(a) S. Hieronym. in cap. 10. ſancti Matthaei.

(b) S. Thomas 2. 2. quaeſt. 47. art. 8. & quaeſt. 51. Item S. Thom. quaeſt. 49. & quaeſt. 57. art. 9.

rax praecedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile =. Hac virtute inſtructus Jethro ſocer Moyſis optimum illi conſilium dedit de populi Iſrael gubernatione: (a) Hac exſtructus Nathan Propheta ſaluare conſilium dedit Bethſabeae matri Salomonis, ut regnum Filio a Davide impetraret (b). Hac virtute Moyſes, Samuel, Daniel, Joſeph excelluerunt, ut oſtendit S. Ambroſius lib. 2. de officiis cap. 10. & 11. = Verum illis ſolis conſiliis confidendum eſt, quae juſtitiae, & veritati niruntur. = *Quis enim ei ſe committet* (ait praelaudatus melliſluus Doctor) (c) *quem non putet plus ſapere, quam ipſe ſapiat, qui quaerit conſilium* ? = Neceſſe eſt igitur, ut praeſtantior ſit, a quo conſilium petitur, quam ille eſt qui petit. Quid enim conſulas hominem, quem non arbitreris poſſe melius aliquid reperire, quam ipſe intelligis ? Quod ſi cum inveneris, qui vivacitate ingenii, mentis vigore, atque auctoritate praeſtet, & accedat eo, ut exemplo, & uſu paratior ſit, praeſentia ſolvat pericula, proſpiciat futura, denuntiet imminentia, argumentum expediat, remedium ferat in tempore, paratus ſit non ſolum ad conſulendum, ſed etiam ad ſubveniendum, huic ita fides habetur, ut dicat qui conſilium petit, & *ſi mala mihi evenerint, per illum ſuſtineo* (d). Hujuſmodi igitur viro ſalutem noſtram, & exiſtimationem committimus, qui ſit juſtus, & prudens, ut nullus ſit *fraudis metus*, Facit etiam prudentia, ut nulla ſit erroris ſuſpicio: morum praeſertim probitate, & integritate florere illum neceſſe eſt, a quo conſilium quaerimus; = *quomodo enim* (ſubjungit praeclarus Mediolanenſium Antiſtes) (e) *quomodo enim potes judicare conſilio ſuperiorem, quem videas inferiorem moribus* ? *Supra me debet eſſe, cui me committere paro. An vero idoneum eum putabo, qui mihi det conſilium, quem non det ſibi* ? *& mihi eum vacare credam, qui ſibi non vacet* ? *cujus animum voluptates occupent, libido devincat, avaritia ſubjuget, cupiditas perturbet, quatiat metus* ? *Quomodo hic conſilii locus, ubi nullus quieti* ?.... *Omnia operatur prudentia, cum omnibus bonis habet conſortium. Nam quomodo poteſt velle conſilium dare, niſi habeat juſtitiam, ut induat conſtantiam, mortem non formidet, nullo terrore, nullo revocetur metu, nulla adulatione a vero declecten-*

(a) Exod. 18. v. 17.
(b) 2. Regum 1. v. 12.
(c) Lib. 2. de officiis cap. 8.
(d) Eccleſiaſt. 22. v. 31.
(e) Cap. 12. & 14. ejuſdem libri.

flectendum putet, exilium non refugiat, qui noverit sapienti patriam mundum esse, egestatem non timeat, qui nihil deesse sapienti sciat, cui totus mundus divitiarum est? Quid enim praecelsius illo viro, qui auro moveri nesciat, contemptum habeat pecuniarum, & veluti ex arce quadam despiciat hominum cupiditates? Ab hujusmodi viro consilium quaere, a viro inquam prudente, probo, benevolo, facili: si quis enim sapiens est, difficili tamen accessu, idem est, ac si aquae fontem praecludat.

III. Hinc praenotata boni consiliarii necessitate, atque utilitate, descriptisque dotibus, quibus pollere debet, ut nostrae aeternae felicitatis negotio manum admoveat adjutricem, serio monemus tam clericos, quam laicos filios nostros, ne dum oritur in mentibus eorum dubitatio aliqua circa honestatem vel deformitatem cujuscumque peragendi operis, haud negligant alienis consiliis sibi lucem comparare, & sequendam tuto regulam agnoscere, aut in re tanti momenti velint ad illos recurrere, qui neque pietatis fama, neque doctrinae laude ad id muneris aptos esse resciverint.

IV. Ad hanc adhortationem insinuandam omnibus tum cleri, tum populi nostri compellit detestabilis aliquorum abusus referendi occurrentes in praxi morales quaestiones non ad eos sive amicos, sive confessarios, sive Doctores, qui evangelii doctrinam probe callent, eamque intrepide tuentur, & tradunt, ac propriis comprobant moribus, sed ad concives, & professores, atque ecclesiae ministros illos, qui aut notorii fautores sunt laxiorum, & periculosiorum opinionum, aut in ecclesiasticis disciplinis nullimode instructi sunt, aut, cum vitiis ipsis indulgeant, criminosos non audent corrigere, aut denique ambitione capti omnibus placendi nonnisi ea loquuntur, quae audientibus sciunt esse pergrata. Quo fit manifestum, hodiernos christianos longe minus sollicitos esse de propriis in aeternum salvandis animabus, quam de conservanda mortalium corporum sanitate: siquidem corporales medicos sapientiores, & rigidiores exoptant: spirituales vero imperitiores, & benigniores ambiunt, & frequentant.

V. Ad discretionem quod attinet, in primis laudamus & concionatores, & Parochos, & confessarios, quibus familiare sit pravas decurrentis saeculi consuetudines acriter objurgare, & evangelicam do-

doctrinam cujuſcumque gradus, vel ſexus fidelibus impavida ſacerdotalis roboris conſtantia intimare. Sed pertimeſcentes, quod zeli fervore arrepti ipſorum aliqui eam aliquando non adhibeant in execratione modernae illicitae libertatis ſolertiam, & circumſpectionem, cujus defectu non ad emendationem, ſed ad iram, ac pertinaciam delinquentes adducerentur, diſtricte illis prohibemus verba quaecumque non peccatis modo, ſed peccatoribus quoque injurioſa, declamationes irriſorias, vel mordaces, praeteritiones indicantes res chriſtianae modeſtiae, & gravitati contrarias, motus etiam, & geſtus irreligioſos, vel ferociam exprimentes.

VI. Volumus itaque, quod diſpenſatores verbi divini, ac Sacramentorum Dei prae oculis habeant monita magni Gregorii, qui 3. part. Paſtoralis cap. 2. & 3. docet, rectorem animarum, & praedicatorem paleſtritarum more in diverſi lateris artes debere ſe vertere, & medicos imitari, qui tanta diſcretionis arte ſe temperant, ut uno eodemque tempore & languori obvient, & debilitati, ne fortibus remediis jurato morbo languor cum vita deficiat.

VII. Unicuique demum animarum curam habenti injungimus, ut zelum ſuum triplici illa conditione exornet, de qua loquutus fuit S. Bernardus ſermone XL. in Cantic. his verbis = *Zelum tuum inflammet caritas, informet ſcientia, firmet conſtantia, ſit fervidus, ſit circumſpectus, ſit invictus, nec teporem habeat, nec careat diſcretione, nec timidus ſit*.

CAPUT VI.

Praecipitur juſtitia.

§. I.

De obligatione colendi Deum ſacrificio orationis.

Scientes quod & vos Dominum habetis in Caelo, orationi inſtate vigilantes in ea in gratiarum actione. Ad Coloſſenſ. 4. v. 1. & 2.

I. CUm religio non immediate verſetur circa Deum ipſum, ut proprium formale objectum, ſicut fides, ſpes, & caritas, ſed circa cultum, & honorem Deo debitum, idcirco non theologica, ſed moralis

ralis virtus eſt, pars ſcilicet juſtitiae, omniumque moralium virtutum praeſtantiſſima, etenim per eam propinquius ad Deum accedimus. Inter praecipuos excellentiſſimae virtutis hujus internos actus connumeratur oratio. Neque ſolum religionis actus eſt oratio, verum etiam argumentum. Quamobrem in ſacris litteris rhymiamati comparatur (a) = *Dirigatur oratio mea* (inquit Prophera) *ſicut incenſum in conſpectu tuo* = Hinc Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtromatum ait = *Deum precibus honoramus, & hoc optimum, & ſanctiſſimum ſacrificium*; & S. Auguſtinus enarratione in Pſalm. 140. = *Oratio*, inquit, *pure directa de corde fideli, tamquam de ara ſancta ſurgit incenſum* Non extra nos quaerenda eſt victima; apud me oratio vitae meae: intus habeo victimam, quam immolem, thus, quod imponam, ſacrificium, quo flectam Deum meum: = *Dicam Deo, ſuſceptor meus es tu* (b). Hac ratione Deo ſubjectos nos eſſe profitemur, quem bonorum omnium authorem agnoſcimus, & praedicamus. Hac profeſſione maxime Deus honoratur: = *Invoca me*, inquit, *in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me* (c) =

II. Orandi igitur debitum fidelibus cunctis noſtrae ſpirituali ditioni ſubjectis & modo nos annunciamus, & frequentiſſime volumus, ut rectores animarum explicent, & inculcent. Siquidem orandi neceſſitatem probat praeceptum a Chriſto traditum, hiſque conceptum verbis Luc. 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere* = Idem probat dominicae orationis ſolemnis praefatio ab eccleſia uſurpata = *Praeceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere* = Ideo Chriſtus a diſcipulis rogatus, ut eos doceret orare, praeſcripſit eis orandi formam (d) = *Quid mirum? Deus ſolus docere potuit, ut ſe vellet orari* = (inquit Tertullianus lib. de oratione cap. 9.) Ab ipſo igitur ordinata religio orationis, & de ſpiritu ipſius jam tunc, cum ex ore divino ferretur, animata ſuo privilegio aſcendit in caelum, commendans Patri, quae Filius docuit. Attulit etiam ſpem impetrationis eorum, quae poſtularent, cum ait = *Petite, & accipietis* (e), *& amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* = *uſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo, petite, & accipietis, ut gau-*

(a) Pſalm. 140. verſ. 2.
(b) Pſalm. 41. verſ. 12.
(c) Pſalm. 49. v. 16.
(c) Lucae 22.
(d) Matth. 7.

gaudium veſtrum ſit plenum (a). Nec praecepto tantum, ſed exemplo nos orare docuit Salvator noſter, non ſolum aſſidue orans, ſed etiam in oratione pernoctans (b). Ejuſdem officii praecepta iis, qui Chriſto nomen dediſſent, Apoſtoli tradiderunt, ad Philippenſes 3. *In omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione petitiones veſtrae innoteſcant apud Deum*: = 1. ad Theſſalonicenſes = *Sine intermiſſione orate* = 1. ad Timotheum 2. = *Volo ergo viros orare in omni loco levantes puras manus ſine ira, & diſceptatione, ſimiliter & mulieres &c.*

Praeterea tam multis indigemus bonis, & commodis ad animum, & corpus tuendum neceſſariis, ut ad orationem confugere oporteat, tamquam ad unam omnium optimam, & indigentiae noſtrae interpretem, & conciliatricem eorum, quibus egemus. Nam cum nihil cuique debeat Deus, reliquum eſt, ut quae nobis opus ſunt, ab eo praecibus expetamus, tamquam ejus mendici. = *Ego vero egenus, & pauper ſum*, inquiebat, Rex David, *Deus adjuva me* = (c). Ego tamquam pupillus, anima mea tamquam vidua deſtituta, & deſolata auxilium quaero ſemper, infirmitatem meam confiteor. Ego vero egenus, & pauper. Donata ſunt mihi peccata, jam coepi ſequi praecepta Dei: adhuc tamen egenus, & pauper. Unde egenus, & pauper? Quia = *video in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meae* =. (d) Unde egenus & pauper? *Quia beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam* = (e), adhuc eſurio, adhuc ſitio: ſaturitas mea dilata eſt, non ablata. *Ego vero egenus, & pauper; Deus adjuva me*. Recte & Lazarus *adjutus* interpretari dicitur (f). Ille genus, & pauper, qui ablatus eſt in ſinum Abrahae, & gerit typum eccleſiae Dei, quae ſemper confiteri debet adjutorio ſibi opus eſſe. Hoc eſt verum, hoc eſt pium. *Dixi Domino, Deus meus es tu* (g). Quare? *Quoniam bonorum meorum non eges*. Ille non eget noſtri, nos egemus ipſius; ideo verus Dominus. Nam tu non valde verus Dominus ſervi tui: ambo homines, ambo egentes Deo. Si autem putas egere tui ſervum tuum, ut des panem, eges & tu ſervi tui, ut adjuvet labores tuos. Uterque veſtrum altero

ve-

(a) Johannis 16.
(b) Lucae 6. verſ. 12.
(c) Pſalm. 69.
(d) Ad Romanos 7.
(e) Matth. 5.
(f) Lucae 16.
(g) Pſalm. 15.

veſtrum indiget. Itaque nullus veſtrum vere Dominus, & nullus veſtrum vere ſervus: *Dixi Domino, Deus meus es tu*: Quare tu Dominus? *Quoniam bonorum meorum non eges*. Quid autem? *Ego vero egenus, & pauper*: Ecce egenus, & pauper; Paſcat Deus, ſublevet Deus, adjuvet Deus: *Deus*, inquit, *adjuva me* = Sic diſſerit S. Auguſtinus enarratione in Pſalm. 69.

Oramus porro, non ut divinae providentiae conſilia, & aeterna decreta immutemus, quod fieri non poteſt, ſed ut aeternam, immutabilem, & ſemper adorandam Dei voluntatem, quantum in nobis cum gratia ipſius eſt, impleamus, id impetrantibus quod pie poſtulantibus dare decrevit. *Obtineri quidem non poſſunt quae praedeſtinata non fuerint; ſed ea, quae ſancti viri orando efficiunt, ita praedeſtinata ſunt, ut precibus obtineantur. Nam ipſa quoque perennis Regni praedeſtinatio ita eſt ab omnipotenti Deo diſpoſita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſaecula diſpoſuit donare*. Verba ſunt S. Gregorii Magni lib. 1. Dialogorum cap. 8.

III. Quoniam autem pauci ſunt, quibus ignota ſit orandi obligatio, & inſuper fere omnes hodierni Chriſtiani conditiones acceptabilis, & efficacis orationis aut omnino ignorant, aut etiamſi illas ſciant, eas tamen negligunt, de requiſitis iſtis ad meritorie, & fructuoſe orandum aliquid nunc dicere credimus eſſe opportunum. Declaramus ergo univerſo clero, & populo noſtro, idque mandamus adminiſtris ſingulis, & coadjutoribus noſtris, ut ſaepe ſuis plebanis explicent, tria requiri ad hoc, quod oratio in Dei cedat honorem, nobiſque Dei impetret dona.

Ante omnia orandum eſt in ſpiritu, & veritate, quia *Deus ſpiritus eſt, & veros adoratores in ſpiritu, & veritate adorare oportet* (a), ideſt, *ex intimo, & ferventi animi ſtudio, ex flagranti Dei deſiderio, quo fides, ſpes, & caritas ſemper orant*, ut loquitur S. Auguſtinus epiſtol. 130. Haec orandi ratio propria eſt Chriſtianorum hominum, quibus Chriſtus illam praeſcripſit, Patrem tales quaerere docens, qui adorent eum. *In veritate*, hoc eſt abſque omni fuco orare; *in ſpiritu*, ideſt non voce ſolum,

(a) Johannis 4.

lum, ſed interiori praeſertim animi affectu: *Cum oratis* (inquit Chriſtus) *non eritis ſicut hypocritae triſtes, qui amant in plateis, & in angulis civitatis orare, & in ſynagogis, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, recepe unt mercedem ſuam. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito: & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi: orantes autem nolite multum loqui, ſicut Ethnici. Putant enim, quod in multiloquio ſuo exaudiantur: nolite ergo aſſimilari eis. Scit enim Pater veſter quid opus ſit vobis, antequam petatis eum* (a). Quae ſunt iſta cubicula, in quibus Chriſtus orare jubet oraturos, niſi ipſa corda, de quibus Pſalm. 4. dicitur = *Quae dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini* = ? Parum eſt intrare in cubicula, ſi oſtium pateat importunis, per quod oſtium ea, quae foris ſunt, improbe ſe ingerunt, & interiora noſtra appetunt. Foris autem ſunt omnia temporalia, & viſibilia, quae per oſtium, ideſt per carnalem ſenſum in cogitationes noſtras penetrant, & turba vanorum phantaſmatum orantibus obſtrepunt. Claudendum eſt ergo oſtium, ideſt carnali ſenſu reſiſtendum eſt, ut oratio ſpiritalis dirigatur ad Patrem, quae fit in intimis cordis, ubi oratur Pater in abſcondito (b).

Altera conditio ad recte orandum neceſſaria, eſt humilitas ſupplicantis, qua non ſolum Dei magnitudinem adoret, ſeque coram ejus divina Majeſtate deprimat, & abjiciat, dicens = *Loquar ad Dominum meum, cum ſim pulvis, & cinis* = (c), ſed etiam qua ſe reliquis hominibus longe indigniorem peccatorem exiſtimet: unde Iſaiae 64. Dominus ait = *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos* ? & Eccleſiaſtici 35. ſcriptum eſt: *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Odit Deus pauperem ſuperbum: Omnes porro quando oramus, mendici Dei ſumus. Ante januam magni Patris familias ſtamus, immo etiam proſternimur, ſupplices ingemiſcimus aliquid volentes accipere, & ipſum aliquid ipſe Deus eſt. Quid a te petit mendicus ? panem: & tu quid petis a Deo, niſi Chriſtum*, qui dicit: *Ego ſum panis vivus, qui de caelo deſcendi* = ? Verba ſunt S. Auguſtini ſermone 83., alias 15. de verbis Domini. Qui ſe coram Deo

(a) Matth. 6. (b) Auguſt. epiſtola citata. (c) Geneſi 18.

Deo ſpiritualibus praeſertim bonis divitem putat, is omnium hominum miſerrimus, & indigentiſſimus eſt: *Haec dicit amen teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturae Dei . . . Dicis, quod dives ſum, & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & caecus, & nudus* (a). Ad Deum igitur clamemus ita: *Ego vero egenus, & pauper ſum, Deus adjuva me* (b). Nec ſolum egeni, & pauperes ſumus, ſed & infirmi, & vulnerati, medicinali Salvatoris auxilio indigentes, quod in oratione imploramus, anima noſtra non eſt ſana ſine caritate. Nam ſanitas animae eſt caritas, quae in nobis non eſt ex nobis, ſed ex Deo, qui diffundit illam in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Sed & cum ſana mens eſt per gratiam, & caritatem, remanet ſemper infirmitas ſecundum carnem, in qua aliam legem ſentimus repugnantem legi mentis noſtrae, & captivantem nos in lege peccati. *Quis*, nos infelices homines, *liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum* (c). Humiliemus igitur animas noſtras, ut in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito orantes a Deo ſuſcipiamur, a ſummo animarum noſtrarum medico ſanemur. Semper humiles ſimus, quia ſumus infirmi, quamdiu hic vivimus, nec perfecta erit ſanitas, niſi quando plena erit immortalitas. Oremus in humilitate dicentes = *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum. Sana me Domine. Ad te Domine, clamabo, & ad Deum meum deprecabor* (d). *In Paradiſo non clamabas, ſed laudabas* (inquit S. Auguſtinus) (e), *non gemebas, ſed fruebaris: foris poſitus geme, & clama: propinquat tribulanti, qui deſeruit ſuperbientem. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.*

Tertium, quod exigitur, ut Deo grata, & utilis nobis ſit oratio, aſſiduitas eſt, atque perſeverantia, quae ſaepe impetrat, quod oratio alias impetrare non ſolet. Unde Chriſtus ait: *Oportet ſemper orare & non deficere*. Quantam autem vim habeat apud Deum aſſidua, & perſeverans oratio, duabus parabolis explicavit Salvator noſter. Prima eſt de judice iniquo, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur: Quem cum vidua ſedulo interpellaret, ut

(a) Apocalypſis 3.
(b) Pſalm. 69.
(c) Ad Rom. 7.
(d) Pſalm. 6., & Pſalm. 29.
(e) S. Auguſt. Enarrat. in Pſalm. 29.

illam vindicaret ab adverſariis ſuis, atque ille jus ipſi dicere diu recuſaſſet, tandem tamen mulieris importunitate victus, ejus poſtulationi conceſſit. *Quanto magis Deus faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die, ac nocte?* Lucae 2. Altera parabola eſt de homine, qui media nocte ad amicum accedens tres ab illo panes commodato petit, qui etſi non impetret, propter importunitatem, ſi perſeveraverit ad januam ejus pulſans, impetrabit quotquot ipſi neceſſaria ſunt: *Quanto magis Pater caeleſtis de caelo dabit ſpiritum bonum perſeveranter orantibus?* Huc ſpectant Apoſtolicae ſententiae, quae orationis aſſiduitatem commendant: *Sine intermiſſione orate* (inquit S. Paulus) (a), *in omnibus gratias agite: haec eſt enim voluntas Dei*. Id confirmat S. Jacobus cap. 5. epiſtolae ſuae. *Multum*, inquit, *valet deprecatio juſti aſſidua*. Elias homo erat ſimilis nobis, paſſibilis, & oratione oravit, ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et turſum oravit, & caelum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum. Sic autem intelligendum eſt divinum de aſſiduitate, & perpetuitate orationis praeceptum: (docuit S. Auguſtinus haereſi 53.) ut nullo ſcilicet die certa intermittantur orandi tempora, ſicut de Miphibooſeth dicitur 2. Reg. 6. *De menſa Regis jugiter veſcebatur*, ideſt quotidie ſtatutis horis. Intelligant proinde aetatis noſtrae ſolius nominis Chriſtiani, quod, ſi ad verae chriſtianae profeſſionis formam volunt propriam componere vitam, debent omnino determinatis horis in quacumque die orationi vacare: tempora vero, in quibus peculiari quadam ratione orandum eſt, ea dici debent, in quibus ad orationem excitant, & invitant exempla piorum fidelium, apud quos fuit ſemper in uſu orare in principio, & in fine cujuſcumque diei, & antequam cibum ſumerent, & poſtquam accepiſſent. Propterea Concionatoribus, Catechiſtis, & Parochis injungimus, ut de his inſtruant, & moneant auditores ſuos.

IV. Praeſertim autem optamus, quod praedictis conditionibus id populus, & clerus noſter a Deo petat, quo Dei voluntas in eorum orationibus impleatur. Quidquid juſtum, & honeſtum eſt, a Deo petere licet. *Quodcumque volueritis*, inquit Chriſtus, *peti-*

(a) 1. ad Theſſalon. 5.

petite, & fiet vobis (a), omnia ſe conceſſurum pollicetur, quae quidem nobis accipere conveniens fuerit. Verum hic ordo in bonis, quae petere debemus, aut poſſumus, ſervandus eſt, ut ea bona primum petamus, quibus nemo male uti poteſt, & quae malum eventum habere non poſſunt, ſcilicet Deum ſummum bonum noſtrum, ejuſque fruitionem, qua una beati eſſe poſſumus: *Fons enim noſtrae beatitudinis* eſt, ut loquebatur S. Auguſtinus, ipſe eſt omnis appetitionis finis, adeoque & orationis; tum gratiam, & virtutes, omniaque dona ſpiritualia, quibus beatitudinem meremur, & ad ipſam perducimur. Quae quidem abſolute petere poſſumus, & debemus ſecundum illud Pſalmi 79. *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus*. Et Pſalmus 118. *Deduc me Domine in ſemitam mandatorum tuorum*. Quamvis autem homo per ſe neſciat, quid ſit a Deo poſtulandum, tamen Spiritus ſanctus adjuvat infirmitatem noſtram, nobiſque inſpirando ſancta deſideria recte poſtulare nos facit: cum autem orando petimus ea, quae ad aeternam ſalutem noſtram pertinent, voluntatem noſtram divinae voluntati accomodamus; ſiquidem vult Deus, *omnes homines ſalvos fieri: & haec eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra* (b). Temporalia autem, & externa bona petere quidem licet, non tamen primario, ac praecipue, ut in eis finem conſtituamus, utque in eis requieſcamus, ſed ut adminicula quaedam, quibus juvamur, ut ad beatitudinem tendamus, quatenus ſcilicet per ea vita corporis ſuſtentatur, nobiſque inſtrumenta ſunt ad actus virtutum exercendos. Unde Salomon ſic Deum precabatur: *Tribue tantum victui meo neceſſaria* (c), & Apoſtolus praecipit divitibus hujus ſaeculi (d): *Non ſperare in incerto divitiarum ſed in Deo vivo*, (qui praeſtat nobis omnia abunde ad fruendum) bene inſuper agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam. Hinc S. Auguſtinus epiſtola 130. alias 121. cap. 6., & 7. explicans verba haec Apoſtoli = *Eſt quaeſtus magnus pietas cum ſufficientia* (e): ait: *Hanc ergo ſufficientiam non indecenter vult quiſquis vult, nec amplius vult. Alioquin non ipſam vult, nec ideo decenter vult... Vides*

(a) Johannis 15. ibidem.
(b) 1. ad Timoth. 2., & 1. Johannis 5.
(c) Proverb. 30.
(d) 1. ad Timoth. 6.
(e) Ibidem.

Vides certe iſtam ſufficientiam non appeti propter ſe ipſam, ſed propter ſalutem corporis, & congruentem habitum perſonae hominis, quo habitu non ſit inconveniens eis, cum quibus honeſte, officioſeque vivendum eſt. In his itaque omnibus incolumitas hominis, & amicitia propter ſe ipſa appetuntur. Sufficientia vero rerum neceſſariarum non propter ſe ipſam, ſed propter duo ſuperiora quaeri ſolet, cum decenter quaeritur ... Iſta cum habentur, teneantur, cum autem non habentur, orandum eſt ... Ad illam ergo unam vitam, qua cum Deo, & de Deo vivitur, cetera, quae utiliter, & decenter optantur, ſine dubio referenda ſunt. Ut quid ergo per multa diſpergimur, & quaerimus, quid oremus, ac non potius cum Pſalmo dicimus: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, ut contempler delectationem Dei, & viſitem templum ejus =. Primo igitur orandum, quaerendum, orandum eſt, ut obtineamus Regnum Dei, & juſtitiam ejus: temporale quodcumque bonum poſterius quaerendum eſt, & perendum: illud *tamquam bonum noſtrum*, hoc *tamquam neceſſarium noſtrum*, ut loquitur idem S. Auguſtinus lib. 2. de ſermone Domini in Monte cap. 16. Neceſſarium noſtrum appellat propter ſtatum hujus vitae mortalis; alioquin neceſſarium noſtrum vere, ac ſimpliciter ſalus aeterna eſt ſecundum illud oraculum Salvatoris noſtri: *Unum eſt neceſſarium*. Quod laudatus S. Doctor explicans ſermone 103. alias 26. de verbis Domini ait: *Unum eſt neceſſarium, unum illud ſupremum, unum ubi Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt unum. Ad hoc unum non nos perducit, niſi multi habeamus cor unum*. Volumus itaque, ut cariſſimis filiis noſtris ſive a Praedicatoribus, ſive ab Archipresbyteris, ſive a confeſſariis frequenter, atque vehementer inculcetur, illa dumtaxat petenda eſſe a Deo, quae illius voluntati probata, & accepta ſint (a). *Quodcumque petierimus* (inquit S. Johannes) *ſecundum voluntatem ejus, audiet nos. Haec eſt autem voluntas ejus ſanctificatio noſtra* (b).

§. II.

(a) 1. Johannis 5. Natal. ab Alexand. lib. 5. de orat. art. 2.
(b) 1. ad Theſſalon. 4. v. 3. Adiſis 6. & 9.

§. II.

De obligatione colendi Deum adimpletione votorum.

Colent eum in hoſtiis, & muneribus: & vota vovebunt Domino & ſolvent. Iſaiae cap. 19. v. 21.

I. INter Religionis actus externos tertium locum tenet votum, primum enim obtinet adoratio, & ſecundum, ſacrificium. Votum igitur, quod promiſſio deliberata eſt Deo facta de meliori bono, in ſupremae majeſtatis ejus honorem offertur; & non eſt in dubium revocandum, quod ad obſequium, & gloriam conferat ſanctiſſimi Nominis ſui. Hinc ante omnia commendamus admodum cultum, quem Domino exhibent voventes ei virtutis opera; & omnibus volumus notum ſit, melius, & laudabilius eſſe ſanctum quodcumque ſervare, aut agere ex voto, quam abſque voto: tum quia honeſtae, ac piae actiones ſic factae ſingulari quadam ratione ad Dei cultum referuntur, quaſi quaedam ſacrificia. Unde S. Auguſtinus lib. de ſancta Virginitate cap 8. ait: *Neque enim & ipſa quia virginitas eſt, ſed quia Deo dicata eſt honoratur, quae licet in carne ſervetur, ſpiritus tamen religione, ac devotione ſervatur*; ac per hoc ſpiritalis eſt etiam virginitas corporis, quam vovet, & ſervat continentia pietatis; tum quia ille, qui vovet aliquid & facit, ſe Deo magis ſubjicit, quam ille, qui ſolum facit: ſubjicit enim ſe Deo non ſolum quantum ad actum, ſed etiam quantum ad poteſtatem operis faciendi, nam obligat ſe, ne deinceps oppoſitum faciat: ſicut plus daret homini, qui daret illi arborem fructibus ſuaviſſimis onuſtam, quam qui fructus tantum offerret; tum denique, quia per votum voluntas firmatur in bono: majoris autem, ac perfectioris virtutis opus eſt, quod fit voluntate in bono firmata; ſicut peccatum, quod mente in malo obſtinata committitur, gravius eſt. Ex hac S. Thomae doctrina, quam tradidit ipſe 2. 2. quaeſt. 88. art. 6. conſequitur majorem gloriam paratam eſſe a Deo iis, qui vovent, & reddunt meliora bona, quae non imperavit, ut decet S. Auguſtinus lib. de ſancta virginitate cap. 14. *In vita aeterna.* inquit, *eſt quaedam egregia gloria non omnibus in*

in aeternum victuris, ſed quibuſdam ibi tribuenda, cui conſequendae parum eſt liberatum eſſe a peccatis, niſi aliquid ipſi liberatori voveatur, quod non ſit criminis non voviſſe, ac reddidiſſe ſit laudis. Qua de re eis, qui reliquerunt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum, promittit ipſe Salvator, fore ut in regeneratione, cum ſederit in ſede majeſtatis ſuae, ſedeant & ipſi ſuper thronos orbem judicaturi.

II. Deinde monemus ſerio quoſcumque ad meliora peragenda voto ſe obſtrictos agnoſcunt, ut non morentur reddere quod promiſerunt, ſuggerentes ipſis verba S. Auguſtini epiſt. 127 alias 45 ad Armentarium, & Paulinam conjuges, qui continentiam voverant: *Reddite quod voviſtis quia vos ipſi eſtis, & ei vos redditis a quo eſtis. Neque enim quod redditis reddendo minuetur, ſed potius ſervabitur, & augebitur.* Benignus enim exactor eſt, non egenus, & qui non creſcat ex redditis, ſed in ſe creſcere faciat redditores. Huic ergo, quod non redditur perditur: quod autem redditur, reddenti additur. Imo vero in eo, cui redditur, ipſe reddens ſervatur. Id ipſum quippe erit redditum, & redditor, quia id ipſum erat debitum, & debitor. Deo namque ſeipſum debet homo, eique reddendus eſt, ut beatus ſit, a quo accepit, ut ſit. Hoc ſignificat quod in Evangelio ait Dominus: *Reddite quae ſunt Caeſaris, Caeſari, & quae ſunt Dei, Deo* (a). Hoc enim dixit, cum demonſtrato nummo, & quaeſito, cujus haberet imaginem reſponſum eſſet, Caeſaris: ut hinc intelligerent, quod Deus exigeret ab homine imaginem ſuam in homine ipſo, ſicut Caeſar ſuam exigebat in nummo. Quanto magis ergo reddenda eſt, cum promittitur, cui etiam non promiſſa debetur? Sicut autem id, quod reddimus Deo, non eſt ei utile, ſed nobis, ita etiam promiſſio, qua aliquid vovemus, non cedit in ejus utilitatem, quia certior a nobis fieri non indiget de voluntate noſtra, ſed ad utilitatem noſtram, quatenus voto immobiliter voluntatem noſtram firmamus in bono quod promittimus, ut ratiocinatur S. Thomas loco citato art. 4.

III. Tandem nonnulla ad voti vinculum ſpectantia, quae in praxi ante oculos habenda ſunt, in omnium notitiam deducere curamus. 1. Non ſolum qui votum non ſolverit graviſſimi peccati reum ſe exi-

(a) Matth. 21.

ſe exiſtimet, ſed etiam ille, qui nullo legitimo impedimento intercedente voti adimplementum retardaverit ſecundum illud Deuteron. 23. v. 11. *Cum votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* 2. Si votum non fuerit mere perſonale, ſed de re, vel facto, quod ab aliis ſolvi poſſit, poſt voventis mortem ad haeredes tranſibit ſolvendi obligatio (a). 3. Confeſſarii quicumque ad ſacramentum Poenitentiae miniſtrandum a nobis probati facultatem ſibi non aſſumant diſpenſandi, abſolvendi, vel etiam vota commutandi, etſi fuerint Parochi, cum hujuſmodi poteſtas ſpectet ad ſummum Pontificem, Epiſcopos, alioſque in foro externo, juriſdictione fungentes erga ſibi ſubjectos (b) vel Pontificia ipſis delegata ex privilegio facultate donatos. 4. Qui facultatem a nobis obtinuerint commutandi vota, non intelligant ſibi datam diſpenſandi. Si ipſis conceſſa fuerit facultas etiam abſolvendi, & diſpenſandi, ea non utantur in praejudicium alterius, qui votum acceptaverit: neque manus apponant in tribus votis ſimplicibus ſummo Pontifici reſervatis, nimirum caſtitatis perpetuae, aſſumendi, vel profitendi regularem obſervantiam in Religione approbata, peregrinationis Hieroſolymitanae, Romanae, vel Compoſtellanae (c). 5. Sacerdotes muniti facultate legitima relaxandi, aut diſpenſandi vota, ut ea in aedificationem, & non in deſtructionem utantur, conſiderent diligentius diſpenſandae perſonae qualitatem, & cauſam verae utilitatis, vel neceſſitatis priuſquam vota relaxent, vel commutent (d). 6. Qui diſpenſandi in votis ſimplicibus facultatem habuerint, quamvis ad ea quoque juramento confirmata eam non pauci doctores extendant, tutius tamen ex mente etiam ſummorum Pontificum erit, ſi ab iis diſpenſandi, commutandiſve abſtineant (e); niſi eis etiam in votis juratis ſpecialis, & individualis data fuerit poteſtas, cum in his duo diverſa vincula inſint, ex voto nempe, & ex juramento, & qui unum ex iis ſolvendi auctoritatem habet, non continuo habere videatur

L diſſol-

(a) Cap. *Licet* de Voto, & voti redemp. Cap. *Si haeredes* de Teſtam.

(b) Synod. Sabinenſ. 1736. p. 2. cap. 2. n. 9.

(c) Cap. 1. de Voto extravag. ult. de poenit., & remiſſ.

(d) Cap. *De peregrinationis* 1. de Voto, & voti redempt.

(e) Benedictus XIV. in Encyclica ad Poenitentiarios pro Anno ſancto ſui Bullarii tom. 3. §. 43., & 44.

diſſolvendi & alterum, ni individualiter ei concedatur. 7. Quilibet confeſſariorum caveat, ſi quando quavis facultate, auctoritate eis licebit cauſa ſubſiſtente poenitentium vota commutare, ne ea commutent, niſi in alia majora pietatis opera, vel Deo gratiora, vel ſaltem quae tantidem valeant: qua in re judicanda rationem habeant, & ſumptuum, & laborum, & moleſtiarum, quae poenitentes perpeſſuri erant, ſi votum, quod ſancte conceperant, reipſa praeſtitiſſent (a). Si vero confeſſariis data ſit aliquando facultas vota commutandi, diſpenſandi, caveant diligenter, ne plus ſolvant, quam commutent, aliqualem moderatam, non exorbitantem ſervantes inaequalitatem inter materiam voti, & materiam ſubrogatam (b).

§. III.

De obligatione ſpeciali praeſtandi Deo cultum in eccleſiis.

In templo ejus omnes dicent gloriam. Pſal. 28. v. 8.

I. QUamvis in omni loco Deus orari poſſit, ac debeat, qui ubique praeſens eſt, quemdam tamen ſpeciatim ad id deſtinatum, conſecratumque locum ſibi Dominus elegit, ad quem fideles conveniant, ejus majeſtati ſupplicaturi; non quaſi ipſe loco indigeat, ſed ut nos per corporalem domum, quae *Domus orationis*, & *Domus ipſius* ſingulari quadam ratione dicitur, & in qua omnia ad pietatem provocant, ad ferventius orandum excitent; quod ſi templum Salomonis Deus ſanctificavit, ibique oculos ſuos, & cor ſuum futurum promiſit (c), ut populi ſui preces exaudiret, ſi Apoſtoli accepto etiam Spiritu ſancto (d) templum illud orationis gratia frequentabant, multo magis templis noſtris benedicit, in quibus Chriſti Jeſu corpus offertur, conſecratur, ſumitur, aſſervatur. Si ubi duo, vel tres congregati ſunt in nomine Chriſti, ipſe in medio eorum eſt, multo magis, cum tota ad eum laudandum, & orandum convenit eccleſia, illic medius aderit.

(a) Concil. 3. Mediolanen. ſub S. Carolo tit. quae ad poenitent. ſacram. pertinent §. Epiſc. . & ſeq., & cap. *Venientis*, & C. *Magnae* de Voto.

(b) Benedictus XIV. Encycl. cit. §. 45. & ſeq. Toſi in Synod. Lanucci in Synod.

(c) 3. Regum 8., & 9.

(d) Actorum 2., & 3.

rit. Major certe eſt vis orationis, quae a multis offertur & in domo ejus, quae orationis domus eſt ex cunctis gentibus: unde Prophe-ta ait = *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo* (a).

Quanta porro veneratione, reverentia, modeſtia in domo Dei adeſſe debeamus, Chriſti factum oſtendit, qui compacto ex funiculis flagello ejecit e templo Salomonis vendentes oves, & boves, & columbas, & menſas nummulariorum evertit dicens = *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis* = (b). Non ut alias Angeli miniſterio Adamum e Paradiſo voluptatis ejecit, aut ad puniendos peccatores caeleſtium illorum Spirituum, aut etiam hominum opera uſus eſt, aut elementa, vel bruta animantia ad ſceleris ultionem Deus adhibuit; ſed Filii ſui incarnati manus adorandas ad puniendum ſacrilegos templi ſui violatores armari voluit. Adverſus alia crimina verbo dumtaxat ſuo, vique doctrinae uſus eſt Chriſtus: adverſus eos, qui templi ſanctitatem violarent, brachium omnipotens adhibet, flagellis etiam utitur manſueti[ſ]ſimus Salvator; quod criminis illius gravitatem demonſtrat = *Plerique*, inquit S. Hieronymus in capite 21. Matthaei *arbitrantur, maximum eſſe ſignorum, quod & Lazarus ſuſcitatus eſt, quod caecus ex utero lumen acceperit, quod ad Jordanem vox audita ſit Patris, quod transfiguratus in monte gloriam oſtendit triumphantis. Mihi inter omnia ſigna, quae fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, quod unus homo, & illo tempore contemptibilis, ſed in tantum vilis, ut poſtea crucifigeretur, Scribis, & Phariſaeis contra ſe ſaevientibus, & videntibus lucra ſua deſtrui, potuerit, ad unius flagelli verbera tantam ejicere multitudinem, menſaſque ſubvertere, & cathedras configere, & alia facere, quae infinitus non feciſſet exercitus. Igneum enim quiddam, atque ſydereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majeſtas lucebat in facie. Templum illud typicum erat, figura erat noviſſimae domus, cujus gloria major eſt, quam primae, ſcilicet eccleſiae Chriſtianae. Non intra templum, ſed in portica Salomonis, in atrio gentium negotiatores illi ſedebant: ea dumtaxat vendebant, quae in templo debebant offerri: expulit ta-*

(a) Pſalm. 5. (b) Matth. 21., Johann. 2., Lucae 19.

men eos Chriſtus , & paſſus non eſt , domum orationis fieri domum negotiationis =. Quanto majori poena digni ſunt qui in Chriſtianis templis , ubi Chriſtus quotidie immolatur , & corporaliter reſidet , ubi ſacramenta veteribus longe nobiliora , & functiora conficiuntur , & adminiſtrantur , ubi Angelorum frequentia divini Sacrificii tempore Deum ſupplex , & tremens adorat , abominationes majores committunt ? Qua ſeveritate punientur ſacrilegi , qui domum orationis faciunt domum ſcortationis : mulieres , quae ibi ſcandala uſque ad caelum jaculantur , non peccata ſua , ſed adonidem plorantes : viri , qui nutibus oculorum , colloquiis , ac lenociniis libidinem paſcunt , & accendunt ? Utriuſque ſexus homines , qui ibi non Dei vivi majeſtatem , ſed reptilium , & animalium ſimilitudines , ideſt cupiditates ſuas adorant ? Ubi plerique eccleſiae miniſtri *dorſa habentes contra templum Domini , & facies ad orientem adorant ad ortum Solis* (a), ideſt ſaecularem gloriam , comodaque temporalia rerum ſacrarum ſtudio , miniſterii ſui ſanctitati , vocationis ſuae officiis , Dei gloriae , ac zelo domus ejus , eccleſiae denique utilitatibus anteponunt ? = *Ergo* , inquit Dominus, *& ego faciam in furore . Non parcet oculus meus , nec miſerebor : & cum clamaverint ad aures meas , non exaudiam eos* =.

Illam in templis Chriſtianorum irreverentiam graviſſimis verbis perſtringit Salvianus lib 3. de gubernatione Dei = *Eccleſias* , inquit , *vel potius templa , atque altaria Dei minori reverentia quidam habent , quam cujuslibet minimi , ac municipalis judicis domum . Siquidem intra januas non modo illuſtrium Poteſtatum , ſed etiam Praefidum , ac Praepoſitorum non omnes paſſim intrare praeſumunt , niſi quos aut Judex vocaverit , aut negotium traxerit , aut ipſa honoris proprii dignitas introire permiſerit ; ita ut ſi quiſpiam fuerit inſolenter ingreſſus , aut caedatur, aut propellatur , aut aliqua verecundia , atque exiſtimationis labe mulctetur . In templa autem , vel potius altaria , atque in ſacraria Dei paſſim omnes ſordidi , ac flagitioſi ſine ulla penitus reverentia ſacri honoris irrumpunt ; non quia non omnes ad exorandum Deum currere debeant , ſed quia qui ingreditur ad placandum , non debet egredi ad exacerbandum . Neque enim ejuſ-*

(a) Ezechielis 8.

ejuſdem officii eſt indulgentiam poſcere, & iracundiam provocare, novum ſcilicet monſtri genus eſt : eadem pene omnes jugiter faciunt, quae feciſſe ſe plangunt : & qui intrant eccleſiaſt cam domum, ut mala antiqua deſleant, exeunt, & quid dico exeunt? In ipſis pene haec orationibus ſuis, ac ſupplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt, & dum verbis praeterita mala plangunt, ſenſu futura meditantur. Ac ſic oratio eorum auctrix eſt magis criminum, quam exoratrix, ut vera illa in eis Scripturae maledictio compleatur, ut de oratione ipſa exeant condemnati, & oratio eorum fiat in peccatum. Denique, ſi vult quiſpiam ſcire, quid in templo hujuſmodi homines cogitaverint, videat quid ſequatur : ſiquidem conſumatis ſolemnitatibus ſacris ſtatim ad conſuetudinaria omnes ſtudia diſcurrunt ; alii ſcilicet, ut furentur, alii ut inebrientur, alii ut fornicentur ; ut videntur appareat, hoc eos eſſe meditatos, dum intra Templum ſunt, quod, poſtquam egreſſi fuerint, exequuntur.

Maximum reverentiae, pietatiſque ſenſum, dum in templo verſamur, excitare debet haec cogitatio, quod locus, in quo ſtamus, terra ſancta eſt, Regia Dei, ubi Angelorum illi adſiſtentium, & miniſtrantium frequentia, ubi non urna cum manna, & tabulae lapideae, & virga Aaron, ſed Chriſti corpus, & ſanguis re ipſa praeſentia ſunt, & Spiritus Sanctus pro littera legis, ubi peccata condonantur, gratiae diſpenſantur, Dei verbum praedicatur, Chriſtus in ſacrificium offertur, Deus laudatur, & oratur, ceu in loco ad eum finem conſecrato. Praeclarae ſunt iſto de argumento verba S. Johannis Chryſoſtomi Homilia 1. de verbis Iſaiae = *Vidi Dominum* = Homilia 74. in Matthaeum. Homilia 36. in 1. epiſtolam ad Corinthios, & Homilia 15. in Epiſtolam ad Hebraeos = Celebris extat etiam de veneratione templi Stephani VI. Pontificis Maximi ſermo apud Anaſtaſium Bibliothecarium in ejus vita = *Filiationem veſtram*, inquit, *commonemus, ut convenientes ad ſacratiſſimum Dei Templum id diligenter pertractare ſtudeatis, ad quod veniſtis. Si enim veraciter Templum Dei eſſe creditis illud, ad quod convenitis, id proculdubio inibi operari debetis, quod ei placet, cujus Templum eſt, ad quod convenitis. Cum enim ubique Deus ſit, in ſuo tamen Templo*

plo ſpecialiter debet requiri, & quantum ipſe inſpirare dignatus fuerit, inibi quod ei placeat, debet expeti. Miſericors igitur Deus ita ſuam miſericordiam perſaepe diſponit impertiri, ut rogantibus eam tribuat, non ingratis, & tanto largiori illam tribuat unicuique pietate, quanto majoribus gemitibus, & ardentiori animo fuerit a quolibet deprecatus, ſicut ipſe dicit = *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum* = (a). Eſt profecto Templum Dei locus orationis, ſicut ipſe alicubi dicit = *Domus mea Domus orationis eſt cunctis gentibus* =, (b) & per Pſalmiſtam = *Domum tuam decet ſanctitudo Domine.* = (c) Si igitur orationis Domus eſt, id ibi oportet agere, quod vocatur, ideſt orare, pſallere, peccata confiteri, amaris oculorum lacrymis, & mentis gemitibus delicta abluere, & fiducialiter veniam de commiſſis culpis implorare. Eſt ſane ibi ſpecialiter reſpectus divinus: Aſſiſtunt ibi angelici Ordines pro populo deprecantes, qui preces noſtras ad aures perferunt Domini Sabaoth. Qua ergo fronte in ſacratiſſimo Dei Templo aſſiſtit qui inanibus fabulis, & otioſis verbis inſiſtit? Nam ſi de omni verbo otioſo in die Judicii ratio eſt reddenda, de his maxime reddetur ratio, & exigetur vindicta, quae in conſpectu tantorum ſanctorum proferuntur contumaciter in loco Deo dicato. Qua inquam ſpe veniam conſequi de praeteritis arbitratur delictis, qui non ſolum peccata ſua negligit abluere, ſed potius contendit augere? Paveſcite illum, qui facto flagello de funiculis ejecit vendentes, & ementes de templo. Remiſſius ſcilicet, utiliter negotiantes, quam inaniter, & otioſe confabulantes. Cum convenitis ad locum orationis, cum ſilentio ſtate: intento corde Deum deprecamini, ut orantis pro vobis Sacerdotis vota ſuſcipiat, preces exaudiat, habentem praeoculis monentem Dominum, & dicentem = *Cum ſtatis ad orationem, dimittite ſi quid habetis adverſus alterum, ut & Pater veſter caeleſtis dimittat vobis peccata veſtra.* =

II. Quae cum ita ſint, ut in dioceſi noſtra ſingularis, qui Deo in eccleſiis deberur cultus, non omittatur, & omnis a templis Domini abominatio, & cujuſcumque ſacrilegii occaſio eliminetur, plura decernimus, & mandamus. Et primo jubemus, quod exceptis lai-

(a) Luc. 7.
(b) Marci 17.
(c) Pſalm. 92. verſ. 5.

laicis qui Epiſcopo Pontificali more celebranti inſerviunt, nulli alteri praeſtantiorum etiam ſaecularium locus, neque ſedes concedatur in ſacrario, ſive choro noſtrae cathedralis eccleſiae, in contrarium nulla obſtante conſuetudine: hoc ipſum ſervari mandamus in quibuſcumque aliis ditionis noſtrae eccleſiis. Extra ſacrarium, ſive chorum orare debent laici. Notus eſt S. Johannis Chryſoſtomi circa hujus diſciplinae obſervantiam zelus, qui Theodoſium Magnum Imperatorem intra ſacrarium conſiſtere paſſus non eſt: nota Theodoſii pietas & obedientia. Canones antiquos ea de re editos referre minime opus eſt; unum Concilii Rotomagenſis anno 1581. celebrari decretum deſcribimus, ex quo iſtud diſciplinae caput negligendum non eſſe compertum eſt. = *Cum*, inquit, *nihil magis ornet eccleſiam, quam rerum omnium in ea ordo, ſacrarium, ſeu chorus Presbyteris ſacra facientibus ſemper fuit aſſignatus. Eo tamen progreditur quorumdam laicorum arrogantia, ut vix relinquant altare ſacerdotibus. Hos monemus in domino, ut potius publicanum imitentur in imo loco templi pro peccatis ſupplicem, & per humilitatem juſtificatum, quam Phariſaeum prae ſuperbia ad inferos uſque dejectum. Pro ſua vero dignitate, ſtatu, & gradu locum ſibi unuſquiſque in eccleſia capiat; ſed ſacrarium ad obeunda ſacra ſciat eſſe ſacerdotibus deſtinatum. Quisquis in hoc eccleſiam per ſuos miniſtros monentem, & rogantem non audierit, per hanc Synodum excommunicetur.*

III. Secundo praecipimus, ut nemo immodeſto habitu in eccleſia compareat. Feminae juxta Pauli Apoſtoli ſanctionem in 1. ad Corinthios cap. XI. verſ. VI. velato capite incedant, pectore, ſcapulis, brachiiſque modeſte coopertis, neque prophanis, ſuperfluiſque ornamentis tum in veſtibus, tum in capite, tum in manibus verecundiam, vanitatem, ac ſuperbiam oſtentent, neglectis inhibitionibus enunciatis in canone *mulier debet* XIX. cauſa 33. quaeſt. 5. In conſtitutione *Cum primum* 5. Sancti Pii V. in Concilio Mediolanenſi primo parte 2. tit. de eccleſ. & in Encyclica Clementis XI. = Mulieres autem illae, quae capite non velato, humeros, pectuſque veſte ſeu velo aliove integumento, quod interlucidum non ſit, opertum minime habentes ad eccleſiam venerint, & ad Sacramenta poenitentiae, vel Euchariſtiae accedere praeſumpſerint, ſciant, quod hujuſmo-

juſmodi earum peccatum ſynodali hac conſtitutione Nobis, & ſucceſſoribus noſtris reſervamus (a). Viri quoque volumus, quod nec reticulo, vernacule *Rete*, nec quovis alio capitis operimento, fictitia coma excepta, ſeu caliendro, tecti in ſacris templis conſiſtant, praeſertim cum divinis aſſiſtunt, & quando ſacratiſſima Euchariſtia fidelium adorationi ſit expoſita. Illi vero, qui nulla cogente infirmitate, aut alia urgenti cauſa, quae in civitate a Nobis, vel a Vicario noſtro generali, & extra civitatem a Vicariis noſtris foraneis recognita, & admiſſa fuerit, in eccleſia capitis operimentum quodcumque retinere voluerint, pro qualibet vice poena duorum juliorum mulctabuntur.

IV. Tertio vetamus quibuſcumque canes in eccleſias ſecum ducere aut habere, ſub poena arbitrio noſtro deſignanda.

V. Quinto enixe contendendum eſſet, ut viri a mulieribus ſeparati in eccleſiis conſiſterent, factis diviſoriis repagulis, ſicut priſca erat chriſtianorum conſuetudo; ſed quia eccleſiarum, & altarium noſtrorum temporum ſtructura facile non paritur hanc ſtabilem diviſionem interpoſitis muris, vel ligneis parietibus, volumus, & curam imponimus Parochis, & eccleſiarum Rectoribus, ne viri in eccleſiis, & eccleſiaſticis functionibus commiſceantur eodem loco cum mulieribus, ſed diviſi, & ſeparati morentur, vel procedant; quod ſi mandatis noſtris non obtemperaverint, pro noſtro arbitrio acri remedio ab iis exquiremus obedientiam.

VI. Quinto nedum in eccleſiis, verum etiam in earum ſacrariis compotationes, jentacula, ſorbilla, potus quoque, chocolatis ſumptiones diſtincte fieri prohibemus, ſub poenis quoque ad arbitrium(b).

VII. Sexto conciones quaecumque, ea ne quidem excepta, quae de paſſione Domini ſolet haberi, numquam in eccleſiis habeantur vel ante auroram, vel poſt ſolis occaſum, indicta in eccleſiarum rectores, qui non impediverint, mulcta aureorum decem pro ſingulis vicibus (c).

VIII. Se-

(a) Bened. XIV. de Synod. lib. 11. cap. 12. per totum: edictum pro urbe Innocent. XI. confirmat. a Clemente XI. 5. Julii 1713.

(b) Bened. idt XIV. de Synodo lib. 7. cap. 54. num. 8.

(c) Bened. XIX. conſtitut. 137. ſui Bullar. Tom. 1. Synod. Antonelli par. 2. cap. 2. in Syn. Ferent. p. 1. cap. 3. n. 16.

VIII. Septimo nullo modo in eccleſiis, & oratoriis publicis, etiam campeſtribus reponantur, & condantur ea, quae divinis myſteriis non conveniunt; quare Vicariis foraneis committimus, ut ſi reſciverint, in illis fruges, legumina, ligna aliave quaecumque eſſe repoſita, & ſervari, non ſolum curent amoveri, ſed ſtatim pauperibus diſtribuant. Eos autem, ad quos cura, & cuſtodia harum eccleſiarum, ſive horum oratoriorum demandata fuerat, nunc pro tunc damnamus ad ſeveriores poenas, quas ſubibunt, etiamſi res inibi invectae, & a Vicariis foraneis, uti mandavimus, pauperibus diſtributae ſibi ipſis peririerint: majori tamen poena punientur arbitrio noſtro qui domum Dei faciunt ſpeluncam animalium (a).

IX. Octavo nulli in eccleſiis ineantur contractus, nec conſcribantur ſtipulationes, niſi forte in cauſa pacis; non examinentur teſtes etiam extra eccleſiam jurati: omnes profanos contractus vetamus in ipſis eccleſiis, ſicut & interdicimus laicos in eis coadunari ad tractanda ſive publica, ſive particularia negotia, vel conſilia ſub quocumque praetextu etiam pietatis, vel fictae neceſſitatis (b).

X. Nono matres, & nutrices non inferant tenellos pueros in eccleſias, praeſertim eos, qui adhuc lacte paſcuntur: inobedientes mulieres mulctis pecuniaris, aliiſque poenis arbitrio noſtro punientur. Cuſtodes tamen, & rectores eccleſiarum ſub poena ſcutorum trium pro qualibet vice teneantur ſive Nobis, aut Vicario noſtro generali in civitate, ſive extra civitatem Vicariis noſtris foraneis indicare, & denunciare mulieres, quae hujuſmodi parvulos adhuc lacte egentes, aut alios non amplius lacte egentes, ſed excurſibus, ploratibus & vagitibus fidelium devotioni, vel ſacris concionatoribus, vel ſacerdotibus pſallentibus in choro, aut divina peragentibus importunis, in eccleſias duxerint, vel portaverint (c).

XI. Decimo pauperes mendicantes eccleſias non circumeant eleemoſynas petentes, ſed extra fores ſtent; de cujus mandati executione oneramus cuſtodes, & rectores eccleſiarum ſub poenis noſtro arbitrio pro negligentiae qualitate reſervatis (d).

(a) Canon *Orator.* diſt. 42. Lanucci in Syn. tit. 3. cap. 3. n. 10. Toſi in Syn. par. 4. cap. 1. n. 19.

(b) Canone mox citato *Decet.* de immunit. eccleſ. in 6.

(c) S. Pius V. in conſtit. citata *Cum primum* 5.; & in quammultis dioeceſ. Synodis.

(d) S. Pius V. conſtit. citat. fere in omnibus dioeceſanis Synodis.

XII. Undecimo cantus, qui quacumque ex causa, & occasione in ecclesiis fient, non sint inconcinni, & incompositi, nec ad theatrorum modulum concinnati, sed graves, & devoti ad pios in Deum affectus excitandos apti, & sacris congruentes mysteriis, quae recolunter, & officiis (a), exclusis tubis, timpanis, similibusque bellicis potius, quam ecclesiasticis instrumentis (b).

XIII. Duodecimo piis quibusdam feminis curam committi supellectilium alicujus altaris, vel oratorii non improbamus, dummodo circa altare operam non ponant, lampades non accendant, nec ea obeant munera, quae clericorum sunt propria, etiam sub specie pietatis.

XIV. Tertio decimo ut a sacris templis omnis abigatur servitus, & subjectio, ne cuiquam liceat Nobis non exhibito Apostolico indulto habere januam, vel fenestram, per quas a propria laicali domo ad ecclesias, seu publica oratoria immediatus pateat accessus, vel transitus, vel aspectus, nec item januam, vel transitum parochiali domui interius, & ecclesiae mediate respondentem, si domus ipsa laicalis parochiali sit conjuncta (c). Hujus generis januas, fenestras, foramina, introspectiones, si exstiterint, statim occludi praecipimus, contumaces vero in parendo ad id ecclesiasticis etiam censuris compellemus, & ecclesias ipsas, seu oratoria interdicto subiiciemus. Sub interdicti poena item inhibemus quascumque supra ecclesias, sive oratoria deambulationes, habitationes, cubilia, & alia id genus sanctitati loci incongrua (d).

XV. Decimo quarto ecclesiarum parietibus rudera, lapidum acervi, vel id genus aliud nec ab exteriori eorum parte adhaereant; nil insuper apud illos extet, quod foetidum sit, & loci sanctitati indignum. Qui haec attentare praesumpserint graves dabunt poenas arbitra-

(a) Can. *Cantantes* 1. dist. 92. extravag. *Docta*. de vita, & honestate cler. Conc. Trid. de observan. & evitan. in cel. miss. sess. 22. encycl. Clem. XI. 1701. Conc. Roman. 1725. tit. 15. cap. 6. Bened. XIV. Epist. Encycl. 9. Febr. 1749. incip. *Annus*. 3. sui Bullarii tom. 3.

(b) Cit. Encyclica Bened. XIV. §. 11.

(c) Conc. Mediol. 4. par. 1. tit. de sac. loc. §. *Nulla*: sac. Congr. Episc. Concilii, & Rituum ap. Crispin. visit. Pastor. par. 2. §. 36. n. 1. ap. Monacell. tom. 1. tit. 5. form. 8. n. 14. ap. Ferrar. bibl. canon. vide verb. ecclesia art. 3. n. 1. & seq. sac. Congr. Episc. in Fulginaten. Oratorii 22. septemb. 1759. in append. dic. Syn. Fulginat. anni 1722. pag. 209.

(d) Cit. Conc. Mediol. 4. rubr. de prophano usu §. Ne ecclesia loc. cit.

bitratu noſtro infligendas; eoſque, indicta etiam per nos in ſingulos dies gravatoria, illa exinde ſtatim amovere compellemus (a).

XVI. Quinto decimo, nil venale ne quidem quod pietatem redoleat, & devotionem in eccleſiis, aut in earum veſtibulo, vel porticu a quoquam exponatur (b): nec quiſquam, praeſertim divinorum officiorum, vel ſacrae praedicationis, ſeu catecheſis tempore ante fores eccleſiae ſiſtat ingredientes, & egredientes inſpecturus; & quod deterius eſſet, nutus, verba, aut geſtus inhoneſtos in mulieres ingredientes acturus, ſub poena carceris, pecuniaria, aliiſque graviſſimis arbitrio noſtro reſervatis. Quos Parochi, & alii eccleſiarum rectores haec agentes deprehenderint, acriter moneant, & objurgent, eorumque nomina ad Nos deferant, ut eos pro culpae modo ſevere puniamus (c). Stricte inſuper veramus, ne mox enunciato tempore ſimul plures prope eccleſias commorentur otioſi, & damnoſis vocibus perſtrepentes, neve quocumque tempore apud eccleſias clamoroſi fiant ludi, convivia habeantur, & crapulae, ſonitus, & cantus tam diurni, quam nocturni (d) ſub poena carceris, ac etiam aliis majoribus pro reatus qualitate infligendis. Cauponum quoque officinas, tabernaſque, ex decreto ſacrae Congregationis Epiſcoporum in Interamnenſi 21. Martii 1589., cujus ſub pag. 147. n. 44. meminit Ferraris in ſua bibliotheca ſub verbo *eccleſia*, eccleſiis quibuſcumque proximas, ſeu, quod deterius eſſet, contiguas, nullibi in dioeceſi noſtra ſub praedictis poenis permittendas eſſe ſancimus.

XVII. Sexto decimo, ut quaelibet ab eccleſiis arceantur irreverentiae, & ſacrilegae profanationes, neve ad eas animalium pateat acceſſus, ſub poenis etiam gravioribus a jure ſtatutis, & per Nos juxta caſus contingentias praeſcribendis eccleſiarum rectoribus, aeditui, atque aliis, ad quos ſpectabit, ſtricte praecipimus, ut ſi eccleſiae ipſae rurales, fuerint, vel etiam urbanae minus a populo frequentatae, utpote exiguae cappellae, vel oratoria ad certas ibi celebran-

(a) S. Carolus in edicto de eccleſ. cult. Act. eccleſ. Mediolan. par. 3. p. 313. edit. Patavin. Antonelli in Syn. an. 1683. par. 2. cap. 8. §. *Sordes*.

(b) Conc. Mediol. 3. tit. de iis, quae pertinent ad miſſae ſacrif. §. Ne vero, & ſeq.

(c) Can. *Irreligioſa*. 2. ibiq. Gloſſa, de conſecr. diſt. 3. cap. *Decet*. de immunit. eccleſ. in 6. & conſt. S. Pii V. *Cum primum* Conc. Mediol. 4. par. 1. tit. de relig. in ſac. loc. converſat. §. Ne quis, cum duobus ſeq.

(d) Edic. almae urbis 12. Auguſti 1640. ap. Criſpin. viſit. paſtor. p. 2. §. 42. n. 31. Bannim. general. cap. 5.

das miſſas erecta, divinis expletis earum fores occludantur ; illarum vero claves numquam colonis, vel conductoribus laicis, aut alteri cuique minus fidae perſonae cuſtodiendae tradantur, ne ſi illis committantur, (a) ſacra loca, ut non raro accidit, dehoneſtati contingat. Omnium autem aliarum eccleſiarum portae ſub occaſum ſolis omnino claudantur, & ſub auroram aperiantur, nocte ſacratiſſima Nativitatis Domini, & nocte praecedente feriam ſextam in paraſceve dumtaxat exceptis ; nec unquam nocte reſerentur, niſi aliqua pro ſacramentis adminiſtrandis urgente neceſſitate (b). Si quae eccleſiarum fores vel deſint, vel vetuſtate tritae labeſcant, de novo fieri, vel cum ſeris, & peſſulis refici volumus,

XVIII. Decimo ſeptimo, turres campanarum, ne foedum quid vel indecens in eis committatur, diligenter cuſtodiantur, earumque portae ſeris occludantur (c) non aperiendae, niſi cum ad pulſandas campanas neceſſitas compulerit; alias ſacriſtae, ſeu illarum cuſtodiae deputati gravem dabunt poenam nobis arbitrariam. Campanae noviter fuſae nec in illis collocentur, nec uſui eccleſiaſtico deputentur, niſi prius ſacris precibus, & ritibus Epiſcopi benedictione fuerint ſacratae (d) ; ſacrae vero ad res prophanas ſignificandas ne temere adhibeantur (e).

XIX. Decimo octavo, ſacraria, cum potior ſint poſt ſanctuarium eccleſiarum pars, ſub pecuniariis, aliiſque etiam gravioribus poenis rigoroſe veramus, ne in eis praeter neceſſitatem ullus admittatur laicus, aut ſtrepitus inibi fiant, & clamores, incompoſitae voces, aut turpia, ſeu nugatoria, vel irreligioſa verba proferantur, neve lites, & contentiones excitentur, ac multo minus detractiones habeantur ; ſed ſilentium religioſe ſervetur, & modeſtia : omnia inſuper nitore, & munditia reſplendeant (f).

XX. Decimo nono, ſi eccleſiam ex voluntaria, & injurioſa copioſi

(a) Cap. *Relinqui* de cuſtod. euchariſt. Conc. Mediol. 4. tit. de proph. uſu a. ſac. loc. tollen. §. ne frumentum.

(b) Encyclica Clem. XI. 1701. §. 10.

(c) S. Carolus in Syn. dioeceſ. v. decret. 5. §. Turri campanili.

(d) Conc. Mediol. 4. tit. de campan. §. Neque.

(e) Conc. Mediol. par. 2. tit. de eccleſ. & earum cult. §. ſacrae campanae & ſeq.

(f) Conc. Mediol. 4. tit. de ſacriſtia §. in ſacriſtia. edict. alm. urbis Benedictus XIII. 10. Decembris 1724. §. 7. Benedictus XIV. 1. Decembris 1740. §. 7.

pioſi humani ſanguinis, vel ſeminis effuſione (a), aut ex homicidio in ea voluntarie, & injurioſe commiſſo (b), vel ex humatione excommunicati vitandi, notorii percuſſoris clerici (c), Infidelis (d) etiam infantis, & haeretici nominatim denunciati intra ipſam facta, publice & notorie pollui contigerit, in ea ſub gravis reatus poena ne divina celebrentur officia, vel ſacra operentur (e), aut defunctorum cadavera ſepeliantur (f), niſi prius, ſi fuerit jam ſolemniter conſecrata, per Epiſcopum (g), ſi ſolummodo benedicta, per ſimplicem etiam ſacerdotem, noſtro permiſſu ad ſacrorum Canonum praeſcriptum ex ritu reconciliationem acceperit (h).

XXI. Deinde, quia piae memoriae Benedictus XIII. cujuſque beneficii Parochialis, ſi ejus annui redditus una cum incertis excedant ſcuta centum monetae Romanae, canonicatuum item, & aliorum beneficiorum, cujuſcumque ſint valoris, ſive reſidentialium, ſive non reſidentialium, & ſimplicium, ſive liberae collationis ſint, ſive juriſpatronatus mixti, ac etiam laicalis, ſi extra collegiatas extent erecta, & eorum collatio, inſtitutio, & proviſio ad ſanctam ſedem minime pertineat, ſua conſtitutione (i) medios aſſignavit fructus primi anni fabricae eccleſiarum cathedralium; beneficiorum, vero, quae in collegiatis eccleſiis erecta, vel ad eas translata reperiuntur, medios fructus, ut de cathedralibus ſanxit, earumdem pariter fabricae reſervavit; modo tamen cathedralium, & collegiatarum fabricae, ſeu reparationi aliunde non ſit proviſum, ſufficienti nempe ad id inſtructa dote, vel reparandi onere in locorum communitates, aut in earum patronos reſidente (k), idcirco Apoſtolicae huic conſtitutioni inhaeren-

(a) Canon *Eccleſiis* 20. de conſec. diſtin. 1. cap. *Propoſuiſti* 4., & cap. *Si eccleſia* 10. de conſec. eccleſiae cap. unic. eodem tit. in 6.

(b) Canon *Si mirum* 19. de conſecr. diſt. 1. cit. cap. *Propoſuiſti* de conſecr. eccleſ.

(c) Cap. *Conſuluiſti* 7. de conſecr. eccleſ. cap. *Sacris* 12. de ſepultura.

(d) Canon 27., & 28. de conſecr. diſt. 1.

(e) Cit. Canon 27., & 28. diſt. 1. de conſecr. & cit. c. 10. de conſecr. eccleſ.

(f) Cit. cap. unic. de conſec. eccleſ. in 6.

(g) Cap. *Aqua* 9. de conſecr. eccleſ. S. Rituum Congregatio apud Ferrar. biblioth. can. v. eccleſ. art. 4. n. 66.

(h) Gloſs. in cap. *Si eccleſia* 10. verb. lavetur, de conſecr. eccleſ. ſac. Rituum Congreg. in Carnaracenſi 9. Febr. 1608. ap. Merat. theſaur. ſac. Rituum tom. 1. in indic. decret. n. 77.

(i) Quae incipit *Pius*, & *miſericors*, impreſſa poſt Concil. Roman. ſub n. 24. §. *Verumtamen*, idem Concil. Roman. tit. 27. cap. unico.

(k) Eadem conſtitutio §. *Volumus autem*.

rentes, cunctis, ut ſupra de beneficiis proviſis mandamus ut medios illorum fructus, ſeu mediam, ut vocant, *Annatam* noſtrae cathedrali, aut collegiatis eccleſiis ex antedictae conſtitutionis praeſcripto integre ſolvant (a), quos, ſeu quam in tuto loco, vel penes idoneam perſonam a Nobis cum ſcientia, & conſenſu capitulorum deputandam, ſtatim deponi volumus, praevio noſtro ordine & quidem exarato, & cum ſcientia pariter, conſenſu eorumdem capitulorum non in alios erogandos uſus, quam in praedictarum eccleſiarum neceſſariam reparationem, conſervationem, & fabricae manutentionem (b); qua neceſſitate ceſſante (eo quia eccleſia ſive cathedralis, ſive collegiata nulla nova fabrica, nullaque extructae fabricae reparatione indigeat) ſtricte praecipimus, ut noſtra in ſcriptis accedente licentia iidem medii fructus in emendis ſtabilibus frugiferis, tutis, & ſecuris fideliter occupentur, ſicut & eorum fructus, & fructuum fructus, qui pro dote fabricae memoratarum eccleſiarum perpetuo ſtare debent. Capitula autem, ſeu canonici, ſi ex praemiſſis aliquid praeterierint, ſe, ſuoſque haeredes, & ſucceſſores ad quanti ipſimet fabricae intererit, ſe teneri, eorumque bona omnia ſpeciali hypotheca ob id affecta manere ſciant (c).

XXII. Praeterea ſcamna, quae contentionum perſaepe, & ſcandalorum occaſio ſunt, & ex eorum nimietate, ſacris etiam obeundis officiis impedimentum, in eccleſiis a quoquam nullatenus collocentur, niſi noſtra prius obtenta in ſcriptis licentia, ac deſignato loco, qui aptior nobis videbitur (d). Ex ſedilium tamen uſu laicis in eccleſia a Nobis conceſſo nemo putet, ſibi tributum jus immutabile, aut praeſcriptionem quomodolibet acquiri; ſed illa amovere, eorumque loco mutare, vel de eis alias diſponere ab arbitrio noſtro pendere omnes ſciant (e).

XXIII. Omnes

(a) S. Congr. Concil. in Ferentina med. Annat. 5. Maii 1752. Theſaur. reſol. tom. 21. pag. 26., & 33.

(b) Eadem conſt. §. ut autem S. Congreg. Epiſc. Ferentin. ſac. limin. viſitan. 4. Martii 1766.

(c) Citat. conſtit. §. ceterum.

(d) S. Carolus in edict. pro Vic. Foran. §. *Neſſun Rettore* act. Mediol. Eccl. p. 4. pag. 691. edit. Patav. ſac. Cong. Epiſc., & Rituum apud Mattheucci Offic. cur. cap. 12. n. 18. ap. Monacel. tom. 1. tit. 5. form. 8. n. 4. ap. Ferrar. Bibliothec. Canon. verb. Eccl. art. 5. n. 7., & 8.

(e) Dec. ſac. Cong. apud mox cit., & ap. Criſpin. viſit. Paſtot. p. 2. §. 7. n. 20. ſac. Rit. Cong. in Narnien. 4. Nov. 1711. ap. Syn. Fulgin. an. 1722. cap. 18. n. 20. ſac. Cong. Conc. Epiſc. Oppiden. 1. Aprilis 1620. lib. 2. litt. SS. Limini pag. 59.

XXIII. Omnes eccleſiarum rectores praeſertim Parochi, qui decorem domus Dei debent praeceteris ex animo diligere, curent attente, ne in eccleſiis, quas obtinent, quidquam inculcum, aut ſordibus obſoletum appareat, ſed omnia nitidiſſimo, & religioſo cultu colluceant; diligenter pariter attendant, ut altaria illis omnibus plene, politeque ſint referta, quae ad eorum uſum, & ornatum ſunt neceſſaria; utque univerſa ſacra ſupellex, vaſa, corporalia, veſtes, & ornamenta non lacera, ſciſſa, attrita, aut vetuſtate conſumpta, ſed decenter pulchra, & munda ſint, nitida, & integra: quae ſuis in armariis congruenter diſpertita in ſacriſtia diligentiſſime aſſervari, & mundiſſime cuſtodiri quammaxime advigilent, *cum nimis videatur abſurdum in ſacris ſordes negligere, quae dedecerent etiam in profanis* (a). Haec pro opportunitate ſollicite inſtaurentur, aut renoventur, nec unquam ab eorum cuſtodibus Noſtro, vel Vicarii noſtri Generalis non obtento permiſſu cuique extra Eccleſias commodentur.

Eccleſiae quoque, vel oratoria etiam campeſtria ab iis, ad quos pertinet, maxima diligentia cuſtodiantur, perpoliteque curentur, & eorum parietes ad eam uſque ſummitatem, quae ab humo perſtringi arundine valeat, a pulvere, araneis, aliiſque immunditiis ſaepe, ac ſemel ſaltem in menſe expurgentur (b). Bis vero in anno, & quoties opus fuerit, tota etiam ſuperior eccleſiae pars perpoliatur.

Pavimenta item eccleſiae, ſacellorum, & ſacrarii qualibet hebdomada, ac etiam ſaepius, ſi ea conſpurcari contigerit, recurrente praeſertim eccleſiae ſolemnitate diligenter everrantur; immunditiae, ſi quae in eccleſia fient, ſtatim amoveantur (c). Canes, ne illam foedent, aut clamores excitent, vel quid indecentius agant, ut fieri poterit abigantur.

Miſſarum celebratione peracta, altarium mappae quotidie a pulvere, & ſordibus leviter excutiantur, lineiſque, vel pelliceis ſtragulis contegantur. Altaria, eorumque arae qualibet hebdomada in totum perpoliantur. Deteſtabilem vero quamplurium ſaecularium, praeſertim ruſti-

(a) Cap. *Relinqui* 2. de cuſtod. Euchar. Canon *Veſtimenta* 42. de conſecr. diſt. 1.

(b) Cit. ca. 2. de cuſtod. Euchar. ſanctus Carolus inſtruct. de nitor., & mundit. Eccl., & altar.

(c) Ibidem.

ruſticorum abuſum, qui ad irreverentiae cumulum altaribus inniti, ac ſuper ea brachia extendere non verentur, eorumque munditiam foedare ſolent, poenis graviſſimis vindicandum a Nobis eſſe edicimus. Lampades, cruces, candelabra, ceteraque eccleſiae ornamenta, ſi cuprea fuerint, quolibet menſe aqua calida expurgentur, ſi lignea, altero ſaltem quoque die a pulvere exterganrur (a). Linea ſtrophia detergendis manibus parata qualibet hebdomada mutentur.

Ut eccleſiae ab aere, ventis, tempeſtatibus, & a ſacrilegis profanationibus ſint defenſae, praecipimus, ut illarum feneſtrae inferiores, ſi quae fuerint, cratibus ferreis muniantur, omnes vero vitreis ſpecularibus, aut ſaltem cerata tela obſerentur (b).

Vaſculum aquae luſtralis, qualibet hebdomada renovandae omnino, ex marmore, vel ſolido lapide confectum in ipſo eccleſiae ingreſſu prope portam ad latus dexterum ingredientium, ſi commode fieri poſſit, apretur. Si vero eccleſia plures habeat portas, mediocre ſaltem vaſculum prope ſingulas apponatur (c).

Quodlibet altare eam a ſepulchris diſtantiam habeat, quam canonicae praeſcribunt leges. Si totum non ſit conſecratum, habeat ſaltem lapidem ſacratum competentis latitudinis, & longitudinis decenti tela cerata coopertum, in quo ſacra hoſtia, & calix ſtatui commode poſſit (d). Habeat praeterea telam ſtragulam, qua elapſo divinorum tempore illius menſa operiatur, ne pulvere, & ſordibus inquinetur, atque ſuper eo ſacra continuo adſit decens, & devota imago.

Noverint etiam omnes, altare pro execrato habendum, & in eo divina operari prohibitum, in quo tabula, cui conſecrationis benedictio pontificali miniſterio adhibetur, mota, vel enormiter fracta fuerit (e); & in altari portatili, ſi ſepulcrum, in quo Sanctorum conduntur reliquiae, amotum ſit, vel effractum (f).

Sex

(a) S. Carolus loc. cit.

(b) S. Carol. Inſtruct. Fabric. Eccl. lib. 1. cap. 8. §. Feneſtrae autem.

(c) S. Carol. inſtruct. de rebus material. ad Eccl. pertinen. §. *Dentro ciaſcuna porta*, act. Eccl. Mediol. p. 4. pag. 694. edit. Patavin.

(d) Canone *Si motum*, & canon. *Altaris palla* 39. de conſecr. diſt. 1. canon. *Ad haec* 1. de conſecr. Eccl., vel altar. S. Carol. cit. inſtruct.

(e) Can. *Si motum* de conſecr. diſt. 1. ibique Gloſſa v. Altare cap. *Quod in dubiis* de conſecr. Eccl. vel altar.

(f) Gavant. Manu. Epiſcop. V. Altare n. 13. ſac. Cong. Rituum in una Ord. Cappuce. 21. Junii 1710. ap. Merat. Theſ. ſac. Rit. tom. 1. in indi. dec. n. 633.

Sex ulterius, aut ad minimum quatuor candelabris, ſive metallo, ſive ligno affabre elaboratis, ſecretorum tabellis, & legili appoſite ornatis, tribus etiam mundis, & non laceris mappis juſtae longitudinis, & latitudinis ad ſacroſanctum Sacrificium honeſte celebrandum neceſſariis, necnon pallio ſerico congruentis coloris, vel ſaltem ex tela decenter depicto, aut marmoreo, vel opere ad minus albatio concinne elaborato unumquodque altare ſit inſtructum: in eo etiam ad excitandam Dominicae Paſſionis memoriam, piumque affectum ad Sacrificium devotius offerendum, crux cum inſculpta imagine Jeſu Chriſti ab ea pendentis, candelabrorum formae reſpondens collocetur, quae non exigua, ſed proportionaliter grandior ſit ipſiſmet candelabris, eiſque adeo altior, & eminentior, ut ejus baſis, ſeu pes candelabrorum, quorum in medio ſtatuenda erit, altitudinem aequet; ipſa vero crux tota eiſdem candelabris ſuperemineat: ſi vero ſacrum fiet in altari, in quo auguſtiſſimum Sacramentum publicae fidelium adorationi ſit expoſitum, crux pro eccleſiarum conſuetudine ſuper illo collocetur, vel ab eo amoveatur (a).

A latere epiſtolae ceroſtatum quoque, ſive ligneum ornate depictum, ſive ex auricalco extructum locari praecipimus, cui intortitium in elevatione ſanctiſſimi Sacramenti accendendum imponatur.

Demum altare majus, illud praecipue, in quo aſſervatur ſanctiſſimum Sacramentum, ceteraque minora, quae ſub decenti fornice non ſunt, umbella appoſite ornata deſuper ſuſpenſa operiantur, ne e tecto pulvis, vel ſordes in ipſa altaria decidant. Suppedanea item lignea decentis formae, & bene fixa in eorum quolibet apponantur (b). Haec, ſi ab his, ad quos ſpectat, infra duos menſes ab hujus Synodi publicatione adimplera non fuerint, patroni quidem laici, altaris, ſeu cappellae patronatu privabuntur (c), Beneficiati vero, ſequeſtratis ad id beneficiorum fructibus ea omnia plene exequi compellentur (d).

In fronte eccleſiae ſupraponatur ſignum ſanctae Crucis ferreum,

(a) S. Carolus loc. cit. Benedict. XIV. Conſtit. *Accipimus* 17. ſui Bull. tom. 2.

(b) S. Carolus inſtruct. fabric. Eccl. lib. 1. cap. 10., & cap. 14.

(c) Conc. Trid. ſeſſ. 21. de reform. cap. 8.

(d) Baſſus in Synodo ex S. Carolo Borromeo.

reum, ſicut & in campanili : imago quoque ſive depicta, ſive inſculpta ſancti Titularis cujuſque eccleſiae ſupra majorem illius eccleſiae portam, ubi non extat, apponatur (a).

XXIV. Verba S. Pii V. uſurpantes, enixe praecipimus, ut omnium ad eccleſias humilis ſit converſatio, & devotus acceſſus. Devotis orationibus inſiſtant fideles, & omnes genibus flexis ſanctiſſimum Sacramentum adorent. Ad nomen Jeſu Chriſti Domini noſtri cum exhibitione reverentiae caput inclinent : nullus in dictis eccleſiis ſeditionem faciat, tumultum excitet, clamores moveat, impetumve committat : ceſſent vana, foeda, & profana colloquia, riſus immoderati, & ſtrepitus omnis judiciorum, & alia quaeque, quae divinum Officium perturbare poſſunt (b). Cetera itidem, quae de cultu ſacrorum templorum in concilio Lugdunenſi a B. Gregorio X., a memorato S. Pio V., & a Clemente XI. ſalubriter ſancita fuerunt, ab omnibus in eccleſiis etiam regularium exacte ſervari mandamus (c).

XXV. Sacrae actionis tempore ſaecularium nemo, mulieres praeſertim, prope altare, vel ad ejus gradus accedant. Qui acceſſerint, a Sacerdote celebrante, vel a clerico inſerviente, aut ab eccleſiae cuſtode inde arceantur omnino (d). Sacrum audituri, vel divinis interfuturi officiis ad eccleſiae portam, aut extra illam non ſtent (e), niſi eccleſiae anguſtia aliud poſtulaverit.

XXVI. Arma offenſiva, ſive cujuſque generis ſcopleta, vel aliud ſimile, exceptis curiae miniſtris, & officialibus nemini liceat in eccleſias inferre (f), aut eccleſiae foribus, vel parietibus acclinare, ſub poena carceris, amiſſionis armorum, aliiſque arbitrio noſtro; nec ulla perſona ſarcinas, aut onera portans, eaſdem ingredi, vel per eas tranſire praeſumat (g). Injungimus praeſertim eccleſiarum cuſtodibus, ut nullimode permittant ſive viris, ſive mulieribus in eccleſiis conſiſtere, & ſacris intereſſe tenentes ante ſe aut gallinas, eorumque pullos, aut aves venatione captas, aut caniſtra, ſeu

(a) S. Pius V. Conſtit. *Cum primum* 1. Bull. 102.

(b) Cap. *Decet* 2. de Immun. Eccl. in 6.

(c) In Encyclica ad Epiſcop. data 26. Julii 1701.

(d) Conc. Mediol. 3. tit. de iis, quae pertin. ad Miſſae ſacrif. §. *Ne vero*, & ſeq.

(e) Cit. Conc. §. *In Limine*.

(f) Conc. Mediol. 1. loc. cit. §. *Nemini*.

(g) Syn. Farſen. anni 1685. cap. 17. n. 3.

ſeu ſportulas ovorum, vel fructuum, aut alias hujuſmodi res quandoque vendendas, quandoque dono ferendas, quandoque accepto pretio aſportandas; id quod in eccleſiis civitatis ſcimus frequenter uſque modo acciditſſe; ſtatim autem ac nobis denunciatum fuerit, praedictos cuſtodes in hoc permittendo deliquiſſe, pro qualibet vice eos mulctabimus poena decem aureorum.

XXVII. Si in aliquo eorum, quae de eccleſiarum cultu hic ſtatuimus, quis peccaverit, praeter poenas ſupra impoſitas, iis etiam tum a Conſtitutione S. Pii V., quae incipit *Cum primum*, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ſeu a jure canonico in ſanctuarii prophanatores latis, tum aliis Nobis arbitrariis pro perſonarum ſtatu, & conditione, ac pro culpae modo omnino afficietur (a).

§. IV.

De obligatione colendi Deum praeſertim diebus Feſtis.

Sabbatha mea dedi eis, ut eſſent ſigna inter me, & eos, & ſcirent, quia ego Dominus ſanctificans eos. Ezechielis 20. v. 12.

I. EXterni litteralis, & caeremonialis ſabbathi obſervantia Judaeos dumtaxat ſpectabat, ſed ſpirituale, & caeleſte ſabbathum (inquit Concilii Tridentini Catechiſmus) in ſancta quadam, & myſtica quiete conſiſtit; nimirum, cum vetus homo Chriſto conſepultus ad vitam renovatur, atque in actionibus, quae chriſtianae pietatis conveniunt, ſtudioſe ſe exercet. Debent enim *qui aliquando erant tenebrae, nunc autem lux in Domino, ut Filii lucis ambulare in omni bonitate, & juſtitia, & veritate, neque communicare operibus infructuoſis tenebrarum.* Spirituale itaque ſabbathum celebrat homo, cum a pravis ſuis operibus quieſcit. Nobis quidem nulla die, nulla hora, nullo temporis momento vacandum non eſſet divinorum beneficiorum contemplationi, ad quam ipſe nos invitat dicens = *Vacate, & videte, quoniam ego ſum Deus* =. Vacate a curis, & ſaeculi negotiis, & in ſancto otio, & quiete recogitate, quod ego ſum, qui creavi vos; ego ſum qui, cum vitio veſtro periiſſetis, Filio meo pro vobis morti tradito, de-

(a) Toſi in Synodo par. 4. cap. 1.

nuo per eum vos quaſi creavi, ut ſitis nova in Chriſto creatura: & ſicut portaſtis quondam imaginem terreni, ita nunc portetis imaginem caeleſtis hominis, neque jam ſitis deinceps Adae filii, ſed Dei, fratres autem, & cohaeredes Chriſti. Haec tanta beneficia ſerio meditamini; mihique uni, cui omnia debetis, ex toto corde diligendo, & colendo vacate. Quod igitur a Nobis exigit ipſe Dominus, qui nos etiam laborantes, & oneratos ad ſe venire jubet, quod in eo ſimus animabus noſtris requiem inventuri, hoc nobis ſemper faciendum eſſet. Ceterum tale ſabbathum celebrare, ſic toti Dei, & beneficiorum ejus contemplationi vacare non eſt hujus ſaeculi, non eſt hujus corporis, quod corrumpitur, quod aggravat animam, quod deprimit mentem ea, quae ſurſum ſunt cogitare volentem. Sabbathiſmus hic, ſive requies non eſt hujus peregrinationis, ſed caeleſtis erit illius patriae, manentiſque civitatis, quam futuram inquirimus, ubi vacabimus, & videbimus, amabimus, & laudabimus abſque ullo faſtidio, abſque ulla defatigatione eum, qui deſideriorum noſtrorum omnium finis eſt, Dominum Deum noſtrum, qui erit omnia in omnibus, & inter eos numerabimur, de quibus dicitur = *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſaecula ſaeculorum laudabunt te* = (a). Judaei quidem carnaliter ſabbathum obſervabant ſignis dumtaxat, non rebus ſignificatis inhaerentes, & ſabbatho non ad quietem animi in Deo comparandam, ſed ab extremam tantum, & corporalem quietem abuſi: unde illorum ſabbatha ſe odiſſe Dominus ait Iſaiae 1. Etenim in ceſſatione a peccatis, & in bonis operibus vera, & Deo grata ſabbathi obſervatio poſita erat, ut rurſus docuit Dominus Iſaiae 58. Quare Chriſtiani non ſignis, ſed rebus ſignificatis inhaerentes, nec tempora obſervantes, ſed quae illis ſignificantur temporibus, ſpirituale praeſertim ſabbathum obſervant illis diebus, qui non jam divino jure, ſed eccleſiae inſtitutione, ac lege divino cultui ſunt conſecrati. His ſcilicet diebus vi tertii praecepti Decalogi ſe adſtrictos eſſe norunt, ut a ſaecuri curis, profaniſque operibus liberi toti divino cultui vacent, hoc eſt orent ardentius, & copioſius, de reformandis ſuis, & ſuorum moribus ſerio cogitent, ſeque, ſuamque familiam ad Dei laudem, & ad divinum verbum audiendum,

(a) Pſalm. 83.

dum, ad piorum librorum lectionem, & ad alia pietatis, & caritatis opera incitent, ac provocent.

II. Cum autem ipſo naturae jure aliqua temporis pars eſſe debeat, quo res divinae colantur, cultuſque Deo debitus tribuatur, & eatenus praeceptum de ſanctificatione ſabbathi ad mores pertineat, Apoſtoli ex ſeptem hebdomadae diebus eum, qui primus eſt, divino cultui conſecrarunt, quem Dominicam diem dixere, cum dies ſolis ab ethnicis diceretur. Mutatio vero facta eſt diei ſabbathi in Dominicam diem, primo, quia eo die mundi creatio initium habuit, ſecundo, quia eo die Chriſtus reſurrexit ad vitam immortalem, & Judaico ſabbatho abrogato ſabbathum evangelicum, quod Scriptura ſacra juge appellat, nobis commendavit, ideoque is dies Dominicus dicitur, de quo eccleſia canit = *Haec dies, quam fecit Dominus, exultemus, & laetemur in ea* =: tertio, quia ea die Spiritus ſanctus Apoſtolis datus eſt: quarto, ne quid Chriſtiani cum Judaeis commune habere viderentur: quas rationes S. Juſtinus in ſecunda Apologia recenſuit, & S. Leo Papa collegit in Epiſtola 11., alias 81. ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum cap. 1.

III. At ſicut populus Judaeus praeter ſabbathum, alios etiam feſtos, & ſacros dies habuit divina Lege conſtitutos, quibus maximorum beneficiorum memoria renovabatur, ita Chriſtianus populus alios praeter Dominicam diem feſtos, & ſolemnes habet ab Apoſtolis in ipſo eccleſiae exordio, & conſecutis deinde temporibus ab Apoſtolorum ſucceſſoribus inſtitutos, ut pie, & ſancte beneficiorum Dei memoriam colamus. Inter eos autem celeberrimi habentur illi dies, qui ob religionis noſtrae myſteria religioni conſecrati ſunt, ſcilicet Paſchatis, ſeu Reſurrectionis Domini, Aſcenſionis Dominicae, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Chriſti, Natalis Domini, Circumciſionis, Epiphaniae: deinde qui ſanctiſſimae Virgini Mariae Dei Matri, tum qui Apoſtolis, & Martyribus, ceteriſque Sanctis cum Chriſto regnantibus, ſeu potius Deo in eorum memoriam dicantur.

IV. Catalogum, ſeu indicem, & ſeriem horum dierum juxta praeſentem univerſalis eccleſiae diſciplinam continet Conſtitutio Urbani VIII., quae incipit *Univerſa*, edita anno 1642. cui indiculo

Pon-

Pontifices ſummi, Urbani ſucceſſores ſolemnitatem Immaculatae Dei Genitricis Conceptionis, & feſtivitatem ſanctiſſimi Patriarchae Joſeph tantummodo adjunxerunt. Ad noſtram Anagninam dioeceſim quod attinet unicus communibus dies feſtus additus eſt, nempe dies praecipuo Protectori noſtro glorioſiſſimo Martyri S. Magno dedicatus. Celebranda quoque eſt (abſque tamen onere abſtinendi a ſervilibus) in civitate, ac dioeceſi noſtra univerſa dies anniverſaria Dedicationis cathedralis eccleſiae, quae recurrit die trigeſima Septembris cum Officio, Miſſa de Dedicatione, & Credo etiam extra dictam eccleſiam; & cum Octava in civitate, non vero in dioeceſi, prout ad Octavam non tenentur Regulares in civitate degentes, niſi ex congruentia. Et quamquam noſtri juris eſſet alios, ſi vellemus, feſtos dies ſtatuere, (etenim a Concilio Tridentino ſeſſione 25. cap. 12., ſancitum fuit, ut dies feſti, quos in dioeceſi ſua ſervandos Epiſcopos praecepiſſet, ab exemptis omnibus etiam Regularibus ſervarentur) attamen nolumus feſtorum numerum augere, ſed ſolummodo vehementer cupimus, ut conſueti feſti dies convenienti modo a clero, & populo noſtro ſanctificentur.

V. Quapropter volumus in primis, declarari frequentiſſime ab animarum rectoribus plebanis ſuis praeceptum de ſanctificandis feſtis duabus conſtare partibus, quarum una opera prohibentur ſervilia, & altera religionis imponitur exercitium. Hoc evidenter appareret ex ipſius divinae Legis verbis = *Non facies omne opus in eo* =. Requies igitur ab omni opere ſervili hoc praecepto jubetur, id eſt ab eo corporali opere, ad quod ſervi, & jumenta adhibentur. Rurſus = *Memento, ut diem ſabbathi ſanctifices* =: exercitatio ergo in pietatis, & religionis officiis hoc praecepto injungitur (a). Hinc violatores praecepti hujus ſunt procul dubio non ſolum illi, qui diebus feſtis ab operibus ſervilibus non quieſcunt, ſed illi etiam, qui etſi ſervilibus operibus in his diebus non incumbant, tamen Dei cultui in diebus iſtis minime vacare ſolent.

VI. Debitum ergo ante omnia audiendi Miſſam diebus Dominicis, aliiſque feſtis fidelibus cunctis annunciamus ex immemorabili eccleſiae praecepto ab Apoſtolicis uſque temporibus religioſiſſime ſervato uſque in hodiernam diem. Cumque Nobis notum ſit Chriſtianos

(a) Exodi 20. v. 8., & 10.

nos quamplurimos dioeceſis noſtrae in hoc fere communiter peccare, quod intollerabili, ac inexcuſabili errore putent praeceptum audiendi Miſſam feſtis diebus adimpleri etiam ab iis, qui non totam Miſſam audiunt, ſi majorem, principalioremque Miſſae partem audierint; opportunum, imo neceſſarium modo videtur, omnibus notum facere praeceptum eſſe ab eccleſia, ut tota Miſſa feſtis diebus audiatur, quemadmodum aperte colligitur ex Concilio Agathenſi anni 506. canon. 47., & ex Concilio Aurelianenſi anno undecimo ſupra quincentеſimum celebrato, canone 26., & ex Concilio pariter Burdigalenſi anni 1582, & Turonenſi anno 1583. Neque debitum colendi Dominum feſtis in diebus ſolvi cedendum eſt per eam brevis temporis durationem, qua incruentum altaris ſacrificium immolatur, cui ex eccleſiaſtico mandato quiſque fidelium intereſſe tenetur. Siquidem nonnulli theologi, qui non erubuerunt aſſerere, quod ſi Chriſtiani audita Miſſa, ludis, oblectamentis, confabulationibus toto die feſto operam darent, otioque diffluerent, peccarent utique contra alias virtutes, ſecus contra praeceptum ſanctificandi feſta, doctores iſti, ſi non affectata malitia, manifeſta ſaltem hallucinatione e duobus praeceptis, eccleſiaſtico uno, divino altero, primum prae oculis habuerunt, non autem ſecundum. Reveta eccleſiaſticum praeceptum nil aliud praeter Miſſae auditionem imponit; ſed praeceptum divinum = *Memento, ut ſabbathum ſanctifices* =, alia quamplura praeſcribit pietatis, atque religionis opera; quemadmodum, & univerſa Concilia inculcaverunt, & Patres omnes affirmarunt. Hinc Benedictus XIV. Inſtitut. Eccleſiaſtica 43. num. 14. = *Neque profecto* (ſcripſit) *Dei voluntati ſatisfacit qui ſolum dierum feſtorum celebritates in eo conſtituit, ut rei divinae interſit, & a ſervilibus operibus abſtineat, non vero contendit omni ſtudio, ut Deo vero cultum exhibeat, nec ulla peccati labe per dies feſtos inquinetur, ut per Iſaiam Deus ipſe declarat* „ *Neomeniam, & ſabbathum*, *feſtivitates alias non feram; iniqui ſunt caetus veſtri, calendas veſtras, & ſolemnitates veſtras odivit anima mea*: „ Et per Malachiam „ *Diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus ſolemnitatum veſtrarum* =. Praelaudatus igitur Pontifex, qui non ſolum doctrina praeſtantiſſimus fuit, ſed etiam a cujuſcumque rigoriſmi

mi labe ab omnibus celebratur immunis, cenſuit, nequaquam in ſola Miſſae auditione reponendam eſſe adimpletionem praecepti, de quo loquimur.

VII. Cum autem eccleſiaſticum praeceptum de audienda Miſſa diebus feſtis notum ſit univerſo credenti populo, & praeceptum divinum de ſanctificatione horum dierum minus plene, uti par eſſet, a modernis fidelibus intelligatur, catechiſtis, concionatoribus, confeſſariis, ceteriſque paſtoralis miniſterii noſtri coadjutoribus diſtricte committimus, ut iſtud Domini mandatum dilucidare, & explicare conentur. Ad id implendum opus eſt eis, ut praemiſſa diſtinctione inter partem dicti praecepti divini affirmantem, & negantem, ſeu inter prohibitionem ſervilium operum, & juſſionem piarum occupationum unam partem cum alia comparare ſtudeant, auditoribus ſuis exponendo, quod ſicut huic divino praecepto non ſatisfaceret, qui non brevi tantum temporis ſpatio, ſed toto fere die ſerviliter laboraret, & per unam integram horam a ſervilibus ceſſaret, ita nec divinum hoc praeceptum ſervat qui per ſolum circiter horae quadrantem Miſſam audiendo Deo cultum offert, & reliquum totius diei rempus dilapidat modo in ſordida otioſitate, modo in tabernis, choreis, venationibus, ſpectaculis, & diſſolutionibus. Sane ſi toto die ceſſandum eſt a ſervilibus operibus, quia haec divinum mandatum vetat, evidentiſſime conſtat, non minimam, ſed majorem diei partem in ſanctis exercitationibus inſumendam eſſe, cum & hoc Dei ſtatutum injungat. Deus enim ipſe, qui inhibuit cuiquam, ne in ſabbatho ſerviliter laboraret, cuicumque etiam praecepit, ut ſabbathum ſanctificaret.

VIII. Quoniam vero non unico inſtructionis defectu, ſed ſacrilegae libertatis impetu profanationes dierum feſtorum ſcelus factum eſt nonnullorum chriſtianorum, oportet ut legum quoque ſeveritate, & peculiaribus providentiis tam immani, & execrabili triumphanti facinori reſiſtere, & occurrere ſatagamus: proinde ante omnia edictum noſtrum hac de re publicatum ſub die 3. Julii praecedentis anni 1779. in appendice hujus ſynodi apponendum num. 46. confirmamus, innovamus, eique robur, & firmitatem ſynodalis ſanctionis adjungimus. Expreſſe itaque prohibemus, & vetamus diebus

bus dominicis, aliisque festis de praecepto servilia omnia, & mechanica opera, cunctarum artium opificia, atque illiberales artes peragere; ita ut parentes pro filiis, domini pro famulis, famulabusque, aliique pro operariis sibi subditis, & conductis, qui jusserunt, annuerunt, non prohibuerunt, poenis sint obnoxii.

IX. In praecepto abstinendi ab operibus servilibus comprehensa declaramus omnia ruralia exercitia, veluti in hortis laborare, vineam colere, in campis arare, foenum secare, segetes colligere, frumentum metere, purgare, ad molendinum advehere, molere, revehere farinam, panem coquere, venationi vacare, piscari, aliosque similes labores peragere, licet ad necessarium victum necessarios (a).

X. Ingruente necessitate, vel ob publicam utilitatem praesertim tempore vindemiarum, messis, aliorumque fructuum collectionis, quando periculum immineat, occasio elabatur, necessitas urgeat tam publica, quam privata praesertim pauperum, ecclesiae auctoritas est imploranda pro dispensatione, & nemo sit, qui judex fiat in causa propria ad derogandam divinam legem propensus, sequendo illam damnatam propositionem = *Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit, pro ejus utilitate* (b); nisi tamen improvisa insurgat necessitas, & periculum, veluti turbinis, & tempestatis, & similium, ut reparandi cum licentia, & facultate ecclesiae tempus non suppetat (c). Necessitas, vel periculum non sit affectatum, & procuratum, ut quae diebus profestis agi, & curari possunt, in diem dominicam, aut festum differantur; quemadmodum respondit Nicolaus V., & Alexander III. (d).

XI. Vicario nostro generali in urbe, & foraneis in dioecesi facultatem elargimur concedendi licentias exercendi servilia opera gratis omnino expediendas, urgente vera, & non affectata necessitate, vel periculo sub his conditionibus, & non alias: I. Ut licentia hujusmodi non voce, sed scripto concedantur: II. De mane post audi tam missam, & horis pomeridianis post expleta vespertina officia: III. Monitione adhortentur, qui dispensationem, sive licentiam pe-

O tunt

(a) 1. 3. Cod. de feriis Benedict. XIV. tom. 2. notif. 65.

(b) In constit. Clem. XI. Unigenitus prop. 72.

(c) S. Thom. 2. 2. quaest. 122. art. 4. ad 3. ibique Card. Cajet.

(d) Rainald. ad ann. 1447. n. 28. cap. *Licet* de feriis.

tunt in ſumendi dies feſtos in operibus ſervilibus quomodocumque, ut illius, quod utilitatis obvenerit ecclesiis, vel pauperibus aliquam portionem faciant, veluti in retributionem, ſi paupertas non impediat (a).

XII. Abuſum, qui inolevit tondendi, ſive radiendi, caput, & barbam, ſeu capillos componendi qualibet diei feſti hora abolemus; nulla enim lege, quemadmodum Philippo Galliarum Regi reſcripſit ſummus Pontifex Johannes XXII., feſtis diebus barbam radere, niſi aliqua vera neceſſitas poſtulet, permiſſum eſt. In gratiam vero ruſticorum, & advenarum (b), qui profeſtis diebus id curare ſibi non poſſunt indulgemus opificibus, ut horis, in quibus divina officia, vel publicae orationes, & conciones in eccleſiis non celebrantur, artem ſuam exercere valeant in officinis porta minime patente, ſervatis ſupradictis conditionibus, quas ſupra in licentiis concedendis praeſcripſimus. Si barbitonſores in horis toleratis non ſe contineant, mulctam trium ſcutorum indicimus, piis locis arbitrio noſtro ſolvendam.

XIII. Vetamus quarumvis rerum aſportationes, & vecturas. Neque jumenta, vel currus agantur, niſi forte ad iter proſequendum, quod die profeſto inchoatum fuerit, non vero ex induſtria, ſub poenis in edicto noſtro.

XIV. Cum inter opera ſervilia iter reputetur, monemus fideles cunctos, ne ſine rationabili cauſa iter diebus feſtis arripiant illud: & eo magis hoc graviter inculcandum ducimus, quo ſingulis compertum eſt, iter a divino cultu vehementer abſtrahere.

XV. Publica commercia in nundinis, & mercatibus optaremus ut diebus feſtis prorſus a noſtra dioeceſi eliminarentur; ſed, quod efficere poſſumus, praecipimus, ne ſcilicet mercatus de rebus minoribus certa cujuslibet hebdomadae die ab hominibus de vicinis locis convenientibus, celebrentur in diebus feſtis, ſub poena amiſſionis rerum, mercium, ſeu animalium in mercatu expoſitorum, aliiſque arbitrio noſtro. Nundinas vero, quae Principis ſupremi beneficio de rebus majoribus fiunt ſemel in anno, vel raro, convenientibus etiam de longinquo hominibus excipimus ſub his dumtaxat conditionibus, & non alias

(a) Cir. cap. *Licet* de feriis Conc. Roman. tit. 11. cap. 2.

(b) Benedict. XIV. tom. 1. notific. 63. ap. Rainald. ad ann. 1317. n. 4.

alias, ut saltem mane, & vespere officinae, & tabernae claudantur, nullaque publica exerceantur commercia, & stipulentur contractus, neque alia omnia fiant festis diebus prohibita in illis horis, quibus in majori ecclesia, vel ubi festum celebratur, missarum solemnia peraguntur, & vesperarum divina officia celebrantur, vel praedicatio verbi Dei habetur, sub poenis supra comminatis; ita ut fideles ab omni terrena cura, & temporali sollicitudine expediti ecclesias frequentent, & festos dies pie religioseque sanctificent, perinde ac reliquo totius anni cursu (a). Et hoc praesertim observari volumus in hac nostra civitate recurrentibus tum die Annunciationis beatissimae Virginis Mariae, tum die sancto martyri Magno protectori nostro dicato.

XVI. Veterinariis fas ne sit diebus festis laminas ferreas equis, seu jumentis passim aptare (b), sed necessitate tantum urgente, itineris praesertim causa id opus expleant, loco tamen, uti licuerit remotiori.

XVII. Vetamus quoque ligna in silvis, aliisque locis sacro die caedere, pannos lavare, ni aliter urgeat necessitas, accedarque licentia nostra, vel nostrorum deputatorum, ut supra, quae, si plures dies festi conjuncti occurrant, ad ea exercenda secunda die facilius concederetur; numquam tamen nisi urgentissima cogente necessitate in solemnioribus anni festivitatibus (c), Nativitatis scilicet Domini, Epiphaniae, primi diei Paschatis, & Pentecostes, Assumptionis Deiparae, SSmi Patriarchae Joseph, sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, Patroni principalis, omniumque Sanctorum.

XVIII. Festis diebus quibuscumque recurrentibus apothecae, seu officinae mercatorum, & opificum nec omnino, nec aliqua ex parte apertae sint, nulla suffragante contraria etiam immemorabili consuetudine (d): neve aliquid publice ematur, vel vendatur, praeter esculenta, & poculenta, seu quae ad necessitatem victus illius dici, aut ad aegrotorum curationem necessaria sint (e); & haec num-

(a) Benedict. XIV. in bulla *Paternae caritatis* 105., & in bulla *Ab eo tempore* .144. tom. 1. Bullarii.

(b) Brasch. Promptuar. synod. c. 12. num. 39.

(c) Cap. *Licet*. de feriis.

(d) Sac. Cong. Conc. in Barchinonen. observat. festor. 13. Maii 1669., & 27. Martii 1683. ap. Bened. XIV. const. *Ab eo tempore*. §. 17.

(e) Const. 7. Pii V. *Cum primum*. §. 17. Conc. Mediol. 1. tit. de festorum dierum cultu §. *Ne quid ematur*.

quam prope eccleſias, in earumve proſpectu venalia proponantur (a), neque, dum divina celebrantur officia, & chriſtianae catecheſes, & inſtructiones in parochialibus eccleſiis habentur, cauponae, ſeu cellae vinariae, ſive publicae hae ſint, ſive privatae apertae retineantur (b). Quicumque in haec deliquerint, poenas luent in noſtro edicto contentas, quas & dabunt pater, dominus, & artifex, ſi pro officinis apertis, rebuſque venditis filius, famulus, miniſtri peccaverint (c).

XIX. Contractus cum juramento non ſtipulentur a notariis, niſi pietatis cauſa, urgeat actus; & ſtrepitus omnes iudiciarii diebus feſtis, & a jure feriatis in honorem Dei ſileant ſub poena nullitatis, niſi in cauſis alimentorum, excarcerationis, aliiſque irreparabilem moram patientibus; mandata civilia quorumlibet judicum tam contra perſonas, quam contra bona exequi veramus ſub mulcta decem ſcutorum tam contra mandantes, quam contra exequentes, excepto tantum caſu *ſuſpecti de fuga* cum ſuis requiſitis (d).

XX. Similiter diebus feſtis neque teſtes examini ſubjiciendi ſunt, etiamſi profeſto die juraverint, cum penitus ſilere debeat omnis curia (e).

XXI. Expreſſe interdicimus diebus dominicis, & feſtis de praecepto tam ſub aperto coelo, quam in domibus privatis choreas, ſaltationes, & tripudia habere, iiſque intereſſe: cytharas pulſare, & ad haec peragenda domus commoditatem praebere: prohibemus etiam diebus feſtis publicas cantiones, & ſonos in plateis, vel circumeundo per vias tam de die, quam de nocte, aleas, & taxillos, & ludos omnes, qui a fortuna pendent, publice, vel in apothecis, quo plerumque & paſſim conveniunt otioſi homines, ſub poenis arbitrio noſtro; quos in fragranti ut dicitur, contraventione deprehenſos, in vincula rapi mandamus; ſcenicas quoque artes, vel torneamenta peragere diſtricte vetamus. Obſequentes inſuper juſſionibus Benedicti XIV. in conſtitutione, quae incipit = *Nihil profecto* (& eſt num. 60. in Tomo 1. ſui Bullarii) di-

(a) Conc. Mediol. 3. tit. de feſtorum dierum cultu §. ne qua res.

(b) Braſch. prompt. ſynod. cap. 12. num. 37.

(c) Conc. Mediol. 1. tit. de feſtor. dierum cultu §. pro officinis ſynod. Farſen. Barberini cap. 18. n. 4.

(d) Cap. *Conqueſtus*. de feriis S. Pii V. conſt. *Cum primum*. Synod. Blaſ. 1715. cap. 8.

(e) S. Pius V. conſtit. *Cum primum*. Barſanti in ſyn. an. 1777. cap. 6. ſeſſ. 2.

diſtrictiori ſanctione interdicimus diebus feſtis, etiam ſanctorum Patronorum ſolemnibus curſus, ſive luctas virorum, aut etiam puerorum, qui utriuſque ſexus inſpectante frequentia in ſpem bravii, nudi, vel ſeminudi invicem contendunt, non obſtante quacumque conſuetudine, vel licentia, veluti turpiſſimas, & obſcoenas exercitationes prorſus eliminandas, ſub poena carceris, aliiſque poenis etiam corporalibus arbitrio noſtro adverſus contravenientes, iiſque cauſam, & occaſionem exhibentes: qua noſtra conſtitutione edictum innovamus hac de re emanatum uſque a menſe Auguſti anno 1742. ab Illmo praedeceſſore noſtro Johanne Angelo Bacchettoni, cui noviſſimis temporibus plurimis in dioeceſis noſtrae locis debitam nequaquam vigere obſervantiam, non ſine magno animi noſtri dolore deprehendimus.

XXII. Contra eos, qui intra 40. paſſuum ſpatium, vel in conſpectu eccleſiarum ſtrepitus, & nugaces coetus cogere, aut ſimilia peragere auſi fuerint, graves poenas etiam carceris indicimus. In viis etiam, per quas frequentes tranſeunt fideles ad viſitandam aliquam eccleſiam, vel ſacram imaginem diebus feſtis, vel certis etiam profeſtis diebus ludere rotulis vulgo *Ruzziche* prohibemus ſub poena in edicto contenta.

XXIII. Diſtricte pariter prohibemus circulatores, mimos, hiſtriones, ſcurras, alioſque in tabulatis, vel equis conſiſtentes, medicaminibus, vel ſuis dicteriis populum in circo invitantes, & morantes. Haec, & ſimilia, quae in conſpectu Dei, & eccleſiae ſunt profanationes feſtorum dierum, deteſtamur, ſub poenis in ſupra enunciato edicto fulminatis, aliiſque arbitrio noſtro vindicanda (a), ſicut in conſtitutione S. Pii V. diſponitur, quam ſervandam praecipimus cum altera Urbani VIII.

XXIV. Commeſſationes, comportationes, & ebrietates in tabernis, aliiſque locis, quo infimae plebis homines conveniunt, quae ſunt cauſae omnium malorum, luxuriae, rixarum, & aliarum Dei offenſionum cum pauperum familiarum pernicie, diſtricte prohibemus. Noſtra praeterea haec eſſent deſideria, ut feſtis diebus vinum publice in tabernis non biberetur, ſed qui pro ſua, vel familiarum neceſſitate vino indigent, illud acciperent ad proprias domos aſportandum, ſicque non voluptati, ſed uſui conſuleretur. Verum tot ſunt

(a) Ben. XIV. conſtit. *Inter cetera*. 45. tom. 2. Bullar.

ſunt neceſſitatis caſus, ut in particularibus omnibus nimis eſſet difficilis explicatio. Ideo diſtricte ſaltem imponimus, & jubemus, ut qui in privatis domibus, & tabernis vinum bibendum propinant potatores arceant, dimittant; & omnino oſtium claudant horis, quibus celebrantur miſſae ſolemnes, divina officia, & publicae in eccleſiis preces, concio, & exercitium doctrinae Chriſtianae habentur, ut jam ſupra ſancitum eſt; ſi ſecus faciant, etiam pro prima vice, & per inquiſitionem poenis in edicto ſubjaceant, aliiſque arbitrio noſtro tam vinum in tabernis vendentes, quam bibentes. In publicis etiam cauponis per has horas conventus ad bibendum fieri vetamus ab indigenis, & civibus ſub iiſdem poenis, licet viatores, & peregrini admitti non prohibeantur.

XXV. Bacchanaliorum tempore, quod aegre ab eccleſia tolleratur, nemini liceat larvam ſumere, & publice debacchari diebus feſtis ſub poena carceris, aliiſque graviſſimis arbitratu noſtro infligendis (a).

XXVI. Profecto cum ex ſanctis Patribus, praeſertim S. Auguſtino, & ex aliis eccleſiae Doctoribus, praecipue S. Thoma, didicerimus, feſtorum ſanctificationi magis adverſari peccata, quam ipſa prohibita ſervilia opera, peccata namque verum Dei cultum impediunt uti tradidit Angelicus Doctor his verbis = *Et quia magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis ſit corporale, ideo magis contra hoc praeceptum agit qui peccat in die feſto, quam qui aliud corporale opus licitum facit* = (b). Idcirco Parochis noſtris committimus, ut eorum plebi crebro atque efficaci ſermone inculcent, eamque urgeant, ut diebus praecipue feſtis in peccata non labatur: & quia in vino luxuria eſt, & a tabernarum frequentatione oriuntur perſaepe ebrietates, blaſphemiae, rixae, homicidia aliaque gravia ſcelera, quae divinae majeſtati gravem injuriam irrogant; debet quiſque a tabernis, & ſuperfluis vini potationibus abſtinere, ne dictorum ſcelerum reus efficiatur.

XXVII. At quia parum eſt feſto die mala non agere, niſi quiſque ſtudeat, & in bona opera incumbere, ideo declaramus, veram

(a) Bened. XIV. epiſt. encycl. ad Archiep. & Epiſcopos ditionis temporalis Pontif. Kal. Jan. 1748.

(b) S. Thom. 2. 2. qu. 122. art. 4. ad 3.

rum feſtorum obſervantiam eam eſſe, qua Chriſti fideles ne dum ſeſe abſtinent ab operibus ſervilibus, & ſe temperant a peccatis, ſed qua ulterius omni ferme die feſto, quantum fert humana conditio, chriſtianae pietatis operibus vacent, & devotioni: quapropter Nos veſtigiis S. Caroli inhaerentes irerum Parochis exixe commendamus, (quod & cum proportione volumus, ut opportunis oblatis occaſionibus circa poenitentes ſuos diligenter praeſtetur a confeſſariis) ut ſibi concreditas oves ſaepe admoneant, feſtorum dierum tempus tranſigendum eſſe in miſſis, diviniſque veſperarum officiis attente audiendis, in expianda a culpis propria conſcientia, in ſanctiſſima Euchariſtia devote ſuſcipienda, in viſirandis eccleſiis, in recolendis divinis in nos beneficiis, debitiſque pro illis reddendis gratiis. Non ceſſent quoque monere, ut in chriſtianae doctrinae rudimentis ediſcendis, vel explicandis pro eorum indigentia, capacitate, & munere verſentur, ut adſint, ubi verbum Dei enunciatur, ut interſint recitationi Roſarii Beatiſſimae Virginis, & ſerotinis precationibus coram Auguſtiſſimo Sacramento. Demum ſuadeant, ut ſeſe fideles exerceant in inviſendis aegrotis, in pie conſolandis morientibus, & afflictis, aliiſque ſimilibus praeſtandis chriſtianae pietatis officiis: haec plane eſt mens ſanctae Matris eccleſiae, ut ſic eos dies, quos ſibi reſervavit miſericors Deus, impendamus in illius honorem, & gloriam, & in noſtrarum animarum ſalutem, ut inde etiam ab eo ampliora conſequi mereamur beneficia.

XXVIII. Praeſcripta hucuſque noſtra non ſervantes ad iracundiam, & furorem divinam clementiam provocabunt: ſiquidem profanationes dierum feſtorum paſſim in ſcriptura ſancta deteſtatur Deus promittens, & jurans, ſe de tanto ſcelere ulturum: In cap. 1. Iſaiae & in cap. 11. Malachiae verbis jam ſupra relatis ſub finem num. 6. ex inſtitutione 43. Benedicti XIV., atque Ezechielis xx. = *Sabbatha mea violaverunt vehementer = Dixi ergo, ut effunderem furorem meum ſuper eos, & conſumerem eos* (a).

§. V.

(a) Vide in ſyn. Toſi §. 4. In ſyn. Barſanti ſeſſ. 1. In ſin. Lanucci tit. 3. cap. 1.

§. V.

De obligatione colendi Deum praecipue tempore quadrageſimali, & tempore adventus.

Adjuvantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis = Ait enim = Tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis adjuvi te = 2. ad Corinthios 6. verſ. 1., & 2. ex cap. 49. Iſaiae verſ. 8. =

I. QUuod convenientiſſime aptemus Adventus Domini & ſacratiſſimae Quadrageſimae temporibus nomen temporis accepti, & dierum ſalutis, in quibus ſpecialia divinae gratiae adjumenta, & promptiorem miſericordis Dei exauditionem ſancta ſcriptura fidelibus pollicetur, non eſt in dubium revocandum a quocumque ſerio cogitante praecipua Redemptionis noſtrae myſteria, quorum memoriae, ac praeparationi dicta tempora ab eccleſia religioſiſſimo, ac ſapientiſſimo fuerunt conſilio dedicata. Cum enim Adventus Incarnationis Dei, & temporalis Filii Dei in carne noſtra mortali Nativitatis ſolemnis quaedam recordatio ſit, & ad uberiores tam inſignis beneficii fructus percipiendos diſpoſitio; & Quadrageſima paſſionis, mortis, ſepulturae, ac reſurrectionis Salvatoris noſtri memoriam renovet feſtivitatemque praecedat, ſicuti diebus iſtis ardentiori ſtudio pietatis operibus vacare debemus, ita in illis pleniori menſura divinae clementiae largitiones nobis convenit expectare.

II. Ut autem de utraque ſpecialem exigente ſanctitatem, atque miſericordiam promittente dierum ſerie quo diſtinctius, eo opportunius loquamur, de adventu ſigillatim pertractantes notum omnibus eſſe volumus, quod, ut narrat celebris Pater Martene in egregio ab eo conſcripto libro de antiquae eccleſiae ritibus, a primis uſque chriſtianis ſaeculis unanimi fidelium conſenſu Adventu recurrente Dominico devotionis fervor augebatur tum in oratione, quae erat humilior, atque prolixior, tum in abſtinentia etiam a licitis voluptatibus, quarum ſibi quiſque interdicebat uſum, tum in corporis quoque maceratione: nam fere in cunctis dioeceſibus generale indicebatur, ſervabaturque jejunium; de qua re innumera laudatus Scri-

Scriptor ibi profert exempla nedum eccleſiae Graecae, ſed & Latinae in Italia praeſertim, & in Galliis, atque in multis Germaniae provinciis: & quamvis laicos inter, abundante ſaeculari iniquitate, & divina caritate frigeſcente poſtmodum ceſſaverit hujuſmodi poenitentiae obſervantia, eam nihilominus diu retinuerunt clerici, uſque dum ab iis etiam eum neglecta videretur, inſtaurarunt illam Monachi univerſi & Ordines regulares, qui etiam nunc veruſtiſſimum jejunandi morem firmiter cuſtodiunt. Hinc in Synodo Treenſi anni 1459. legimus = *In Adventu Domini eſt multum commendabile jejunium illis, quibus Dominus dederit voluntatem pariter, & facultatem, & maxime clericis* =. Et in Epiſtola S. Caroli Borromei anni 1573. = *Jejunium*, inquit ille, *toto Adventu a multis olim fidelibus obſervatum, utpote quibus totum hoc tempus ſit inſtar vigiliae Natalitiorum Domini, quod longius videri non debet, conſiderata feſti illius excellentia* =. His accedit aliud motivum impellens fideles ad exercitia poenitentiae etiam exterioris tempore Adventus; tunc enim recogitandum alumnis ſuis proponit Eccleſia ſecundum quoque futurum Jeſu Chriſti adventum, quando ſcilicet in poteſtate magna, & majeſtate veniet omnes gentes judicaturus. Quare ad hoc, ut juſtae Judex ultionis donum faciat remiſſionis ante diem rationis, tempore illo ad praeveniendum ejus judicium ſpeciatim deputato, nil magis Chriſtianis competit, quam voluntariis corporis cruciatibus proprias in ſeipſis culpas punire.

III. Etſi tamen non ad hunc finem, quae recenſuimus dirigamus, ut generale ſervetur in dioeceſi noſtra jejunium toto Adventus tempore, hoc namque ſufficit, quod in deſiderio habeamus; credimus vero, multum valere poſſe quae adnotavimus ad hoc, ut quicumque ditioni noſtrae ſubjecti ſunt, lubenti animo admonitionem noſtram exeipiant, qua eis ſuggerimus, quod ſaltem decurſu novem dierum immediate Nativitatis Chriſti feſtum praecedentium a carnibus comedendis ſe continere velint, & uniea ſint comeſtione contenti, cujus rationabilis mortificationis exemplum quamplurimi alibi degentes Chriſtiani, illis praebent tum elericalis coetus, tum laicalis.

IV. Praeterea ſtatutis obſequentes a Patribus Tridentinis ſeſſione 24.

ne 24. de reformatione capite 4. , ubi praecipitur , quod tempore Adventus Domini quotidie , vel ſaltem tribus in hebdomadae diebus ad fidelium ſalutem praedicationis munus in ſacris templis exerceatur , improbamus abuſivam conſuetudinem eccleſiae noſtrae cathedralis , in qua tempore Adventus in diebus tantum Dominicis praedicatur verbum Dei , & jubemus tam ibi , quam in omni Archipresbyterali , ſeu principaliori univerſae dioeceſis eccleſia ſacram habendam eſſe concionem quo frequentius fieri poſſit in toto Adventu ; quod ſi legitimis excuſantibus cauſis nullo profeſto die id exequi poterit , abſolute tamen praecipimus , adimplendum fore ſingulis nedum Dominicis , ſed aliis etiam incidentibus feſtis diebus , & in diebus quoque tribus feſtis ſolemnitatem Natalis Domini immediate ſubſequentibus .

V. Nolumus autem Praedicatores deputatos ad id praeſtandum (quod communiter evenire ſolet) circumſtantias illius venerabilis , ac devotiſſimi temporis omnino negligere , & parum , aut nihil prorſus de myſteriis Incarnationis , & Nativitatis Redemptoris noſtri loqui , ex quo fit , chriſtianam plebem de angulari lapide , ſeu fundamento ſpiritualis aedificii noſtri , de primo ſalutis noſtrae ſacramento Deo homine , ea omnia ignorare , quorum annunciatio , explicatio , & inſtructio ad reverentiam , ad fiduciam , ad amorem, & ad gratiarum actionem facillime eam moveret , & provocaret . Quamobrem enixe rogamus concionatores pro Adventus tempore deligendos , ut ea dicant audientibus , quae illius melliflui temporis jucundiſſimus recurſus exigit , quod dicantur . De univerſali judicio a divino Unigenito in conſumatione ſaeculi faciendo in prima Dominica ſermonem inſtituantiat non omittant ſecundum illum terroris adventum cum primo dignationis , & gratiae comparare ; veſtigiis haerendo divi Bernardi ſic alloquentis Claravallenſes Monachos (a) . = *Dignum eſt , Fratres , ut tota cum devotione Domini celebretis Adventum , delectati tanta conſolatione , ſtupefacti tanta dignatione , inflammati tanta dilectione . Nec vero ſolum cogitetis adventum , quo venit quaerere , & ſalvum facere quod perierat ; ſed & illum nihilo minus quo veniet , & aſſumet nos ad ſeipſum . Utinam circa hos duos adventus jugi meditatione verſemini ruminan-*

(a) D. Bernardus ſerm. 4. de Adventu .

minantes in cordibus veſtris quantum in priore praeſtiterit, quantum promiſerit in ſecundo =. In ceteris autem concionibus incarnati Verbi aeterni oeconomiae ſcopum, & divinae Incarnationis cauſas, & circumſtantias, neceſſitatem, convenientiam, atque fructum exponant; naſcentis praeſertim Redemptoris humilitatem, caritatem, amabilitatem, conſiderandam proponant, & ad ſpiritualem renovationem Nativitatis illius in cordibus credentium hominum, quae congruentia, & utilia ſunt, non deſinant inculcare. Verbum caro factum (ut obſervat alicubi ſeraphicus doctor S. Bonaventura) liber eſt, quem Johannes vidit in Apocalypſi, in quo haec documenta leguntur = *Deus admirabilis*, *mundus contemptibilis*, *virtus laudabilis*, *peccatum deteſtabile*, *anima inaeſtimabilis*, *poena interminabilis*, *& gloria ineffabilis* =. Diſpenſatores igitur Verbi Dei, Adventu recurrente Dominico hunc aperiant librum, & auditorum mentibus evolvendum, atque etiam deglutiendum exhibeant.

VI. Ne autem praedicationis fructus a ſaeculis oblectamentis praepediatur Adventus Domini tempore, piis operibus praecipue ab eccleſia deſtinato, omnino prohibemus tripudia, publicas cantiones, ſpectacula, & ſonitus ſive per diem, ſive per noctem, aliaque omnia interdicta diebus feſtis per annum in praecedenti paragrapho de obligatione colendi Deum quam maxime diebus feſtis, ſub iiſdem poenis, aliiſque arbitrio noſtro infligendis (a).

VII. Haec omnia pariter vetamus tempore ſanctiſſimae Quadrageſimae, in cujus decurſu praeter jejunandi praecepti obligationem, de qua ſequenti paragrapho ſermo erit, commendamus omnibus ſingulare pietatis ſtudium, & numquam intermiſſam ſui ipſius abnegandi curam. *Profecto devotionem noſtram* (ait S. Leo Papa ſermone XL. de Quadrageſima IV.) *praeſentes vel maxime dies exigunt, quos illi ſublimiſſimo divinae miſericordiae ſacramento ſcimus eſſe contiguos*, & ſermone XLII. in Quadrageſima V. *Quia* (inquit) *paucorum eſt tam ſolida fortitudo, ut nulla inaequalitatum perturbatione quatiantur, & multos fidelium non adverſa tantum, ſed etiam ſecunda corrumpant, ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas fauciatur, diligens eſt adhibenda*

(a) Syn. Blaſ. 1715. cap. 9., & Lanucci in Syn. tit. 3. cap. 2. n. 8.

benda curatio ... Quando autem opportunius ad remedia divina decurrimus, quam cum ipſa nobis ſacramenta redemptionis noſtrae temporum lege referuntur ? Utamur igitur ſaluberrimi temporis venerabilibus inſtituris, & ſollicitiore cura cordis noſtri ſpecula tergamus. Quantumlibet enim caſte, & ſobrie mortalis haec vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenae converſationis aſpergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita a fumo totius vanitatis alienus eſt, ut nulla poſſit ſorde fuſcari, & non ſemper indigeat expoliri. Quod ſi etiam cautiſſimis animabus neceſſarium eſt, quanto illis amplius eſt expetendum, qui tota fere anni ſpatia aut ſecurius, aut negligentius tranſierunt ? Et S. Auguſtinus ſermone CCV. alias de diverſis LXVIII., Quadrageſimam inſtitutam eſſe docet, ut eo tempore crucem caſtigandi corporis aſſumamus. *Congruit*, inquit, *noſtrae devotioni, ut qui Domini Crucifixi Paſſionem jam propinquantem celebraturi ſumus, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipſis etiam faciamus, ſicut dicit Apoſtolus* (a). = Qui autem Jeſu Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum paſſionibus, & concupiſcentiis : in hac quidem cruce per totam iſtam vitam, quae in mediis tentationibus ducitur, perpetuo debet pendere Chriſtianus : non enim eſt in hac vita tempus evellendi clavos, de quibus in Pſalmo dicitur (b). *Confige timore tuo carnes meas*. Carnes ſunt carnales concupiſcentiae, clavi ſunt praeceptа juſtitiae : his illas timor Domini configit, qui nos illi acceptabilem hoſtiam crucifigit. Crux ergo iſta, in qua Dei ſervus non ſolum non confunditur, ſed etiam gloriatur, non quadragena dierum eſt, ſed totius hujus vitae, quae myſtico numero quadraginta iſtorum ſignificatur dierum : unde Moyſes, & Elias, & ipſe Dominus quadraginta diebus jejunaverunt, ut innueretur nobis, & in Moyſe, & in Elia, & in ipſo Chriſto, hoc eſt in lege, & Propheris, & in ipſo Evangelio id nobiſcum agi, ne conformemur, & haereamus huic ſaeculo, ſed crucifigamus hominem veterem .... Sic ſemper hic vive chriſtiane .... Si terreno limo greſſus non vis immergere, noli de iſta cruce deſcendere. Si autem hoc faciendum eſt per hanc totam vitam, quanto magis per iſtos Quadrageſimae dies, quibus non ſolum agitur, verum etiam ſignificatur haec vita = ?

VIII. Qua-

(a) Ad Galatas 5. (b) Pſalm. 118.

VIII. Quapropter hortamur & clerum & populum dilectiſſimum noſtrum, ut Quadrageſimalibus decurrentibus diebus ſacris concionibus interſint, lectiones pias frequentent, ſalutaribus meditationibus vacent, in oratione inſiſtant, operibus miſericordiae incumbant, exercitium vulgariter dictum *Viae Crucis* perſaepe aggrediantur, & expleant, ſolitudinem inquirant utut cuique licebit, & ſilentium cuſtodiant, peccata defleant, propoſita emendationis confirment, & per conſortium Paſſionis Chriſti eo intendant, quo participes Reſurrectionis ejus efficiantur.

§. VI.

De obligatione colendi Deum obſervantia jejuniorum.

Scitote, quia exaudiet Dominus preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in jejuniis, & orationibus in conſpectu Domini. Jud th 4. v. 12.

I. GRatum Deo eſſe jejuniorum noſtrorum obſequium, finis ipſe, quem nobis jejunando praefigimus, apertiſſime oſtendit. Ut quid enim jejunamus, niſi divina beneficia impetrandi cauſa, vel mortificandae carnis, & concupiſcentiae reprimendae, vel pro peccatis ſatisfaciendi, vel animum ad orationem praeparandi, vel purgandi mentem ad rerum divinarum contemplationem? Quae omnia ſine dubio ad Dei ſpectant cultum, honorem, & gloriam. Optimas iſtas cujuſcumque jejunii rationes peculiaribus aliis juſtis, ac laudabilibus cauſis potiores fieri cernimus, ſi unius, aut alterius jejuniorum, quae ſunt in praecepto, occaſionem, ſive intentum attente ſcrutamur. Praecipitur quadrageſimale jejunium, ut totum eccleſiae corpus ſimul poenitentiam agat, maculaſque totius anni decurſu contractas eluat, ut omnes, ac ſinguli Chriſtiani carnis mortificatione & caſtigatione Chriſto quadantenus commoriantur; ut ad Paſchalem ſolemnitatem, & ad Euchariſtiam ea die percipiendam ſe praeparent, ut totius anni decimas per jejunium conſectemus; ut denique Chriſti Salvatoris noſtri jejunium pro modulo noſtro imitemur, atque honoremus. Praecipitur jejunium quatuor temporum, ut nullum ſit anni tempus a jejuniis vacuum; ut non

ſit

ſit inferior Chriſtianorum abſtinentia, & juſtitia, quam Judaeorum; ut eccleſia partim Deo ſupplicet pro terrae frugibus, partim gratias agat pro fructibus perceptis; ut denique ſacrarum Ordinationum, quae tunc fiunt, venerationi conſpirent & ii, qui ordinant, & illi, qui ordinantur, & univerſus populus, pro cujus utilitate ordinantur: praecipitur demum jejunium in vigiliis nonnullarum praecipuarum ſolemnitatum, ut fideles a vitiis expiati ad feſta religioſe, ac devote celebranda praeparentur.

II. Jejunia igitur, quae in eccleſia ſtatis temporibus, & diebus obſervantur, perperam ab haereticis inutilia reputantur, neque lex de illis lata ullo modo infirmari poteſt; tum quia de auctoritate a Chriſto eccleſiae attributa ferendarum legum pro Chriſtiani populi regimine in ordine ad ſalutem aeternam manifeſtiſſima extant teſtimonia Matthaei XVIII., & Lucae X., tum quia obligationis jejunandi monumenta luculentiſſima produnt chriſtianae religionis ſaecula antiquiora. Sane jejunia quatuor Temporum ab univerſa eccleſia religione obſervata fuiſſe ſaeculo V., ſermones S. Leonis Magni de jejunio Pentecoſtes, necnon de jejuniis ſeptimi, & decimi menſis fidem faciunt. Nec reticendum eſt, quod laudatus Leo Papa ſermone octavo de jejunio decimi menſis quatuor Temporum jejunia ex doctrina Spiritus ſancti inſtituta eſſe docet. *Hujus obſervantiae utilitas*, inquit, *in eccleſiaſticis praecipue eſt inſtituta jejuniis, quae ex doctrina ſancti Spiritus ita per totum anni circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiae omnibus ſit adſcripta temporibus. Siquidem jejunium vernum in Quadrageſima, aeſtivum in Pentecoſte, autumnale in menſe ſeptimo, hyemale in hoc, qui eſt decimus celebremus.* Quadrageſimalis autem jejunii diſciplinam ab Apoſtolis inſtitutam, & traditam S. Hieronymus Epiſtola LIV. ad Marcellam affirmat. *Nos*, inquit, *unam Quadrageſimam ſecundum traditionem Apoſtolorum toto anni tempore nobis congruo jejunamus. = Certe quod univerſa tenet eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſime creditur*, ait S. Auguſtinus libro IV. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. XXIV., & Epiſtola LIV., alias CXVIII. ad Januarium idem repetit. Quadrageſimale porro jejunium univerſa tenet, ſemperque retinuit Eccleſia, nec ab aliquo inſtitutum Concilio eſt, nec

nec illius initium poteſt oſtendi: ab Apoſtolis igitur traditum merito aſſerirur: hinc Quadrageſimalis jejunii meminerunt quarti, & quinti ſaeculi Patres velut obſervantiae generalis, cujus lege Chriſtiani omnes tenentur, nec ſua primum aetate, ſed retroactis ſaeculis inſtitutum fuiſſe, ac univerſim in eccleſiam obſervatum ſupponunt. Id manifeſtiſſimum erit legenti Canonem v. Concilii Nicaeni, Canonem L. Synodi Laodicenae, Epiſtolam ad ortodoxos ſancti Athanaſii, Catecheſim primam S. Cyrilli Hieroſolymitani, Homiliam ſecundam S Blaſilii de jejunio, Orationem XL. S. Gregorii Nazianzeni, Expoſitionem fidei catholicae S. Epiphanii, Homiliam in principium jejuniorum S. Gregorii Nyſſeni, Homiliam XVI. ad populum Antiochenum S. Johannis Chryſoſtomi, caput X. Libri de Elia, & jejunio S. Ambroſii, Librum de haereſibus, Sermones de Quadrageſima, & Epiſtolam LV. S. Auguſtini, Sermones de Quadrageſima S. Leonis Papae, Sermonem LXVI. S. Petri Chryſologi, & caput XXIV. Caſſiani in collatione XXI.: & quod idipſum confirmaverint ſequentium ſaeculorum Patres, ex eorum doctrinae conſcriptis monumentis liquido conſtat.

III. Quae cum ita ſint, volumus In primis, ut propriam agnoſcentes ignorantiam rubore perfundantur quicumque ad populum, ſive clerum noſtrum pertinentes id conſueverint dicere, quod moderni quidam pſeudochriſtiani ſolent evulgare, Quadrageſimam nempe eſſe abolendam hoc poſcente humanae complexionis vi debilitatanimis, & currentium temporum ratione hujuſmodi continuatae abſtinentiae prorſus incapaci, & quod de abroganda Quadrageſima ſerio jam cogitare coeperant ſupremi eccleſiae Paſtores, ita ut brevi elapſo intervallo legitima, & publica providentia tam longa, & gravis obſervantia irritanda ſit. Pudeat illos haec ſive finxiſſe, ſive credidiſſe: cum jejunii quadrageſimalis inductio, quae Spiritum ſanctum habet authorem, Apoſtolos magiſtros, univerſos eccleſiae proceres cuſtodes, ac propugnatores, Eccleſia ſemper ſervatura ſit, quidquid in contrarium ſomnient, aut latrent hodierni ventris idolatrae, & inimici Crucis Chriſti Jeſu.

IV. Deinde, ut eccleſiaſtica jejunia in noſtra dioeceſi venerentur, ac adimpleantur, quaedam ſancienda, quaedam enuncianda deſumimus: & primo notum ſit omnibus, violationem jeju-

nii

nii eccleſiaſtici lethale eſſe peccatum . Chriſtiani enim eccleſiae matris legibus , & praeceptis obedire tenentur . Abſtinentia autem , & jejunium ab eccleſia indictum , cum ſint materia gravis , eorum violatio , quamvis ex conſuetudine , aut contemptu non fiat , veniale peccatum eſſe non poteſt in iis , qui ſcientes , volentes abſque legitima cauſa , & juſta neceſſitate carnes , alioſve cibos vetitos comedunt , aut jejunium ſolvunt : unde Concilium Gangrenſe canone XIX. ita decernit . *Si quis abſque corporali neceſſitate tradita jejunia , quae communiter ſervantur ab eccleſia , diſſolvat , anathema ſit* . Quomobrem jejunii fractionem tamquam graviſſimum ſcelus poenis graviſſimis ſubjecerunt Eccleſiae ſtatuta · Concilium Carthaginenſe quartum canone LXIII. ſtatuit , clericum , qui tempore jejunii abſque inevitabile neceſſitate jejunium rumpit , minorem *habendum* , ideſt a gradu ſuo deponendum . Concilium Toletanum octavum anno DCLIII. canone IX. decrevit = *Ut quiſquis abſque inevitabili neceſſitate , atque fragilitatis evidente languore , ſeu etiam aetatis impoſſibilitate diebus Quadrageſimae eſum carnium praeſumpſerit attentare , non ſolum reus ſit Reſurrectionis Dominicae , verum etiam alienus ab ejuſdem diei ſanctiſſima Comunione . Et hoc illi cumuletur ad poenam , ut ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat gulam , quia ſacris diebus abſtinentiae oblitus eſt diſciplinam* .

V. Annunciamus inſuper , ab eccleſiaſtici jejunii obſervatione Chriſtianorum neminem diſpenſari , niſi ob inevitabilem neceſſitatem , aetatis praeſcriptae defectum , aut gravem infirmitatem , atque languorem . Ob neceſſitatem diſpenſantur a jejunii lege pauperes oſtiatim mendicantes , ſive ad eas anguſtias redacti , ut ſtato refectionis tempore non habeant , nec habere poſſint , quod uni juſtae refectioni ſatis ſit (a) . Neceſſitas pariter poſtulat , ut cum mulieribus gravidis , & nutricibus diſpenſetur , quibus copioſius alimentum ob foetum, aut prolem neceſſarium eſt, cui providere naturaliter tenentur . Ob neceſſitatem diſpenſari poteſt jejunium tempore obſidionis , aut famis , cum cibi quadrageſimales deſunt , ut colligitur ex capite *Conſilium* , extra de obſervatione jejuniorum . Sed iſtius neceſſitatis judex , & arbiter Epiſcopus eſſe debet , ſine cujus licen-

(a) S. Thom. 2. 2. quaeſt. 147. art. 4. ad 4.

licentia ciborum vetitorum eſus non eſt praeſumendus. Neceſſitas denique a jejunio excuſat illos omnes, quibus aliquod opus faciendum incumbit, quod facere non poſſunt, ſi jejunent. Quapropter a jejunii lege ſoluti ſunt artifices gravia, dura, & laborioſa opera facientes iis diebus, quibus laborant, vel quibus ex praecedentis diei labore ſunt plurimum fatigati, ut fabri lignarii, ferrarii, foſſores, lapicidae, bajuli, agricolae, vinitores, aurigae, & curſores quo tempore iter faciunt. Non vero textores, piſtores, ſartores, barbitonſores, pictores, aurifices, muſici, procuratores, judices, advocati, & alii hujuſmodi opera facientes, quae vires corporis non multum exhauriunt, nec ita corpus debilitant, ut ad ferendum jejunii laborem ſit impotens. Iter agentes, qui pedibus iter conficiunt neceſſarium, & quod moram non patiatur, ſive qui labore itineris adeo afflliguntur, ut ſimul cum jejunio itinerari non poſſint (ut loquitur S. Thomas in 4. ſententiarum diſt. 15. art. 2. quaeſtiuncula 4. ad primum) jejunii lege pariter ſoluti ſunt ratione neceſſitatis; non autem ſi curru, equo, navigio vehantur, aut iter in alium diem a jejunio liberum commode differri poſſit. Itaque inter alias propoſitiones erroneas, & ad praxim nuſquam deducendas iſtas etiam merito damnavit Alexander VII. P. M. die XVIII. Martii anno MDCLXVI. XXX. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio*: XXXI. *Excuſantur abſolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiam ſi iter unius diei conficiant.*

Sed & conjugatos a jejunii obligatione liberari, quando illud ſervando nequeunt invicem reddere debitum conjugale, falſa eſt; & erronea propoſitio, caſtaſque aures, & animos offendens, ut mirum ſit a quibuſdam caſuum arbitris aſſertam.

Ratio altera, ob quam aliquis a jejunii lege ſit immunis, eſt aetatis praeſcriptae defectus. Quare pueri jejunii lege non tenentur uſque ad finem tertii ſeptennii, ideſt uſque ad annum vigeſimum primum complerum. Expedit tamen, ut jejuniis plus, vel minus aſſuefcere doceantur pro ratione aetatis, & aliarum circumſtantiarum, praeſertim vero cum in iis fervere incipit carnalis concupiſcentia, ad quam

 doman-

domandam certos jejuniorum dies ipſis prudens animarum medicus praeſcribet, ex iis praeſertim, qui Eccleſiae lege jejunio conſecrati ſunt, quemadmodum docet S. Thomas 2. 2. quaeſt CXLVII art. IV. in reſponſione ad ſecundam objectionem. Ad ſenes quod attinet, nullum certum tempus definitum eſt, quo jejunii lege ſoluti ſint, cum alii citius, alii tardius ſeneſcant. Senes vegetos jejuniorum eccleſiaſticorum lege teneri minime dubium eſt, etſi ad ſexageſimum annum, & ultra ſint aetate provecti. Verum decrepita, caduca, & languida ſenectus, quae magna per ſe infirmitas eſt, hominem a jejunii lege diſpenſat. Unde Concilium Toletanum octavum eos a jejunii obligatione immunes eſſe docet, *quos aetas incurvat*. Alioquin, *ſenibus conſuetudo, & familiaritas jejunii levem facit laborem* (inquit S. Baſilius oratione II de jejunio.)

Tertia demum diſpenſationis a jejunio eccleſiaſtico ratio eſt gravis infirmitas, vel languor extenuans. Propterea a jejunii lege diſpenſati poſſunt, qui graves ſtomachi dolores, aut capitis vertigines, cordiſve deliquia jejunando patiuntur, aut noctes adeo inſomnes ducunt, ut inde periculum imminear valetudini: non vero qui toleranda, nec periculoſa ſentiunt interdum capitis, aut ſtomachi incommoda, quibus nocere non poteſt jejunium, quod *animabus, corporibuſque curandis ſalubriter inſtitutum eſt* (ut Eccleſia ſuis in orationibus loquitur) Non ſolito brevior, aut difficilior ſomnus, cum jejunium ad macerandam carnem praeceptum ſit, parſque ſit poenitentiae ſomno minus indulgere. Qui autem magnam partem noctis dormire non poteſt, niſi coenet, indeque de valetudine ſua probabiliter timet, non propterea jejunii lege ſolutus eſt, ſed tenetur plenam refectionem in veſperum differre, & meridie leve jentaculum ſumere poteſt, id ſcilicet, quod Chriſtiani probatae conſcientiae veſpere ſumere conſueverunt in coenula. Non excuſat pariter a jejunio ſola jejunandi difficultas. Unde ſi ſcholaſticus jejunando non ita commode ſtudeat, ſed cum magna difficultate, ſi mulier ex debilitate jejunii ſervitia domus difficilius, & incommode operetur; ſi vir ſuum officium, artemque jejunando difficulter exerceat, ex hoc ſolo capite a jejunando non legitime excuſatur: nec etiam uxor non valens ſe reddere gratam viro ob maciem, vel pallorem, aut puella nubilis, quae ex continuato

Qua-

Quadrageſimae jejunio decorem faciei notabiliter amitteret, hoc nomine a jejunio diſpenſari poſſunt.

VI. Praeterea docemus, gravis peccati reos eſſe Medicos, qui conſilio ſuo, aut teſtimonio praebent occaſionem violandae abſtinentiae, frangendive jejunii eccleſiaſtici abſque legitima cauſa: ita docet S. Antoninus par. 2. tit. 6, cap. 2. §. 6. = *De conſilio*, inquit, *rationabili medicinae infirmus ſolvens jejunium, vel comedens carnes diebus prohibitis non peccat, ſed peccaret Medicus, ſi ſine cauſa rationabili, vel ſaltem dubia talia mandat, vel ordinat infirmis* =. Id confirmat S. Carolus Borromaeus in edicto ſuper obſervatione Quadrageſimae, quod legitur Actorum eccleſiae Mediolanenſis parte III. pag. CCCLXI., & CCCLXII. = *Medici*, inquit, *meminerint, ita ſuarum eſſe partium corporis incolumitati proſpicere, ut ne obliviſcantur, potiorem haberi debere animarum ſalutem. Quapropter caveant diligenter, ne alienae culpae participent nimia facilitate ſua in fide facienda neceſſitatis utendi cibis vetitis* =. Idem confirmat Concilium Avenionenſe anno MDXCIV. cap. XLIV. = *Medicos omnes*, inquit, *Epiſcopi aliquot ante diebus accerſant, eoſque diligenter moneant, ne propriae ſalutis immemores facilitate nimia cujuſpiam male affectam valetudinem affirment iis indulgentes, qui fingunt laborem in praecepto* =; & Concilium Narbonenſe anno MDCIX. cap. X. = *Medicos omnes quibuſdam diebus ante Quadrageſimam Epiſcopi ad ſe venire mandent, & moneant, ne propriae ſalutis immemores facilitate nimia cujuſpiam male affectam teſtentur ſanitatem, ne ſibi parent gehennam, alios nimia adulatione perdentes* =. Tandem ne quis in errorem inducatur, declaramus, a Medicis dandum eſſe neceſſitatis teſtimonium; ceterum nonniſi ab Eccleſiae auctoritate impetrari poſſe diſpenſationem hujus eccleſiaſticae legis (a).

VII. Docemus ulterius, non eſſe a peccato prorſus immunes qui cauſam habentes legitimam abſtinentiae ſolvendae licentiam non petunt ab Epiſcopo, aut Parochis, quos adire per ſe, vel per alios facile poſſunt: ita docet S. Thomas 2. 2. quaeſt. CXLVII art. IV. = *Statuta comunia*, inquit, *proponuntur ſecundum quod multi-*

 tudi-

(a) Vid. primam Dioeceſanam Synodum Firmanam a cl. Alexandro Borgia habitam anno MDCCXXVIII. tit. XIX.

tudini conveniunt ; & ideo Legislator in eis ſtatuendis attendit id , quod comuniter , & in pluribus accidit . Si quid autem ex ſpeciali cauſa in aliquo invenitur , quod obſervantiae ſtatuti repugnet , non intendit talem Legislator ad ſtatuti obſervantiam obligare , in quo tamen eſt diſcretio adhibenda . Nam ſi cauſa ſit evidens per ſe ipſum licite poteſt homo ſtatuti obſervantiam praeterire , praeſertim conſuetudine interveniente , vel ſi non poſſet facile recurſus ad ſuperiorem haberi . Si vero cauſa ſit dubia , debet aliquis ad ſuperiorem recurrere , qui habet poteſtatem in talibus diſpenſandi : & hoc eſt obſervandum in jejuniis eccleſiaſticis, ad quae omnes communiter obligantur , niſi in eis fuerit aliquod ſpeciale impedimentum =. Hoc ipſum inſinuant Concilium Mediolanenſe primum ſub S.Carolo Borromeo par.2.tit.de jejunio,Concilium quoque Narbonenſe anno MDCIX. cap.X , & S.Antoninus par.II. cap.II.

VIII. Declaramus etiam , tritum illud , ac vulgare proverbium = *Liquidum non frangit jejunium* =, antiquis ignotum fuiſſe, ut patet ex iis loquendi formulis , quibus omnium Chriſtianorum ſaeculorum Patres uſi ſunt , dum de jejunio ſermonem inſtituerunt , & praeſertim S. Gregorius Nyſſenus oratione in principio jejunii , & auctor ſermonis inter eos , qui S. Ambroſio hactenus adſcripti ſunt XL. *de jejuniis , & eleemoſynis* : neque proverbium iſtud eccleſiae doctrinae , & menti in inſtitutione jejuniorum conforme eſt . Aqua quidem ſecundum ſe non nutrit , & ob hoc non ſolvit jejunium eccleſiae . *Nutrit tamen aliis admixta , & ideo ſolvit jejunium naturae*, inquit S Thomas in epiſtola prima ad Cor. cap. XI. lect. IV. Jejunium quoque *ad concupiſcentiam carnis reprimendam aſſumitur , Jejunium eſt abſtinentiae actus* , ut docet S.Thomas qu.47. art.1.,& 2. Ad carnis autem concupiſcentias reprimendas , ad macerandum corpus valet non ſolum abſtinentia cibi , ſed & potus : unde canit Eccleſia = *Carnis terat ſuperbiam , potus , cibique parcitas* =. Hinc S. Fructuoſus Tarraconenſis Epiſcopus , Martyr , cum ad ſupplicium duceretur , oblatum potum recuſavit , quia jejunii dies erat , nec illuxerat hora nona , ut Prudentius hymno ſexto Periſtephanon refert .. Non ideo tamen quae veram , indubiamque rationem potus

(a) Videatur ipſe S.Thomas 2.2.qu. 147. art.2.,& 8. ad 3.,& in in corp., & in 4.ſent.diſt.15.qu.3.ad 4.,q.1.in corp., & ad 1., & 2., & qu.2. ad 1.

tus habent, jejunii eccleſiaſtici praecepto opponi contendimus. An autem tam incertum de liquidis jejunium non frangentibus axioma, tuto ac rationabiliter aptari valeat arte liquatis eduliis illis, quae veram potus rationem minime habent, cum neque in menſam ad faciliorem ciborum diſtributionem, nec digeſtionem, neque extra menſam ad ſitim extinguendam, aridaſque fauces refrigerandas unquam adhiberi ſoleant, fideles cuncti, qui ſibi ipſis illudere noluerint, facili negotio dignoſcere poterunt.

IX. Notum quoque omnibus facimus jejunii meritum perdere eos, qui ciborum, ac liquorum delicias, & varia gulae irritamenta jejunii diebus exquirunt, copioſiuſque prandent, ac lautius, ut jejunii laborem minuant. *Sunt quidam* (ait S. Auguſtinus ſermone CCX., alias de diverſis, in quadrageſima ſexto, capite VIII.) *ſunt quidam Quadrageſimae delicioſi potius, quam religioſi, exquirentes novas ſuavitates magis, quam veteres concupiſcentias caſtigantes; qui copioſis, pretioſiſque apparatibus fructuum diverſorum, quorumlibet obſoniorum varietates, & ſapores ſuperare contendunt. Vaſa in quibus coctae ſunt carnes tamquam immunda formidant, & in ſua carne ventris, & gutturis luxuriam non formidant. Jejunant non ut ſolitam temperando minuant edacitatem, ſed ut immoderatam differendo augeant aviditatem. Nam ubi tempus reficiendi advenerit, opimis menſis tamquam pecora praeſepibus irruunt, numeroſioribus ferculis cor da obruunt, ventreſque diſtendunt; artificioſis, & peregrinis condimentorum diverſitatibus gulam, ne vel copia compeſcatur, irritant. Denique tantum capiunt manducando quantum digerere non ſufficiant jejunando ... Tamquam non ſit Quadrageſima piae humilitatis obſervatio, ſed novae voluptatis occaſio ... Quid autem abſurdius, quam tempore, quo caro arctius caſtiganda eſt, tantas carni ſuavitates procurare, ut ipſa faucium concupiſcentia nolit Quadrageſimam praeterire? Quid inconvenientius, quam in diebus humilitatis, quando pauperum victus omnibus imitandus eſt, ita vivere, ut ſi toto tempore ſic vivatur, vix poſſent divitum patrimonia ſuſtinere? Cavete iſta, dilectiſſimi; cogitate quod ſcriptum eſt. „ Poſt concupiſcentias tuas non eas „: Quod ſaluberrimum praeceptum, ſi omni tempore obſervandum eſt, quanto amplius his diebus, quando ita*

do ita turpe eſt, ſi cupiditas noſtra ad inuſitatas laxetur illecebras, ut merito culpetur qui non reſtrinxerit uſitatas = ?

X. Similiter notificamus, eleemoſynam chriſtiani jejunii comitem eſſe oportere, ut pauperibus erogetur, quod in ſumptus ſaecundae refectionis impenderetur; ſic jejunandum eſſe Spiritus Sanctus docet Iſaiae 58. ver. 7. *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam = Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris* = Idem confirmant ſancti Patres; in primis S. Auguſtinus ſermone CCV.; alias de diverſis LXVIII., in quadrageſima primo = Quod vobis inquit, demitis jejunando, eleemoſynis addite praerogando. = Idque fuſius ſuadet ſermone CCVI., alias de diverſis LXX., in Quadrageſima 2. ſermone CCVII. alias de diverſis LXXI., in quadrageſima 3. ſermone CCVIII., alias de diverſis LXXII., in quadrageſima 4. ſermone CCIX., alias de diverſis LXXIII., in quadrageſima 5. & ſermone CCX., alias du diverſis LXXIV, in quadrageſima 6. ubi ait = *Praecipue ſane pauperum mementote, ut quod vobis parcius vivendo ſubtrahitis, in caeleſti theſauro reponatis. Accipiat eſuriens Chriſtus quod jejunans minus accipit chriſtianus. Caſtigatio volentis fiat ſubſtentatio non habentis. Voluntaria copioſi inopia fiat neceſſaria inopis copia* = Hoc ipſum inſinuat S. Leo ſermone X., & XI. de quadrageſima, & ſermone IX. de jejunio decimi menſis, ac III. de jejunio Pentecoſtes. Idem inculcat S. Petrus Chryſologus ſermone VIII., & XLII. S. Caeſarius Epiſcopus Arelatenſis ſermone XLVI. in Auguſtinianorum appendice CXLII. alias LXII. de tempore: S. Gregorius Magnus homilia XVI. in Evangelia: Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in capitulari cap. XXXVIII. & Ratherius Veronenſis Epiſcopus ſermone I. de quadrageſima, ubi *Male*, inquit, *jejunant & illi, qui quod corpori ſuo ſubtrahunt, non pauperibus tribuunt, ſed aut ſuo ventri, aut quod eſt iniquius, mammonae, ideſt cupiditatis daemoni abſtinendo reſervant.*

XI. Significamus inſimul univerſis curae noſtrae ſubjectis, lege urgente jejunii refectionis tempus ſecundum hodiernam Eccleſiae diſciplinam eſſe meridiem: cibos diebus jejunii vetitos eſſe carnes, & quidquid a carne ſive viva, ſive mortua procedit; unicam comeſtionem, ſeu refectionem diebus jejunio conſecratis eſſe permiſſam; coe-

coenulam ſeu veſpertinam collationem (ut vulgo loquimur) non ſolvere jejunium, modo coenula non vertatur in coenam.

XII. De memorata coenula nonnulla cogimur clero, & populo noſtro explicare. Aliquid alimentorum ſero diebus jejunii ſumere communis eſt populi chriſtiani conſuetudo ab Eccleſia tollerata. *Collationis* nomen antiquis eo ſenſu ignoratum. Serotina haec refectiuncula ex virorum religioſorum uſu ortum habuit, quibus propter laborem manuum jejuniorum diebus permittebatur, ut ante lectionem, & collationem ſpiritualem, quae veſpere ante completorium fieri ſolebat, potum ſumerent, qui indigebant, ut conſtat ex conventu Aquiſgranenſi Abbatum Francie anno DCCCXVII. cap. XII, ex regula Petri de Honeſtis cap. XVIII. ex antiquis conſuetudinibus Cluniacenſis monaſterii ab Udalrico monacho conſcriptis lib. III cap. XXI. Potui, quem diebus jejunii extra refectionis horam ſumebant monachi, fruſtulum panis poſtea addiderunt, ne potus noceret, ut in conſtitutionibus Patrum Carthuſianenſium, aliorumque ordinum videre eſt; & ne tempus vitae regularis officiis deſtinatum ea in actione tererent, lectionem ſpiritualem, quae in clauſtro, vel in capitulo fieri ſolebat, his diebus in refectorio habuerunt, ſemperque veſpertinum illum ad refectorium aditum jejunii diebus his verbis ſignificarunt = *Ire ad collationem*, *aut accedere ad lectionem collationum*. Sic nomen *Collationis* a lectione ad ſerotinam illam refectiunculam translatum eſt, & a ſaecularibus eo ſenſu uſurpatum, cum eo uſque progreſſa eſt relaxatio, ut meridie prandierent, & veſpere nihilominus coenulam ſumerent. Ita cibi aliquid ſumendi in coenula uſus obtinuit ab Eccleſia non improbatus; qui uſus apud graecos prius invaluit, quam apud latinos, circa medium ſcilicet XI. ſaeculi. Quantitatis certa menſura definiri vix poteſt. Sed conſuetudini inter viros pios, & eccleſiaſticae jejunii diſciplinae obſervantiſſimos receptae ſtandum, & quantitas ita modica ſervanda eſt, ut coenula non vertatur in coenam, immo nec aequivaleat ei, quod jentaculo ſolet accipi diebus jejunio non dicatis. S. Carolus Borromaeus in diſciplina familiae ſuae Archiepiſcopalis par. I. tit. de gubernatione ſpirituali, in coenula panis unciam cum dimidia, & vini poculum tantum concedit iis, qui indiguerint. Id tamen ſcrupuloſius urgere nolumus, & fidelibus ſingulis hanc legem imponere non intenten-

tendimus, ut panem, quem in coenula ſumpturi ſunt, ponderent. nam hac etiam in ſpecie locum habere putamus regulam illam a S. Thoma traditam 2. 2. quaeſt. CXLVII. ad 1. = Quantitas cibi non potuit eadem omnibus taxari propter diverſas corporum complexiones, ex quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo indiget. = Quod ſpectat vero ad qualitatem ciborum conſuetudo inter pios obſervata pro regula ſumi etiam poteſt, & cum modico panis fructus aliqui ſumi, vel herbae, aliique cibi leviores, non piſciculi etiam pauci, non legumina, non epulae coctae, & ſimilia.

XIII. Quibus in lucem poſitis, praeſcribenda ducimus ſequentia, ut inviolabili executione compleantur. Quadrageſimali tempore cibi vetiti non vendantur, nec parentur, ſed ad infirmorum uſum in apothecis, vel lanienis portis apertis, vel ſaltem non obductis velo, vel tela publice non exponantur. Jubemus praeterea cauponibus, & tabernariis, ne ſe paratos oſtendant ad exhibendas carnes, ova, lacticinia, neque viatoribus, aliiſque hoſpitio receptis cibos vetitos coquant, vel comedere patiantur, ſi legitimam facultatem non habeant, ſub poena in his omnibus ſcutorum decem etiam per inquiſitionem exigenda.

XIV. Qui jejunium quadrageſimale per infirmitatem ſervare non poſſunt, a medico obtineant teſtimonialia probantia neceſſitatem comedendi cibos ſalubres vetitos, quae deinde in civitate a Vicario generali, & in dioeceſi a Vicariis foraneis gratis ſubſcribentur. Nemo ſine legitima cauſa, & utriuſque medici conſilio, nempe corporalis, & confeſſarii audacter, & fidenter petat, nec ſuperbe, & arroganter uſurpet jejunii diſpenſationem (a). Si aliqui ſecus fecerint, contra eos veluti contemptores eccleſiaſticae legis, & haereſis ſuſpectos inquiremus, & procedemus. Medici autem caveant, ne officioſa conniventia, & legitimis non urgentibus cauſis indiſcriminatim, vel faciliter (quod eis nunc temporis familiare eſt) teſtimonia hujuſmodi ſubſcribant, aut plus aequo indulgentes ſe faciant, ſicque de aliorum peccatis participent, & ſuas animas aggravent, ut ſupra diximus, *num. 6.*

XV. Parochi cujuslibet quadrageſimae initio ad eliminandos invectos abuſus ſedulo curent ſequentes regulas in apoſtolicis litteris de-

fini-

(a) Benedict. XIV. in conſtitutione *Non ambigimus* 19. tom. 1. pag. 48.

finitas edicere, & promulgare. I. Particularibus illis perſonis, quae a quadrageſimalis abſtinentiae praecepto ſolutionem obtinent ob eam tantum cauſam, quod grave detrimentum ſaluti ſuae experiuntur ab eſu ciborum quadrageſimalium, facultates, & licentiae nullatenus ſuffragantur veſcendi cibis vetitis, niſi ſub conditione ſervandi unicam comeſtionem circa meridiem cum veſpertina refectiuncula veluti illi, qui jejunant: II. Ipſis non licet in refectiuncula veſci carnibus etiam in eo pondere, & quantitate, quae jejunantibus permittitur, ſed cibo, & potione uti debent, quibus utuntur homines jejunantes: III. Epularum commixtio, nempe carnium, & piſcium his perſonis ſub gravi praecepto prohibetur etiam diebus dominicis, in quibus jejunii praeceptum abeſt, a piſcibus vero edendis non interdicuntur illi, quibus datur tantum facultas edendi, ova, & lacticinia: IV. Duo haec praecepta, videlicet de unica comeſtione, & de epulis non permiſcendis, ut ſupra obligant etiam extra quadrageſimam tempore jejuniorum per annum: V. Commoneantur Chriſtifideles, qui communem poenitentiam, ac diſciplinam ſervare non poſſunt, ut per alia pia opera, orationes, & eleemoſynas &c. prout ſua cuique devotio ſuggeret peccata ſua redimant, quae caſtis jejuniis decoqui nequeunt (a).

XVI. Si univerſo populo, aut civitati, aut dioeceſi urgeat graviſſima neceſſitas diſpenſationis a quadrageſimali obſervantia, ſciant omnes, neceſſariam eſſe ſanctae Sedis apoſtolicae diſpenſationem toties, quoties caſus occurrat, quae ſperari non poteſt, niſi nobis poſtulantibus, & teſtimonium interponentibus graviſſimae neceſſitatis, juxta inſtructionem praeſcriptam in litteris glorioſiſſimi Pontificis ſummi Benedicti XIV. Quare urgentiſſima pro diſpenſatione petenda cauſa debet nobis evidenter conſtare (b).

XVII. Ante mediam noctem, quae feriam quartam cinerum praecedit, in cathedrali, collegiatis, & parochialibus eccleſiis aere campano per mediam horam ſaltem detur ſignum ſolemnis jejunii, ut

(a) Benedict. XIV. conſtit. cit. *Non ambigimus* 19. tom. 1. Bullar. pag. 48. in conſtit. *Grave* 26. pag. 63. In conſtit. *Si fraternitas* 99. pag. 356.

(b) Benedictus idem in conſtit. *Libentiſſime* 130. pag. 523. poſit. in Append. hujus ſynodi num. 18. Vide etiam ſeq. num. 19. & 22. ejuſdem Appendicis noſtrae Synodi.

fideles a media nocte a vetitis cibis abſtinentiam jam obligare coepiſſe ſciant.

XVIII. Bacchantes (a), depoſita etiam larva ne audeant in primo quadrageſimae diluculo iisdem veſtibus, quibus perſonati induebantur, eccleſias ingredi, divinis miſteriis intereſſe, ſacros cineres de more recipere, nihil obſtante quolibet inveterato abuſu ſub graviſſimis poenis (b).

§. VII.

De obligatione honorandi Deum cultu ſacrarum reliquiarum, & imaginum, & invocatione ſanctorum, & maxime Beatiſſimae ſemper Virginis Mariae.

Sanctis, qui ſunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis. Pſalm. XV. v. II *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Pſalm. CXXXVIII. v. XVI. *Laudate Dominum in ſanctis ejus.* Pſalm. CL. ver. I.

I. SAnctis, ſive angelis, ſive hominibus Dei cum Chriſto regnantibus divinum cultum, ideſt honorem aliquem Deo proprium, aut ſoli Deo debitum non tribuit, aut a fidelibus exhiberi permittit eccleſia, ſed eum, quem conjunctiſſimis Dei amicis, & arcanorum ejus conſciis, noſtrae ſalutis amantiſſimis, quem diſtinctionis cauſa *duliam* vocat; cum *latria* ſit ſoli Deo debita ſervitus. Neque vero cultus hujuſmodi putandus eſt ulla ex parte Dei gloriam minuere, vel obſcurare, ſed potius augere, atque illuſtrare, tum quia hoc ipſum Deo acceptum, & gratum eſt: ſi enim Reges, Principes, Sacerdotes, parentes, & quicumque poteſtatis, vel ſanctitatis nomine excellunt, Deoque ſimiles ſunt, ſecundum legem ejus honoramus, & veneramur, ita & multo magis eos honoremus oportet, qui Regni caeleſtis jam cum ipſo ſunt conſortes, utpote quod, & caritate perfectiores, & dignitate ſublimiores eam apud Deum honoris excellentiam conſecuti ſunt, qua nuſquam poſſunt excidere; tum quia Deus hoc modo non ſe ſolum, ſed etiam in ſanctis ſuis mirabilis, & glo-

(a) Benedict. XIV. conſtit. *Inter ceteras* 45. tom. 2. Bullarii.

(b) Vide ap. Natalem ab Alexandro lib. 4. de decalogo art. 5. de jejuniis eccleſiaſticis & art. 7. Lanucci in ſyn. tit. 3. cap. 1., & 2.

& glorioſus agnoſcitur. Deum autem velle, ut ſic a nobis honorentur, ex ſacris litteris compertum eſt: Pſalm. XIII. = *Nimis honorati ſunt amici tui Deus* = & Johannis 12. = *Si quis mihi miniſtraverit honorificabit eum Pater meus*. = Sic Joſue Angelum Principem militiae Domini pronus in terram veneratus eſt = Joſue 5. = Sic filii Prophetarum, qui erant in Jericho, cum ſpiritum Eliae ſuper Eliſaeum requieviſſe experti fuiſſent, *venientes in occurſum ejus adoraverunt eum proni in terram*, ideſt ut Prophetam ſingulari, & pluſquam civili honore venerati ſunt. Objecerunt quidem olim eccleſiae Ethnici, & Manichaei haeretici, divinos honores martyribus a chriſtianis, & catholicis impendi, eoſque idolis gentium mortuos homines ſubſtituiſſe. Sed eam calumniam egregie refellit S. Auguſtinus lib. x. contra Fauſtum cap. XXI. Summa hujus loci eſt, populum chriſtianum memorias martyrum religioſe celebrare, & *ad excitandam imitationem, & ut mens eorum conſocietur, & orationibus adjuvetur*. Ceterum martyribus altaria non conſtitui, nec offerri ſacrificium, ſed ſoli Deo, qui martyres coronavit: Nos martyres colore non cultu *latriae*, ſed eo cultu *dilectionis*, & *ſocietatis*, quo & in hac vita coluntur *ſancti homines Dei*. Paucis verbis, ut multa complectamur, ſancti honorandi ſunt propter imitationem, non adorandi propter religionem: honoramus hos caritate, non ſervitute: *nec eis templa conſtruimus*. Nolunt enim ſic honorari a nobis: quia nos ipſos, *cum boni ſumus, templum ſummi Dei eſſe noverunt*. Quamvis ergo vulgo nuncupetur eccleſia ſive templum, aut altare Beatae Virginis, Sancti Petri, aut alterius ſancti, non tamen illis conſecrata praecipue ſunt templa, vel altaria, neque dicati feſti dies, ſed Deo in eorum memoriam; & ſub eorum invocatione: Haec eccleſiae catholicae fides eſt, & ideo diſtricte parochis, & catechiſtis injungimus, ut de hoc inſtruant dilucide, articulatim, ac frequentiſſime plebanos, alumnos, & auditores ſuos, praeſertim eos, qui rudes ſunt, & mulieres.

II. Commendabilis, immo religioſus quoque eſt ſacrarum reliquiarum honos. Martyres quidem alioſve ſanctos viros cum Chriſto regnantes non adoramus, multo minus ipſorum reliquias; ne ſerviamus creaturae potius, quam Creatori: Sed *honoramus reliquias martyrum, ut eum cujus ſunt martyres, adoremus*: hono-

ramus ſervos, ut honor ſervorum redundet ad Dominum, qui ait: = *Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit*, = inquit S. Hieronymus lib. contra Vigilantium haereticum, qui debitum ſanctorum reliquiis honorem primus impugnavit, quem ex eccleſiae univerſae more, atque uſu refellit S. Doctor, praeſertim Romanae, cujus Epiſcopus *ſuper ſanctorum Petri, & Pauli oſſa* veneranda *offert Domino ſacrificia*, & tumulos *eorum* Chriſti *arbitrantur altaria*. Honorem ſanctorum reliquiis debitum probant miracula, quae Deus ad eorum ſepulchra edidit, atque etiam nunc edit, cum ipſi placet, ac ſupplicantium fides id moeretur; oculis, & manibus, membriſque omnibus capitis in priſtinum ſtatum reſtitutis, mortuis ad vitam revocatis, ex corporibus hominum ejectis daemoniis, quae non legiſſe, ut multi, non audiviſſe, ut plurimi graviſſimi viri, ſed ſe vidiſſe teſtes locupletiſſimi S. Ambroſius, & Auguſtinus litteris prodiderunt. Quid multa? Si Apoſtoli Pauli ſudaria, & ſemicinctia, ſi umbra S. Petri, priuſquam vita per martyrium functi eſſent, depulerunt morbos vireſque reſtituerunt, ut Actorum v., & xix. refert S. Lucas, quis negare audeat, Deum per ſacros cineres, oſſa, ceteraſque ſanctorum reliquias ſimilia miracula patrare? Id declaravit cadaver illud, quod forte illatum in ſepulchrum Eliſaei ejus tactis oſſibus cito revixit. iv. *Regum* 3. Ex quibus ſcripturae ſacrae locis honorem ſanctorum reliquiis debitum probaverunt quarti ſaeculi Patres, praeſertim S. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi xviii., & Hieronymus epiſt. liii. ad Ripatium de errore Vigilantii, cujus ad finem ſe eccleſiae fidem propugnare diſerte aſſerit: = *Non tam*, inquit, *illius infidelitatem, quae omnibus patet, quam noſtram fidem aperuimus*. Secundum hanc fidem *Concilium Carthaginenſe quintum canone* iv. ſtatuit = *Ne altaria abſque reliquiis martyrum extruantur*. Quinam autem major ſacrarum reliquiarum honos, quam in altari condi, ubi Domino ſacrificium offertur? Hanc fidem confirmaverunt ſeptima Synodus oecumenica Nicaena adverſus Iconomachos celebrata, & Tridentina ſeſſ. xxv., quae Epiſcopis omnibus, & ceteris docendi munus curamque ſuſtinentibus praecipit, ut fideles doceant *juxta catholicae, & Apoſtolicae eccleſiae uſum a primaevis chriſtianae religionis temporibus receptum, ſanctorumque Patrum conſenſionem, & ſanctorum Conciliorum decreta, ſan-*

ſanctorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quae viva membra fuerunt Chriſti, & Templum Spiritus Sancti, ab ipſo ad aeternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda a fidelibus veneranda eſſe: per quae multa beneficia hominibus praeſtantur.

Quamobrem hoc modo populum, clerumque noſtrum docemus, utque melius venerationi ſacris reliquiis debitae in dioeceſi noſtra conſulamus, huicque venerationi juſtos limites ſtatuamus indicimus. I. Ut animarum Rectores veram catholici dogmatis profeſſionem interdum exponant, cum feſta de ipſis praeſertim celebrantur. II. Nemo, quantumvis exemptus, & in loco exempto a noſtra jurisdictione audeat reliquias ad publicum cultum exponere ſine legitimis litteris authenticis a Nobis, vel noſtro Vicario generali recognitis, & approbatis (a). Imo vero praecipimus, ut intra tres menſes a publicatione hujus ſynodi omnium eccleſiarum Praepoſiti etiam exempti ad noſtram Cancellariam deferant indicem reliquiarum cum authenticis litteris, quarum exemplaria recognita in ipſa conſerventur ad perpetuam probationem; litterae autem ipſae authenticae in libellum bene compactum redactae in eccleſiis, ubi ſunt reliquiae, cuſtodiantur. III. Si reliquiae aliquae authenticis litteris careant, examinatis cum noſtra auctoritate teſtibus, ſi conſtans fama, & traditio reſultat, jam olim eas fuiſſe ſervatas, & publico cultui expoſitas, morem ſervari permittemus. Ita fidem facient hiſtoriae probatorum auctorum, & viſitationum apoſtolicarum libri, in quibus, legitur, fuiſſe recognitas, & probatas. Quod ſi reliquiae his careant documentis, in vaſe, vel loco mundo cuſtodiantur, & privatim cum bona fide venerari non prohibemus, ſed in publica eccleſia nullatenus exponantur (b). IV. Singulae reliquiae ſuam habeant inſcriptionem, qua ſancti nomen ſignetur, & ſi aliquae de nomine ignotae ſint, juxta antiquum morem certa nomina alluſiva imponi poſſunt; tamen haec cura, & facultas cuilibet privato homini non ineſt, & Nos cuicumque etiam in dignitate eccleſiaſtica conſtituto hanc facultatem prohibemus, & interdicimus (c). Ut ſacrae reliquiae debito honore cuſtodiantur, in vaſculis, & loculis argen-

(a) Trident. ſeſſ. 25. de invoc., & ven. ſanct., & reliq.
(b) Conc. Mediol. 4. Card. Baronius in prologo ad martyr. cap. 3., & 4.
(c) Card. Baronius loco mox citato.

argenteis, vel ſaltem auro, vel argento linitis includantur obtectae cum vitro, vel cryſtallo, ne ore, vel manu attrectari poſſint. In armariis pictura, vel ſericis velis decenter ornatis in eccleſia, vel ſacrario, non *alibi* conſerventur cum firma ſera: claves retineantur a Parocho Rectore, vel cappellano ipſius eccleſiae, niſi mos inveteratus invaleſcat, ut duae ſint claves, quarum una apud magiſtratum, vel patronum laicum, vel alios cuſtodiatur (a). Super armarium deſcribatur epigraphe = *Sanctorum reliquiae* = V. Reliquiae in eccleſia non exponantur, niſi a ſacris miniſtris ſuperpelliceo, & ſtola ſaltem indutis, & tunc, recitatis ſacris hymnis, & oratione propriis, praeluceant aliquae faces cereae, quae in altari ſemper retineantur accenſae omni tempore, quo ſacrae reliquiae ſunt fidelium adorationi expoſitae, numquam vero in altari, ubi SS. Sacramentum publicae venerationi habetur, ſub gravibus poenis (b). VI. Sanctorum reliquiae in tabernaculo nullo praetextu reponantur; in eccleſia non exponantur cum umbella: in proceſſionibus non deferantur ſub baldachino; cum honor hujuſmodi conveniat dumtaxat SS. Euchariſtiae Sacramento, & ligno Crucis conſecrato per contactum Corporis Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri; nec tandem cum ipſo SS. Euchariſtiae Sacramento circumferantur in proceſſionibus, juxta decreta S. Congregationis Rituum (c). VII. Nobis inconſultis nemo ſacras reliquias, quae in eccleſiis, vel ſacrariis conſervantur, alio transferat, donet, vel quomodocumque de eis diſponat, nec earum particulas cuicumque largiatur ſub poenis in ſacrilegos ſtatutis, & etiam contentis in extravaganti *Ambitioſe* de rebus eccleſiae non alienandis (d). Ad infirmos, vel alios quoſcumque ne deferantur reliquiae ſine noſtra licentia, etiam ſub conſuetudinis antiquae praetextu. Caveant eo magis omnes ſacra oſſa eradere, ut in potum, vel cibum infirmis tradantur, ſub poenis contra ſacrilegos (e). VIII. Si quae reliquiae inſignes conſerventur in eccleſiis illorum ſanctorum, qui in Martyrologio Romano ſunt deſcripti (dummodo de identitate non dubitetur, quae ex

(a) S. Cong. Epiſc. in una civit. Caſtell. 6. Aprilis 1696.

(b) Syn. Sabinen. 1736. par. 2. c. 3. num. 4.

(c) S. Congr. Rituum in Calaguritana 23. Mart. 1686. ſyn. Sabinen. ubi ſup.

(d) Can. *Sanctor.* d. 1. de conſec. ubi Gloſſa verbo *Principis*. Greg. 13. conſtit. 1572.

(e) Gavant. verbo reliquiae num. 33., & 34.

ex conformitate ſolius nominis non reſultat) dies feſti celebrentur cum miſſa ſolemni, & *Credo*, officium fiat ſub ritu duplici majori: inſignes autem reliquiae ſunt caput, brachium, crus, aut pars, in qua paſſus eſt martyr, modo ſit integra, nec nimis parva; de ſanctis vero, qui incerti ſunt, vel in Martyrologio non deſcripti, ſerventur decreta ſacrae Rituum Congregationis in Breviario Romano (a).

III. Chriſti Domini, Deiparae Virginis, & omnium ſanctorum imagines, & habere, & venerari grati animi certiſſimum argumentum eſt, & magnas utilitates affert. Siquidem libri ſunt rudium, & imperitorum, & ad cognoſcendam utriuſque teſtamenti hiſtoriam, atque ejus memoriam identidem renovandam plurimum conducunt, qua rerum divinarum memoria excitati ad colendum, atque amandum Deum vehementius accenduntur. Non autem imagines propter ipſas colimus, ſed propter prototypa, ad quae refertur huiuſmodi honos: ſicut ſalutatio exhibita Regis imagini refertur ad Regem, & genuflexio, ſeu capitis inclinatio facta ſanctiſſimo nomini Jeſu, de quo dictum eſt ab Apoſtolo = *In nomine Jeſu omne genuflectatur* = ad ipſum Chriſti Jeſu perſonam refertur. Uno Verbo: & Chriſti Salvatoris imaginem, & crucem, quam ſuo ſanguine conſecravit, ejuſque figuras, & ſigna veneramur non abſolute; ſed habitudine (ut loquitur ſeptima ſynodus generalis), ideſt eo cultu, & honore, qui ad prototypa referatur, & cum fideles coram Chriſti, Deiparae Virginis, aut ſanctorum imaginibus procumbunt, vel orant, non imagines ipſas, ſed Chriſtum coram imagine ſua adorant, Deiparam, vel ſanctos coram quorum imaginibus venerantur, Deum orant, ſanctorumque apud Deum patrocinium implorant, ut conſtat ex Pontificali Romano in benedictione imaginum. Honorem hunc ſacris imaginibus debitum traditione, ſeu verbo Dei non ſcripto confirmatum aſſeruere SS. Patres, vindicavit eccleſia, quae iconomachos illud fidei catholicae caput impie, ac proterve negantes, illas frangentes, ac evertentes, idolaque appellantes, damnavit, & anathemate, confixit in ſeptima ſynodo generali Niceae congregata Hadriano I. Romano Pontifice per Legatos praeſidente, Imperatoribus Orientis Conſtantino, & Irene ejus matre promoventibus anno Chriſti DCCLXXXVII. Tri-

(a) Decreta Generalia S.C.R. 1618. & 1691. in Breviario Romano.

Tridentina Synodus eamdem traditionem ſecuta eccleſiae fidem circa ſacrarum Imaginum uſum, ac venerationem confirmavit, declaravit, explicuit contra recentes haereticos his verbis *ſeſſione* XXV.= *Imagines Chriſti, Deiparae Virginis, & aliorum ſanctorum in templo praeſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam Paſtores docere debent, non quod credatur ineſſe aliqua in eis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendae, vel quod ab iis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat a Gentilibus, qui in idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quae illae repraeſentant, ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput operimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & ſanctos, quorum illae ſimilitudinem gerunt, veneremur: id quod Conciliorum, praeſertim vero ſecundae Synodi Nicaenae decretis* contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum. *Illud vero diligenter doceant Epiſcopi, per hiſtorias myſteriorum noſtrae Redemptionis picturis, vel aliis ſimilitudinibus expreſſis erudiri, & confirmari populum articulis fidei commemorandis, & aſſidue recolendis*: tum vero *ex omnibus ſacris imaginibus magnum fructum percipi, non ſolum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quae a Chriſto ſibi collata ſunt, ſed etiam quia Dei per ſanctos miracula, & ſalutaria exempla oculis fidelium ſubjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad ſanctorumque imitationem vitam, moreſque ſuos componant, excitenturque ad adorandum, & ad diligendum Deum, & ad pietatem colendam.* = Hucuſque Tridentini Patres quorum inſinuationibus obſequentes, omnibus in diſpenſatione Verbi Dei adminiſtris noſtris praecipimus, ut hanc eamdem de ſacrarum imaginum cultu doctrinam auditoribus ſuorum ſermonum, ac inſtructionum aſſidue proponant, & communi aptent intelligentiae: perfacile enim eſt, populum infimum praecipue muliebrem ſexum ea ignorantiae, & graviſſimi erroris coecitate detineri, qua credat in imaginibus aliquid Divinitatis ineſſe, ab imaginibus miracula prodire, & ab eis nos poſſe quidquid cupimus obtinere, quod ſpecies idolatriae ſaltem materialis foret.

Ad evitandam inſuper quamcumque circa rem hanc indecentiam,

tiam, ſive abuſum ſanctimus. 1. Indecentes ſacras imagines, & nimio artis lenocinio ad mundanae potius vanitatis ſpeciem, quam ad pietatem, & chriſtianae modeſtiae commotionem effigiatas in templis proponendas omnino non eſſe, nec tolerandas (a): quapropter in eccleſiis imagines non ponantur, niſi a Nobis approbatae, & benedictae (b). 2. Templa nullatenus ornentur nugacibus, & vanis picturis, ſed omnes piae ſint imagines, ſive veteris, ſive novi Teſtamenti hiſtoriae, ut hi, qui litteras neſciunt, ſaltem in parietibus videant, quae legere in codicibus non valent (c). 3. Circa imagines illorum nondum a Sede Apoſtolica Canonizatorum, vel Beatificatorum ſerventur ea omnia, quae ſtatuta ſunt ab Urbano VIII., & ſacra Congregatione Rituum (d). 4. In veneratione ſacrarum imaginum omnis ſuperſtitio tollatur. Miracula non admittantur, eoque minus e loco publico memorentur, niſi rite a Nobis probata fuerint. Praeterea injungimus eccleſiarum Rectoribus, ut ſi quod miraculum adſcribatur alicui ſacrae imagini, & populi concurſus, ut ſolet fieri, incipiat, ad Nos ſtatim deferant notitiam, ut populi pietati, & ſanctitati religionis provideamus, omniſque turpis quaeſtus eliminetur. Si quae eleemoſynae, vel donaria a piis fidelibus ſponte deferantur, in capſis, vel locis ſera, & clave bene munitis reponantur. 5. Sanctorum imagines, quae in eccleſiis, oratoriis, ſeu viis publicis depictae, vel admodum deformes, vel nimia vetuſtate, vel alia de cauſa conſumptae cernuntur, inſtaurentur ab iis, quorum intereſt, aut omnino deleantur (e). 6. In locis immundis, & ſordis, vel in ſolo ſignum ſanctiſſimae Crucis non effingatur, neque ſculpatur, & ſi quod poſitum eſt, eradatur, & aboleatur (f). Ita etiam in diverſoriis, atque tabernis nequaquam pro inſignibus Sanctorum imagines ponantur, ne debita ipſis reverentia laedatur.

IV. Ad Sanctorum invocationem accedimus; eam piam, lau-

S dabi-

(a) Vide quae hac de re ſapienter decrevit cl. Alexander Borgia Archiepiſcopus Firmanus in Concilio Provinciali Firmano celebrato ann. MDCCXXVI. tit. XIV.

(b) Trident. loc. cit.

(c) S. Gregorius epiſt. 105. lib. 9.

(d) Urban. VIII. Conſtit. 37. *Sanctiſſ.*, & in declaratione, & in Conſtit. *Caeleſtis Jeruſalem*.

(e) in Syn. Gozzadini 1626. de ſac. Imaginibus.

(f) Sac. Cong. Epiſc. in Veneta 1556. §. Unica cap. Nemini liceat ſignum ſanctiſſ.

dabilem, religioſam, nobis utillimam eſſe confitemur. Scriptura enim ſacra, & traditio, quae Deum unum adorandum, illique ſoli ſerviendum ubique clamant, Angelorum nihilominus, & Sanctorum cum Chriſto viventium invocationem, & ſanctam, atque fructuoſam commendant, & approbant. Geneſis ſcilicet 48. refertur, Jacob Patriarcham filiis ſuis benedicentem ſic precatum fuiſſe: = *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis; & invocetur ſuper eos nomen meum; nomina quoque Patrum meorum Abraham, & Iſaac* =. En invocationem expreſſam Angeli, & ſanctorum Patriarcharum defunctorum = Apocalypſis cap. 1. S. Johannes pacem fidelibus adprecatur *ab Angelis thronum Dei augentibus* =. Exodi 32. Moyſes Deo his verbis ſupplicat = *Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iſrael ſervorum tuorum, quibus juraſti per temetipſum* =. Et ſecundo Paralipom. 6 Salomon Deum orans ait = *Memento miſericordiarum David ſervi tui* =. Deus ipſe propter merita Sanctorum beneficia confert hominibus, ut conſtat ex his verbis 4. Regum XIX. = *Protegam urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum* =. Praeterea Sanctos pro nobis orare, Scriptura ſacra docet Jeremiae cap. XV. ubi Dominus ait = *Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum* =. Ex quibus colligitur, Moyſen, & Samuelem orare ſolitos pro populo iſto non ſolum dum in terris viverent, ſed etiam poſt felicem obitum. Machabaeorum 2. cap. XX. Jeremias mortuus orare dicitur pro populo: *Hic eſt fratrum amator, & populi Iſrael, hic eſt qui multum orat pro populo, & univerſa ſancta civitate, Jeremias Propheta Dei*. Sed & S. Petrus orationes ſuas, ac patrocinium apud Deum fidelibus poſt obitum ſuum pollicetur Epiſtola 2. cap. 1. = *Dabo autem operam, & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis* =. Denique Apocalypſis 5. Legimus, quod *viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habentes ſinguli citharas, & phialas aureas planas odoramentorum, quae ſunt orationes Sanctorum*, ideſt preces fidelium hic in terris degentium caelites Deo offerunt, ſuoque patrocinio commendant.

Quamvis igitur ſolus Chriſtus perfecta ratione unicus mediator

tor ſit Dei, & hominum (a). Mediator, dicimus, redemptionis officio, quia dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus, qui unus per ſanguinem Patri caeleſti nos reconciliavit, & qui per proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta aeterna redemptione inventa, & ſalvare in perpetuum poteſt *accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro nobis* (b); Sancti tamen inferiori quadam, & minus perfecta ratione ſunt mediatores noſtri, nimirum interceſſionis ſuffragio, quatenus pro nobis Deum orant non proprio merito, ſed meritis Chriſti Salvatoris noſtri ſubnixi, per quem & ipſi, & nos omnes acceſſum habemus ad Patrem. Hoc enim ſenſu juſtum quemque *mediatorem* dici poſſe docet Scriptura, cum Moyſes Deuteronomii 5. dicat Iſraelitis = *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo* =: Et Apoſtolus ad Galatas 3. ſcribat: *Legem ordinatam fuiſſe per Angelos in manu Mediatoris*, hoc eſt in manu Moyſis; & certe ſi propterea ſubſidiis Sanctorum uti non liceret, quod unum patronum habemus Jeſum Chriſtum, numquam commiſiſſet Apoſtolus, ut ſe tanto ſtudio fratrum viventium precibus commendari, & adjuvari vellet. Neque enim minus vivorum preces, quam eorum, qui in caelis ſunt, Sanctorum deprecatio Chriſti mediatoris gloriam, & dignitatem imminuerent. Id totum egregie S. Auguſtinus paucis verbis explicat lib. II. contra Parmenianum cap. VIII. *Homines omnes Chriſtiani invicem ſe commendent orationibus ſuis: pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic unus, veruſque mediator eſt*: de quo S. Johannes epiſtola 1. ſcribit: „ *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum*„: *Sancti tamen pro nobis divinam miſericordiam deprecantur*. Pro ſe invicem omnia Eccleſiae membra orent: caput pro omnibus interpellat (inquit idem Auguſtinus tractatu 1. in epiſtolam 1. ſancti Johannis). *Verum quidquid a Deo adhibita Sanctorum interceſſione petit Eccleſia, totum illud Chriſti meritis, ſe impetraturam profitetur, & confidit, orationes ſuas his verbis abſolvens*; „ *Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum* „; hac de veritate perſuaſa, quam idem S. Auguſtinus in Pſalmum CVIII. litteris prodidit:

(a) 1. ad Timoth. 2.

(b) Ad Hebraeos cap. 7., & 9.

Oratio, quae non fit per Chriſtum, non ſolum non poteſt delere peccatum ſed etiam ipſa fit in peccatum: ſaltem quia inutilis & otioſa.

Catholicam doctrinam iſtam de invocatione Sanctorum committimus archipresbyteris, confeſſariis, catechiſtis, concionatoribus cunctis ad ditionem noſtram pertinentibus, ut fidelibus tradant, quatenus ex una parte omnis a mentibus eorum tollatur error, & ex alia parte quiſque ipſorum excitetur ad implorandas Sanctorum interceſſiones apud Deum.

V. Volumus in primis, quod omnes quotquot ad clerum ſpectant, ac populum noſtrum, totis medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, & votis omnibus venerentur Reginam Angelorum, Sanctorumque omnium Immaculatam ſemper Virginem Mariam, cui ob ſingularem illius ſupra cereros Sanctos, & Angelos ipſos excellentiam ex dignitate Matris Dei, & gratiarum plenitudine tantae dignitati reſpondentem aeſtimandam, non duliae tantum cultum quemadmodum Angelis, & Sanctis cum Chriſto regnantibus hominibus, ſed etiam hyperduliae impendit Eccleſia, & *per quam*, juxta pervulgatum S. Bernardi effatum in ſermone de ejuſdem Nativitate, *totum nos habere omnipotens Deus voluit*. Sed ut ardentiori ſincerae devotionis conatu, & gratioribus obſequentis, & confidentis animi officiis Mariae patrocinium validiſſimum unuſquiſque veſtrum curet ſibi promereri, illudque debita reverentia, & ferventiſſimo amore exoptet, atque expoſcat, conſiderandum cunctis & filiis, & fratribus noſtris proponimus, quod illa eadem, quae Mater eſt Dei, Mater eſt Chriſtianorum; omnibus enim in perſona Johannis a Chriſto moriente dictum fuit; *Ecce Mater tua*. Et ſane conſonum erat, ut Mater capitis, membrorum eſſet parens, per quam veluti canalem fidelibus omnibus derivaret Dominus fluenta gratiae, & Protomatris damna reſarcirentur; unde a Patribus appellatur: *Evae correctio*.

Et re vera Maria omnia in nos maternae pietatis munia implet: ipſa quidem, dum peperit Dei verbum carnem factum, nos etiam quodammodo in gratia filiolos parturivit, donec formaretur in nobis Chriſtus, noſque tunc illa adoptavit in filios, quos denuo juxta crucem in doloribus peperit: nos illa diligit peramanter, protegit

tegit fortiter, defendit feliciter, ſolatur quoque ſuaviter: cumque Mater ſit, obedientiam, obſequium, amorem, honorem ei rependere debemus ſingulis diebus vitae noſtrae. *Hoc itaque unum de Maria dicere, quod Mater Dei eſt, ſuperat omnia, quae ab Angelo, vel ab homine dici poſſunt*, (inquit S. Petrus Damianus), & hoc unum de Maria addere, quod Mater noſtra ſit, omnia ab hominibus poſſibilia exhiberi pietatis officia exigit, omnem devotionem blande allicit, omnem reverentiam juſte repetit, arcte ſtringit, afficit vehementer. Unanimi igitur degentium in noſtra dioeceſi conſenſione, & aemulatione perpetua honoretur Maria, quae, ut ait Arnoldus Carnotenſis = *Conſtituta eſt ſuper omnem creaturam, & quicumque Jeſu curvat genu, Matri quoque pronus ſupplicet: eam Trinitas ſacroſancta honore praecipuo coboneſtavit; nam Pater Filiam, Filius Matrem, Spiritus ſanctus ſacrarium elegit; eam Angeli profunde colunt; eam Eccleſia ſub caelo tota a ſuis incunabulis ſummis laudibus exornavit; eam denique beatam dicunt omnes generationes: nulla enim eſt natio, quam non pervaſerit Mariae obſervantia, nullus locus, quem non impleverit; nullum ſaeculum, quo non certatim floruerit: quia ſicut miſericordia, & beneficentia ejus plena eſt terra, ita & nominis illius majeſtate, quam praenuntiarunt Prophetae, praemonſtraverunt figurae, & in qua celebranda Pontifices, & Reges, Reſpublicae, & Civitates, ſexus omnes, & aetates unanimi conſenſione conſpirarunt.* Et merito; nam dignitati adeo praecellenti, potentiae tam eximiae, gratiae tam copioſae, non quidem latriae cultum, ut olim Collyridiani, vel potius Collyridianae blaſphemabant; (qui teſte Epiphanio haereſi LXXIX. cultum latriae Deo ſoli debitum Deiparae deferebant, eique quamdam formam panis *Collyram* dictam in Sacrificium immolabant), ſed ſpecialem prae ceteris Sanctis, & Angelis quoque venerationem deferendam eſſe nemo, niſi haereticus, ibit inficias. Nullus ergo annus, nullus menſis, nulla dies, hora nulla praetereat, quin aliquid obſervantiae penſum venerabundi perſolvamus. Amplectamur adgeniculati Mariae veſtigia, & devotiſſima ſupplicatione beatiſſimis illius pedibus provolvamur. Nam honor Matris redundat in Filium, & glorificantes eam, illum glorificant. Vult plane ab omnibus honorari, qui primus honoravit, eamque exal-

exaltavit ſuper omnes creaturarum choros cum eo honore, quo tanta Mater digna fuit, cum ea gloria, quae tantum decuit Filium, ut poſt nomen Jeſu in nomine Mariae omne genuflectatur caeleſtium, terreſtrium, & infernorum.

At venerationi conjungendus eſt amor. In hac excellentiſſima Matre noſtra omnia collucent amoris illicia, & ſuper adamantem durus, & obduratus eſt, qui tam amabilem Matrem non amat. Plane amens eſt eam non amans, & parum Chriſtianus, & operibus non Catholicus cenſendus, qui non eſt corde Marianus: quomodo enim caritas Dei manet in eo, qui unumquemque proximum, ſicut ſeipſum diligere juſſus, Sponſam, & Matrem Dei, divinorum attributorum animatum ſpeculum, & ſacrarum Hypoſtaſeon caelaturam non diligit ſupra ſe ipſum? Quomodo Jeſum toto corde amat, ſi Mariam non diligit adeo conjunctam Salvatori (teſte Eſychio oratione 2.), *ut ſi Chriſtus ſol, Maria caelum; ſi Chriſtus gemma, Maria arca; ſi Chriſtus flos, Maria planĉta exiſtat? Quomodo ipſum bonum amat, ſi non diligit Mariam, in qua omnia naturae munera, omnia gratiae dona, omnia gloriae bona, bonorumque plenitudo congeſta ſunt, totiuſque pulchritudinis collecta univerſitas? Vulneravit divini Sponſi cor, Mariae pulchritudo, & homines non excordabit? Profecto excors eſt, qui tantam amabilitatem neſcit amare. Immo non amat ſe ipſum, qui Mariam non amat; omne enim donum, quod de ſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum, totum fluit per Mariam: ſi quid ſpei, ſi quid gratiae, ſi quid conſolationis, & ſalutis eſt, totum ab ea novimus redundare, quae diligit diligentes ſe, clienteſque ſuos ſuaviter amat ut Mater, conſtanter protegit ut Regina, fortiter defendit ut caſtrorum acies ordinata. Qui ergo non odit animam ſuam, qui recte vivere cupit, qui pacifice optat mori, & in aeternum regnare concupiſcit, amat nutricem, mediatricem, protectricem, auxiliatricem, ſine qua nihil poſſumus obtinere.* = *Sic enim eſt voluntas ejus* (verba ſunt notiſſima S. Bernardi), *qui totum habere nos voluit per Mariam.* Magna ſane impoſita eſt nobis neceſſitas amandi Mariam, quam S. Anſelmus devote alloquendo ſemel, atque iterum ſcripſit = *Sicut qui ad te converſus eſt, & a te reſpectus, impoſſibile eſt, ut pereat, ſic qui*

qui averſus eſt, & a te deſpectus. neceſſe eſt, ut pereat. Qui autem in dilectionis erga Mariam ſuavitatem tranſit, non diffidendum, quin in retributionis ejus participium tranſiturus ſit.

VI. Hinc praecipimus ut in omnibus Parochialibus eccleſiis dioeceſis noſtrae univerſae in qualibet ſabbathi die recitentur cum cantu Litaniae Laureranae. Praecipimus inſuper, annunciandam eſſe populo recurrentiam feſtorum praecipuorum beatiſſimae Virginis Genitricis Dei feſtivo ſonitu aeris campani in meridie, & in ſero dierum praecedentium, quod obſervandum eſſe jubemus ne dum pro illis feſtis, quae ſunt de praecepto, ſed etiam in aliis, ideſt pro feſtis quoque Viſitationis, quod celebratur die ſecunda Julii, & Praeſentationis, quod celebratur die vigeſima prima Novembris. Praecipimus Archipresbyteris ſingulis, ut imminentibus per anni circulum ſeptem feſtivitatibus potioribus ſacratiſſimae Deiparae, nempe Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Viſitationis, Annunciationis, Praeſentationis, & Aſſumptionis ejus indicare non negligant plebanis ſuis diem, a quo incipiendum ſit ſacrum novendiale in preparationem illius feſtivitatis, & rogamus eos inſuper, ut decurrentibus iſtis novendialibus populum conſuetis ſignis aeris campani hora competenti, & neceſſariis populi occupationibus non impedita ad eccleſiam convocent, ibique quotidie aut legendo, aut loquendo de meritis, virtutibus, privilegiis perpetuae Virginis Matris Dei ad illam feſtivitatem pertinentibus auditores inſtruant, & facta de lectis, aut dictis rebus aliqua brevi ſaltem meditatione una cum congregato populo precationes opportunas ſanctiſſimae Dominae, & Matri noſtrae offerant. Monemus praeterea quoſcumque tum clericos, tum laicos, ut in decurſu cujuſcumque ex praedictis ſacris novendialibus diſcreta aliqua corporis mortificatione in honorem beatiſſimae Virginis Mariae de propriis culpis poenitentiam ſibi ipſis injungant, quod & majori ſeveritate explebunt in pervigiliis dictarum ſeptem feſtivitatum, in quibus vehementer cupimus, quod unuſquiſque, ut ut potuerit, jejunet. Praecipimus concionatoribus deputandis ad Dei verbum praedicandum tempore Dominici Adventus, ne in die octava Decembris omittant ſive morali, ſive panegyrica oratione de beatiſſima Virgine Maria, & praeſertim de Immaculata ejus Conceptione ſermonem ad populum habere: concionatori-

toribus ſimiliter ad praedicationem munus deſtinandis tempore Quadrageſimae injungimus, ut die xxv. Martii de Annunciatione beatae Matiae populum alloquantur; id quod praeſtare tenebuntur alio die, ſi in proprio feſtivitatis illius hoc fuerit eis rationabili aliqua causa impedium. Praecipimus denique univerſis, ut quotidianum aliquod devotionis exercitium erga ſacratiſſimam Deiparam numquam intermittant, & potiſſimum commendamus, & inculcamus recitationem tertiae ſaltem partis ſanctiſſimi Roſarii.

Commendamus deinde invocationem Sanctorum, eorumque cultum, & praecipue glorioſiſſimi Patriarchae S. Joſeph Sponſi puriſſimi intemeratae Matris Virginis, qui = *panem vivum* (inquit S Bernardus) (a) *e caelo ſervandum accepit tam ſibi, quam toti mundo, cui datum fuit, conſcium fieri, atque participem caeleſtium ſacramentorum, quemque tamquam fidelem ſervum, atque prudentem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, & voluit, ut eſſet ſuae Matris ſolatium, ac ſuae carnis nutritium* =. Mortalem ille in terris vitam ducens non ſolum mandatis ipſe Dei obtemperavit, quod & reliquis Sanctis commune meritum fuit, ſed inſuper Deus idem factus homo ei ſubditus erat; in quo Sanctis omnibus privilegii eminentia longe felicior evaſit: ſubjectio enim Dei hominis Sponſo Mariae *ſicut inaeſtimabilem* (ait Magnus Theologus Pariſienſis Johannes Gerſo (b) *notat humilitatem in Jeſu, ita dignitatem incomparabilem ſignat in Joſeph*. Qua de re jure merito ſcripſit in ſuo tractatu Cardinalis Cameracenſis: *Dignum arbitramur, ſanctum Joſeph ab omnibus valde honorandum, quem Rex Regum tot honorum inſignis voluit extollere* (c). Neque ſpecialis, quae ei debetur, veneratio a ſumma ſejungitur utilitate; ſcimus namque, docente S. Thoma Aquinate, quod eſti reliquis Sanctis conceſſum ſit in hac, vel illa peculiari neceſſitate a Deo gratias impetrare; uni tamen S. Joſeph datum eſt opem divinam in cujuſque generis indigentiis humanis obtinere. Profecto S. Joſeph *habet magnam jariſdictionem* (uti aſſeruit Bernardinus de Buſtis p. IV. Marialis ſermone XXII.) *apud Dominum Jeſum, & Sponſam ſuam ad impetrandam gratiam ſuis devotis; imo*, ut dixit praelau-

(a) Homil. ſuper *Miſſus eſt*, prope finem.

(b) Serm. de Nat. 6.

(c) In Tractatu de S. Joſeph.

laudatus Gerſo ſermone de Nativitate B. Virginis, *non impetrat, ſed imperat*. Nos proinde, qui inclitum Patriarcham hujus Synodi Protectorem delegimus, illiuſque patrocinio eam ad exoptatum finem pene jam deveniſſe adſcribimus, ut a ſua quoque interceſſione copioſum, & perſeverantem ejus fructum expectemus, deſideramus vehementer, ſanctiſſimi Joſephi cultum in dioeceſi noſtra magis, magiſque auctum, atque firmatum iri. Quare confeſſariis, & animarum rectoribus ſerio committimus, ut ad excitandum, & promovendam devotionem erga S. Joſeph modis omnibus intendant, & adlaborent. Curent praeſertim, ut digna ei exhibeantur obſequia in feria quarta uniuſcujuſque hebdomadae, & praecipue in ſeptem illis, quae annuum illius feſtum diem antecedunt, aut in praecedenti novendiali ſacro ejuſdem feſtivitatis. Inſiſtant, ut devotiſſimo cordis affectu recolatur memoria & tribulationum, quas ſuſtinuit, & conſolationum, quae laetificaverunt ſanctiſſimam animam ſuam, dum in hac lacrymarum valle morabatur. Incitent omnes ad eam aemulandam heroicarum virtutum illius imitationem tum in proſperis, tum in adverſis praeſentis vitae viciſſitudinibus, qua potentiſſimi ſui patrocinii munimen conſequi valeant in mortis agone conſtituti, ideſt in momento, a quo pendet aeternitas.

VIII. Demum exhibeat unuſquiſque ſingularem reverentiam Angelo ſuo Cuſtodi, ejuſque tutelae mane, & ſero ſe ipſum devota fiducia commendet. Sanctum, cujus nomine quiſque gloriatur; quodque in regenerationis lavacro ſortitus ſuit, quotidianis honoribus, & invocationibus colendum eſſe pariter monemus. Principalem etiam civitatis, atque dioeceſis univerſae Tutelarem, & Patronum auguſtiſſimum Martyrem, & Pontificem ſanctum Magnum volumus, quod omnes frequenter invocent, & diſtincte honorent: & ut ea, quae in ſacro novendiali antecedente ſuam anniverſariam ſolemnitatem in Eccleſia noſtra cathedrali leguntur ab eo egregia peracta opera, & ſtupendiſſima patrata miracula, poſſint ab unoquoque ibi conveniente commode audiri, & ita melius cunctis innoteſcat ſuae ſanctitatis meritum, & ſuae interceſſionis efficacia, diſtricte praecipimus hujuſmodi lectionem

nem non ab altari majori in choro, ſed a ſuggeſtu quotannis eſſe faciendam . (a) (*)

§. VIII.

De obligatione patrum familias, & dominorum erga filios, & ſervos.

Si quis ſuorum , & maxime domeſticorum curam non habet , fidem negavit , & eſt infideli deterior . Prima ad Timotheum cap. 5. verſ. 8.

I. UT filii parentes honorare debent , ita parentes filios amare , ipſiſque providere , ut coram Deo hunc honorem mereantur , & tueantur . Debent in primis filios alere , educare , curam ipſorum gerere diligentem , ne quid ipſis infauſti contingat , dum parvuli ſunt , ne in ignem , vel aquam cadant , ne claudi , gibboſi , aut luſci fiant , qua in re negligentia parentes gravis peccati reos facit . Debent ipſis vivendi ſubſidia , cum adulti fuerint , ſubminiſtrare . *Nec enim debent filii parentibus theſaurizare , ſed parentes filiis* (inquit Apoſtolus II. ad Corinth. XII. v. XIV.) Id autem praeſtant parentes non tantum cum annuos redditus , aut praedia filiis aggregant , ſed etiam cum artem , vel opificium docent , quo vitam honeſte tranſigant .

II. Secundo inſtructionem , & diſciplinam filiis debent parentes : *Eorum officia ſunt* (inquit Concilii Tridenthini Catechiſmus), *ut ſanctiſſimis diſciplinis , ac moribus filios imbuant , iſque optima dent vivendi praecepta , ut ad religionem inſtructi , & parati Deum ſancte , inviolateque venerentur , quod a parentibus Suſan-*

(a) Vide ap. Natalem ab Alexandro in lib. 4. de Decalogo cap. 3. art. 2. 3., & 4.

Vide in Mariologia auctoris Theologiae mentis, & cordis lib. 10. diſſ. 6. cap. 2. poſt ſpeculationem primam.

Vide Lanucci in Syn. tit. 2. cap. 10., & 11.

(*) Neapoli proſtat apud Joſ. Mar. Severinum Boetium liber inſcriptus = *Novene per le ſette feſtività di Maria Santiſſima* = ipſius typis anno 1774. editus, curante hodierno Antiſtite Sorano , qui & ſuae Dioeceſis Parochis indixit , novendialia illa in propriis reſpective Eccleſiis tempeſtive celebrare , lata quoque inſtitutione de ratione ea celebrandi ; ut videre licet in edicto ejuſdem vigilantiſſ. Praeſulis , quod in principio praelaudati opuſculi legitur .

Susannae factum esse legimus. Danielis XIII. *Parentes enim illius cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum Legem Moysi*: idemque Tobiae filio praestitum a patre Tobiae cap. I. habemus: = *Accepit uxorem Annam de Tribu sua genuitque ex ea filium, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato*. Et quia plerumque parentes aut ignorantiae causa, aut quia aliis impediti negotiis non valent filios suos instituere, & erudire, tales magistros, ac praeceptores ipsis procurare debent, qui christianam fidem, & vitae secundum Deum agendae officia, & praecepta eos optime doceant. Hoc parentum erga filios officium non uno in loco Scriptura sacra commendat; Deuteronomii XI. = *Ponite haec verba mea in cordibus, & animis vestris ... Docete filios vestros, ut illa meditentur, quando sederis in domo tua, & ambulaveris in via, & accubueris, atque surrexeris* = : Et Ecclesiastici XXX. = *Qui docet filium suum laudabitur in illo, & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium suum, in zelum mittit inimicum, in medio amicorum gloriabitur in illo: mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus; similem enim sibi reliquit post se: in vita sua vidit, & laetatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis: reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam ... Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas* = . Apostolus etiam ad Ephesios VI. parentum officia erga filios explicans: *Educate illos*, inquit, *in disciplina, & correctione Domini*. Lugenda ergo parentum quamplurimorum caecitas, qui in hac una cogitatione, curaque versantur, ut opes, & pecunias, lautum, amplumque patrimonium liberis relinquant, fidem vero, religionem, pietatem, caritatem, & beneficentiam in pauperes, mansuetudinem, humilitatem, patientiam, modestiam, saeculi contemptum, mortificationem, quibus possint in aeternum vivere, eos docere negligunt: quo fit, ut ad illos non tam rerum copias, quam sua crimina transferant, nec illis ad caelum se duces praebeant, sed ad inferorum supplicia sempiterna. Docendi sunt igitur parentes, nullam esse ampliorem haereditatem, nec praeclarius patrimonium, quod filiis relinquere possint, quam si effecerint, ut optimi Christiani evadant: quae virtus omni terre-

no theſauro *multo pretioſior eſt cenſenda* , = ut loquitur Concilium Mediolanenſe v. ſub S. Carolo Borromaeo tit. de iis , quae ad matrimonium pertinent . Qua de re & S. Cyprianus libro de opere , & eleemoſynis praeclare Chriſtianos parentes ita commonet = *Qui ſtudes* (inquit) *terreno magis , quam caeleſti patrimonio filios tuos , diabolo magis commendare , quam Chriſto , his delinquis , & geminum ac duplex crimen admittis ; & quod non praeparas Filiis tuis Dei Patris auxilium , & quod doces Filios patrimonium plus amare , quam Chriſtum : eſto potius liberis tuis pater talis , qualis Tobias extitit . Da uſilia , & ſalutaria praecepta pignoribus , qualia ille filio dedit : manda filiis tuis , quod & ille filio mandavit dicens Tobiae IV.* „ *Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum , & cave , ne aliquando peccato conſentias , & praetermittas praecepta Domini Dei noſtri . Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam , & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere : ita enim fiet , ut nec a te avertatur facies Domini . Quo modo potueris , ita eſto miſericors . Si multum tibi fuerit , abundanter tribue ; ſi exiguum tibi fuerit , etiam exiguum libenter impertiri ſtude . Attende tibi ab omni fornicatione , & praeter uxorem tuam numquam patiaris crimen ſcire . Superbiam numquam in tuo ſenſu , aut in tuo verbo dominari permittas . In ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio . Quicumque tibi aliquid operatus fuerit , ſtatim ei mercedem reſtitue , & merces mercenarii apud te omnino non remaneat . Quod ab alio oderis fieri tibi , vide ne tu aliquando alteri facias . Panem tuum cum eſurientibus , & egenis comede , & de veſtimentis tuis nudos tege : conſilium ſemper a ſapiente perquire : omni tempore benedic Deum , & pete ab eo , ut vias tuas dirigat , & omnia conſilia tua in ipſo permaneant* „ .

III. Quia vero exempla longe movent efficacius, quam verba , filiis ſuis omnium virtutum exemplo praelucere debent parentes chriſtiani = *Sacerdos parentes commoneat* (inquit Concilii Tridentini catechiſmus) *ut ſe liberis magiſtros praebeant virtutis , aequitatis , modeſtiae , & caſtitatis* . Hinc S. Johannes Chryſoſtomus homilia v in epiſtola II *ad Theſſalonicenſes* ait , *Patremfamiliae magis prodeſſe poſſe uxori ſuae , filiis , & ſervis exemplo ſuo , & chriſtiana* ,

ſtiana, ſanctaque converſatione, quam concionatores. Hos enim raro audiunt, & ſtatim ac pedem extulerunt a templo, eorum, quae audierunt in concione, obliviſcuntur: parentum autem, & dominorum vitam, & exempla prae oculis ſemper habent filii, ac ſervi. Licet ergo (addit) *unicuique eſſe docto rem.* = Et Sanctus Auguſtinus in Pſalmo L = *Quomodo ad nos pertinet in eccleſia loqui vobis, ſic ad vos pertinet in domibus veſtris agere, ut bonam rationem reddatis de his, qui vobis ſunt ſubditi.* = Hinc S. Hieronymus epiſtola VII. ad Laetam de inſtitutione filiae ſcribit = *Nihil in te, & in patre ſuo videat, quod ſi fecerit peccet. Mementote vos parentes Virginis, magis eam exemplo doceri poſſe, quam voce.* = Huc pertinent Salviani verba lib. VII. de gubernatione Dei dicentis = *In domo ſua Dominus quaſi corporis ſui caput eſt, & vita ejus cunctis norma vivendi. Peſſimumque hoc eſt in hoc negotio, quod libentius omnes deteriora ſectantur: & facilius mala inſtitutio depravat bonos, quam bona emendat malos.* = *Hinc eſt*, inquit idem Salvianus lib. I. de eccleſ. catholic. *quod pene omnes parentibus ſuis filii non magis in patrimonia, quam in vitia ſuccedunt nec magis paternas facultates ſumunt, quam pravitates. Ac ſic tranſeuntes ſemper in mores patrum ante eorum incipiunt nequitiam, quam ſubſtantiam poſſidere: bona enim parentum nonniſi mortuis eis poſſident, viventibus autem adhuc, & videntibus mores. Ac ſic prius, quam in dominio ſuo incipiant habere res paternas, habent in animo ipſos patres, & antequam habeant illa, quae falſo dicuntur bona, habent illa, quae vere probantur mala.* =

Longe igitur graviora ſunt peccata parentum, qui filios ſuos pravis exemplis, blaſphemiis, juramentis, ve bis obſcaenis, ebrietate, libidine, inimicitiis, rixis, vindicta, ludis alearum, impietate, ac negligentia in frequentandis ſacramentis, in feſtis ſanctificandis, in verbi divini auditione, in ſalutis negotio, quod unum eſt neceſſarium, agendo, duritie in pauperes, ad ſimilia vitia informant, & provocant, quam eorum, qui patres familias non ſunt, ceteris paribus. Unde infelices illi filii merito dixerint = *Perdidit nos* (S. Cyprianus in lib. de lapſis) *aliena perfidia, parentes ſenſimus parricidas.* = Ob hanc rationem Deus viſitat iniquitatem patrum

trum in filios in tertiam & quartam generationem, ut dicitur Exodi xx., & xxiv. ipsos puniens in filios, quos pravis exemplis corruptos suorum imitatores criminum reliquerunt, & vice versa peccata filiorum in parentibus puniuntur, cum negligenti educatione, aut exemplorum pravitate ipsis ruinae auctores extiterunt: 1. Regum cap. xii. & xv. = *Si non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones ejus, erit manus Domini super vos, & super patres vestros* =.

IV. Quartum parentum in filios officium est eorum correctio, & castigatio statim a pueritia, quae prona ad malum est, & nisi coerceatur, vitia concipit ad alias aetates transitura. Qua in re prudentia, & moderatione opus est, ut videlicet nec austeriores, nec indulgentiores parentes sint. Praepostera namque severitate fit, ut pueri fracto, abjectoque animo sint, dum omnia timent; quod summopere cavendum Apostolus dicit (ad Ephesios vi. & ad Colossenses iii.) parentibus praecipiens, ne quid acerbius in liberos loquantur, aut statuant, quo ad iracundiam illi provocentur, ac in desperationem quodammodo compellantur: = *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros, sed educate illos in disciplina, & correptione Domini: Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* = Sit igitur parentum imperium lenitate, ac manſuetudine temperatum. Non quasi servulis, sed quasi filiis se praeesse noverint: Non irae impetu, sed caritatis impulsu peccantes corripiant, & emendent: liberos corrigere malint, quam ulcisci: vel feras ipsas imitentur, quae cum homines terreant, & in sylvis fremant, saevitiam omnem, ac feritatem deponunt in speluncis, ubi filios suos alunt. Doceantur gravis peccati reos esse parentes, qui magis ira, quam ratione in filios saeviunt, & correctis etiam, veniamque petentibus placabiles praebere se nolunt (a).

Verum non minus cavere debent parentes, ne quid liberis per indulgentiam dissolute remittant, si quam culpam commiserunt, quae objurgationem, & castigationem postulet. Saepe enim filii nimia lenitate, & facilitate parentum depravantur. Quamobrem Scriptura sacra parentes a dissoluta illa indulgentia deterret, quae segnes, pra-

(a) Natal.ab Alex.Theol.dogmatico morali lib.4. de Decalogo art.2.n.1. pag.11. editionis Venetae 1698.

pravoſque liberos facit. Proverbiorum XIII. = *Qui parcit virgae, odit filium ſuum. Qui autem diligit illum inſtanter erudit* = Et capite XXIII = *Noli ſubtrahere a puero diſciplinam: ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur: tu virga percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis* = Et Eccleſiaſtici cap. VII. = *Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Filiae tibi ſunt? Serva corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas*: Et capite XXX = *Qui diligit filium ſuum aſſiduat illi flagella, ut laetetur in noviſſimo ſuo, & non palpet proximorum oſtia . . .; Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadet praeceps. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo & contriſtabit te: Non corrideas illi, ne doleas, & in noviſſimo obſtupeſcant dentes tui: non des illi poteſtatem in juventute . . . . & tunde latera ejus, dum infans eſt, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animae.* = Negligentiam paternae in filios diſciplinae graviſſimo ſupplicio ultus eſt Deus in Heli ſummo ſacerdote, qui de ſella cadens retrorſum fractis cervicibus mortuus eſt, duoque ejus filii occiſi, Iſraelitae a Philiſtaeis profligati, arca Domini capta, translatum ab ejus familia ſummum ſacerdotium, multaeque calamitates poſteris ejus illatae ſunt (1. Regum IV.), ut Dominus per Samuelem praenunciaverat 1. Regum capite II. & III. Filios tamen ſuos Heli corripuerat, cum eorum ſacrilegia, & ſtupra audiviſſet; (1. Regum II.) verum non verbis tantum cum illis agendum erat, cum graviſſima crimina perpetrarint in templo Dei cum totius populi ſcandalo: amovendi enim erant ab officio ſacerdotali, quod indigne adminiſtrabant; quod quia non praeſtitit Heli, filiorum honori magis conſulens, quam Dei, maximo ſupplicio eſt afflictus. = *Heli corripuit filios, & punitus eſt, quia non corripere, ſed abjicere debuit* =, inquit S Hieronymus lib. 1. contra Pelagianos.

V. Dominorum erga ſervos officia ſunt, benevolentia ſincera, & caritas, cura illorum in neceſſitatibus cum animae, tum corporis; diſciplina, & correctio manſuetudine temperata. De quibus praecepta variis ſcripturae locis tradit Spiritus ſanctus: Eccleſiaſtici VII. XXII., & XXII. *Non laedas ſervum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam. Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem*

pem derelinquat illum Et cap. xxx. = *Si eſt tibi ſervus fidelis ſit tibi quaſi anima tua : quaſi fratrem ſic eum tracta* = Ad Epheſios cap. vi. ubi Apoſtolus ſervorum erga dominos officia deſcripſit, ad dominos ſermonem convertens = *Et vos, Domini*, inquit, *eadem facite illis remittentes minas ; ſcientes, quia, & illorum, & veſter Dominus eſt in caelis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* = Et ad Coloſſenſes iv. = *Domini quod juſtum eſt, & aequum ſervis praeſtate, ſcientes, quod & vos Dominum habetis in caelo.* = Servis igitur alimenta debent Domini ſtipendiaque, de quibus inter illos conventum eſt, ſufficentia ſecundum laboris, & obſequiorum menſuram, ac regionis conſuetudinem, nec unquam ipſos mercede fraudare, aut eam apud ſe retinere, vel differre debent contra praeceptum Dei : *Levitici* cap. xix. = *Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane.* = Debent praeterea ipſis ſubvenire, cum aegrotant, ipſorum curam gerere, centurionis exemplo, qui ad Jeſum ſupplex acceſſit, ſervi ſui valetudinem ab ipſo rogaturus (Matthaei viii.) Non ipſos velut inutiles ſtatim ad parentes remittere, aut in xenodochia amandare. Maxime vero eorum aeternae ſaluti conſulere debent, curare, ut chriſtianae fidei rudimentis imbuantur, Deique, & eccleſiae mandata ſciant, & opere impleant, ut mane, & veſpere Deum orent, ut Dominicis, feſtiſque diebus ab operibus ſervilibus vacent, miſſae, ac veſpertino etiam, ſi fieri poteſt, officio, & doctrinae chriſtianae expoſitioni interſint ; ut Sacramenta frequentent, ut a vitiis, quibus obnoxii ſunt, emendentur. Cum vero Deum offendunt, illos corripere debent, & cum delicti gravitas poſtulat caſtigare ; non identidem pro levibus culpis verberare, aut durioribus verbis excipere. Patres tandem ſe ipſis, ac Paſtores exhibere debent, ipſiſque ut filiis ad colendum, & promerendum Deum conſulere ; ipſos verbo, & exemplo ad Deum ducere, ut illud *Eccleſiaſtici* xiii. impleant = *Qui miſericordiam habet, docet, & erudit quaſi paſtor gregem ſuum.* =

VI. Servos autem, qui pravis ſunt moribus nec ad meliorem frugem redire volunt, ſed familiae ſcandalo ſunt, patres familias ejicere ex domo debent, ſolutiſque ſtipendiis dimittere tenentur : alioquin gravis peccati rei ſunt coram Deo, ſi ganeones foveant, & peſtes hominum in familia retineant. Dicant igitur cum Davide Pſalm. c =

Non

Non habitabit in medio domus meae qui facit ſuperbiam: qui loquitur iniqua non direxit in conſpectu oculorum meorum: ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat. = *Servis* namque *utebatur iis, qui virtutis ſtudioſi erant, & cujuslibet ſceleris expertes,* = inquit Theodoretus in hujus Pſalmi commentario: iſta ſe geſſit Conſtantius Auguſtus Magni Conſtantini pater, qui homines ad idolorum cultum propenſos e miniſtrorum ſuorum a ſervorum albo expulit, & regalibus ex aedibus ejecit: illos vero vero ſolos retinuit, quos Deo fideles probaverat, teſte Euſebio lib. 1. de vita Conſtantini cap. XVII. = *Nam quomodo*, inquiebat, *fidem erga Principem ſuum ſervaturi ſunt, qui erga Deum perfidi eſſe deprehenduntur?* = Itaque ejuſmodi viros a regiis aedibus procul ablegandos eſſe cenſuit. Illos vero, quos Deo dignos eſſe veritatis ipſius teſtimonio conſtaret, eodem erga Principem animo futuros eſſe affirmans, protectores, atque Imperii ipſius cuſtodes conſtituit, ejuſmodi homines inter praecipuos amicorum, & maxime neceſſarios habendos eſſe dicens, multoque pluris aeſtimandos, quam *maximarum opum theſauros*. Concilium denique Mediolanenſe III. ſub S. Carolo Borromaeo tit. de iis, quae ad Matrimonii Sacramentum pertinent, agens de officiis patris familias = *Ne patiatur*, inquit, *in familia eſſe quempiam, qui blaſphaemus ſit, qui perjurus, qui corruptis moribus, qui obſcene quidquam vel loquatur, vel agat, qui aleis ludat, qui denique ceteris turpis vitae exemplum praebeat.* =

VII. Haec quae hucuſque docuimus, diſtricte jubemus, ut a parochis, & a catechiſtis populo & civitatis, & dioeceſis noſtrae quam frequentiſſime exponantur.

§. IX.

De obligatione non inferendi damnum proximo illicitis contractibus, vel uſuris.

Et ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum. quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut praedximus vobis, & teſtificati ſumus = Primae ad Theſſalonicenſes IV. verſ. VI.

I. CHriſtianos ab avaritia deterrere debet opum vanitas, & fallacia, ſpiritualium excellentia bonorum, vitae chriſtianae conditio, quae via eſt ad meliorem, & caeleſtem, aeternamque patriam, Chriſti etiam verba divites avaros damnantis, pauperes ſpiritu commendantis, & beatos praedicantis, quoniam ipſorum eſt Regnum Caelorum, diſcipulis tandem ſuis jubentis, ut avaritiam omnem fugiant Lucae XII. = *Videte, & cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex his, quae poſſidet*; = Ejuſdem quoque Salvatoris exemplum qui propter nos egenus factus eſt, cum dives eſſet, ut illius inopia divites eſſemus; & qui non habuit, ubi reclinaret caput ſuum; qui ex paupere matre in ſtabulo natus, & in praeſepe exceptus pauperes diſcipulos elegit, pauperem cum pauperibus vitam duxit, nudus in cruce mori voluit. Haec tamen inter chriſtianos ſunt qui non meditantes, avaritiae ſtudent, quo infami ſtudio, ac peſſimo nedum proprias perdunt animas, ſed & proximum multis aggravant damnis, & cum eo incredibilem ſaevitiam exercent. Siquidem ex avaritia, ſicuti ex fonte rivi, & ex radice fructus ſcaturiunt, & producuntur contractus injuſti, & uſurae, quibus pauperes vexantur, opprimuntur, ſpoliantur. Cum bona temporalia ſimul a multis poſſideri non poſſint, fit inde, ait S. Thomas, quod exterioribus divitiis dum quis ſuperabundare cupit, nititur, ut alteri deficiant. Quam immanis ſit autem in proximum avaritia, eique exitialis, propheticis oraculis oſtenditur Jeremiae II. = *In alis tuis inventus eſt ſanguis animarum pauperum, & innocentum* = Et Micheae VI. = *Ignis in domo impii theſauri iniquitatis*: Inſtar enim ignis vicina quaeque conſumit, devaſtat, evertit: avaritia

ritia crudelis eſt illa Jezabel, quae Nabutem falſis teſtimoniis opprimit, perditque, ut ejus vineam Regi Achab tradar poſſidendam (III. Regum cap. XXI.) Qua de re *S. Ambroſius lib. de Nabuth cap. 1.* ita ſcribit = *Nabuth biſtoria tempore vetus eſt, uſu quotidiana. Quis enim divitum non quotidie concupiſcit aliena? Quis opulentiſſimorum non exturbare contendit agellulo ſuo pauperem, atque inopem aviti ruris eliminari finibus? Quis contentus eſt ſuo? Cujus non inflammat divitis animum vicina poſſeſſio? Non igitur unus Achab natus eſt: ſed quod pejus eſt, quotidie Achab naſcitur, & numquam huic ſaeculo moritur. Si unus occiditur aſſurgunt plurimi: plures qui rapiant, quam qui amittant. Non unus Nabuth pauper occiſus eſt: quotidie Nabuth ſternitur, quotidie pauper occiditur.* =

II. Volentes propterea avarorum crudelitati legum juſtitia obſiſtere, ante omnia contractus quoſcumque proximorum jura violantes, & eos praeſertim, qui uſurae labe infecti ſint, deteſtamur, damnamus, & graviter prohibemus: Er ne ignorantia ulla ſive affectata, ſive vera cuicumque damnum fratri ſuo inferre. volenti excuſationem praeſtare valeat, vel patrocinium, principaliores de uſurae crimine notitias hic tradimus, & publicamus, ac ſummatim recenſemus.

Omne lucrum ex mutuo praeciſe ratione mutui, uti loquuntur Theologi, hoc eſt, lucri ceſſantis, damni emergentis, aliove extrinſeco titulo remoto, uſurarium atque omni jure, naturali ſcilicet, divino, & eccleſiaſtico illicitum eſſe, perpetua fuit, & eſt catholicae eccleſiae doctrina, omnium Conciliorum, Patrum, & doctorum unanimi conſenſione firmata. Huic contradixere Graeci Schiſmatici, qui teſte Guidone Carmelita in catalogo haereticorum, quodcumque lucrum ex mutuo permittunt. Graecis ex parte conſenſit Calvinus, qui ad caput XVIII. Ezechielis licere docuit aliquod moderatum lucrum non quidem a paupere, ſed a divite praeciſe ratione mutui exigere: errorem a Calvino obiter inſinuatum ex profeſſo propugnavit Carolus Molinaeus in ſuo tractatu de uſuris, ubi n. X. audacter affirmat, uſuram non eſſe prohibitam, niſi in quantum eſt contra caritatem: diſtinguit deinde num. LXXXV. tres hominum gradus: primus complectitur pauperes mendicata ſtipe viventes, quibus non

mutuo, ſed eleemoſyna ſuccurrendum ait; alter indigentes, qui pro tempore indigent, quamvis potis ſint mutuo poſtea reſtituendo, atque his quoque mutuum gratuito dandum eſſe aſſerit; tertius gradus complectitur divites, & mercatores, qui nihil indigent, ſed rem ſuam negotiatione amplificare ſtudent, & ab his uſuram moderatam ratione mutui juſte, ac ſancte exigi poſſe tradit Molinaeus. Impiae Calvini, & Molinaei opinioni non veriti ſunt ſubſcribere pauci quidam doctores catholici. Novam tamen hanc diſtinctionem inter pauperes, & divites ab haereticis primum excogitatam praeverterunt eccleſiae patres, qui uno ore abſolute, atque indefinite foeneratitium pronuntiaverunt quidquid ex mutuo ultra ſortem exigitur, nempe Tertullianus lib. IV. contra Marcionem cap. XVII. S. Baſilius, in Pſalmum XIV. tom. I. oper. pag CVII., S. Ambroſius lib. unico de Tobia cap. XIV. n. LIX. tom. I. operum col DCVII. S. Hieronymus in caput XVIII. Ezechielis tom. I. operum col. CCX., S. Auguſtinus in Pſalm. XXXVI. ſermone III. num. 6. tom. 4. operum col. CCLXXXV. Concilium Agathenſe relatum a Burchardo lib. II. cap CXXVV. Ivone part. VI. cap. CC., & a Gratiano cauſ. 14. quaeſt III. can. IV. Patribus adhaeſere veteres Theologi, qui duce *S Thoma* 2. 2. *quaeſtione* LXXVIII. *art.* 2. adeo diſtricte omne lucrum ex mutuo jure naturali, ac divino veritum aſſeruere, ut ne munus quidem ab obſequio, aut lingua, quod certe quid minimum eſt, nullique oneroſum, a mutuatario ſolius mutui cauſa exigi poſſe docuerint.

Verum quoniam praedictam exoticam, & execrabilem opinionem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, immortalis memoriae Benedictus XIV. datis ad Italiae Epiſcopos encyclicis litteris ſub die prima Novembris MDCCXLV. haec inter cetera declaravit, omne lucrum ex mutuo ratione mutui uſurarium, & illicitum eſſe; ad uſurae labem purgandam nullum accerſiri poſſe ſubſidium vel ex eo, quod id lucrum non exceſſivum, & nimium, ſed moderatum, non magnum, ſed exiguum ſit, vel ex eo, quod is, a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur, non pauper ſit, ſed dives exiſtat, nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam, ſed ad fortunas ſuas amplificandas, vel novis coemendis praediis, vel quaeſtuoſis agitandis negotiis utillime ſit impenſurus; falſo, & temere affirmari titulos ab uſura excuſantes, damni nempe emergentis & lucri ceſſantis

ſem-

ſemper repetitos, ac ubique praeſto eſſe, ita ut illorum ratione quotieſcumque pecunia, frumentum, aliudve id generis alteri cuicumque creditur, toties ſemper liceat auctarium moderatum ultra ſortem integram, ſalvamque recipere. Alia praeterea edixit, atque in contractibus ſervanda commendavit, ne uſurae macula inficiantur, ſicuti videre eſt in praefatis litteris impreſſis tom. 1. ſuarum conſtitutionum numero CXLVIII. quas theologico commentario illuſtravit Daniel Concina Ordinis Praedicatorum Theologus.

Ad dignoſcendum vero, quando poſſit aut titulo damni emergentis, aut titulo lucri ceſſantis aliquid ultra ſortem exigi, ex communi ſententia ſequentes praefiguntur conditiones. Pro damno emergente expoſcitur, ut mutuum ſit vera cauſa damni, ut damnum proponatur mutuatario, nam libere conſentire debet in illam compenſationem mutuo extrinſecam, & alioquin admonitus poſſet forte alibi ſibi providere ſine hoc onere; ut auctarium non ſit majus damno orto ex mutuo; ut compenſatio non exigatur ante tempus, quo damnum eventurum praeviderit, quia tunc ſolum urget titulus, ut alter non cogatur ad aliquid ſolvendum quidquid venerit, ſi velit ſe obligare ad totum damnum emergens, quod reipſa continget. Pro lucro autem ceſſante requiritur, ut mutuum ſit vera cauſa, cur lucrum ceſſet; ut lucrum ſit certum, aut probabile. Nam ſi ſit ſolum poſſibile non eſt pretio aeſtimabile; ut moneatur mutuatarius de lucro ceſſante, in illiuſque compenſationem conſentiat; ut non exigatur totum lucrum, quod ſperatur, ſed ſolum quantum ſpes illius prudentum judicio valet, deductis ſumptibus, & aeſtimatione periculi, ac laboris; ut lucri ceſſantis compenſatio non exigatur ſtatim dato mutuo, ſed ſolum pro tempore, quo lucrum fuiſſet.

Declaramus inſuper numquam licere quidquam praeter ſortem exigere ratione periculi ſortis orti ex mutuatarii inopia, cum hujuſmodi periculum ſit intrinſecum huic mutuo in individuo: unde *cap. Naviganti de uſuris*, Gregorius IX. ait = *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem pro eo, quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid ultra ſortem uſurarius eſt cenſendus*. = Hinc ex ſi doctoribus quibuſdam non indignum viſum fuerit opinari, poſſe quandoque ratione periculi a mutuatario auctarium licite exigi, dummodo periculum oriatur non ex inopia, ſed

ſed ex culpa, infidelitate, & injuſtitia mutuatarii, tamen ad praecavendum, ne pallio dicti periculi obtegatur uſura plures verificandas eſſe conditiones ſtatuerunt: primo nempe, quod mutuatarius non ſit induſtrius, verax, juſtus, & de quo non detur prudens praeſumptio, quod non ſit ſoluturus, ad hoc ut periculum amittendae ſortis mutuo extrinſecum ſit vere probabile; ſecundo, ut in hoc auctarium conſentiat mutuatarius; tertio, ut mutuans non compellat mutuatarium ad ſecum paciſcendum de periculo, ſed ei relinquat libertatem aſſecurandi ſortem per piguus, hypothecam, vel alium fidejuſſorem; quarto, ut non plus exigatur, quam judicio communi prudentum valeat tale periculum ſubeundum, habita ratione quantitatis ſummae mutuatae, & magnitudinis periculi ſervataque proportione inter periculum, & auctarium. Neque reticendum putamus, quod graviſſimi theologi, ac peritiores canoniſtae ſe demonſtraſſe credunt, lucrum ex mutuo ob periculum ſortis amittendae, ſive ordinarium ſit, ſive extraordinarium, foeneratitium eſſe. Hanc eorum ſententiam invictiſſimis procul dubio rationibus firmant, ac tuentur, id quod manifeſtum erit legenti ſanctum Raymundum in ſumma tit. de uſuris §. VII. Lancellottum lib. IV. inſtitutionum tit. VII. de uſuris §. X. Honoratum Leotardum de uſuris quaeſtione XXIII. Patrem Nicolaum Gennaro in uſura detecta parte I. recognitione I. §. V. num. XXXVI, Auctorem Theologiae Chriſtianae Dogmatico Moralis in commentario praefatae epiſtolae Benedicti XIV., & in Theologiae volumine VII. lib. III diſt. III, & IV., alioſque multos ſane doctrinae, & magni nominis ſcriptores.

Praeterea deſcribimus propoſitiones ad uſurae materiam ſpectantes, quae ab apoſtolica Sede jam reprobatae fuerunt. Inter proſcriptas ab Alexandro VII. quadrageſima ſecunda eſt iſta = *Licitum eſt mutuanti aliquid ſupra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus* = Inter proſcriptas vero ab Innocentio XI quadrageſima prima eſt iſta = *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam praeſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari* = Et quadrageſima ſecunda eſt iſta = *Uſura non eſt dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia,*

tia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur, tamquam ex juſtitia debitum. =

III. Ex praenotaris conſequitur evidentiſſime, uſurae ſcelere inquinari eos, qui ſequentes netarios uſu tamen receptos acquirendi modos adhibent.

I. Mutuo dare frumentum hac adjecta lege, ut in meſſe cum aliquo auctario recipiatur, vel mutuati frumenti abraſas dare menſuras, exigere vero plenas, & cumulatiores.

II Triticum, vel frumentum indicum vulgo *Siciliano*, aut vinum, ſeu id genus aliud deterioris conditionis mutuo dare, ut tantundem optimae, & melioris qualitatis reddatur, etiamſi reſtitutio differatur in quodcumque tempus debitori commodum.

III. Una cum frumento, quo mutuatarius indiget, illum adigere ad accipiendas res, quibus certe non indiget, adjecto pacto, ut tempore meſſis, aut numerata pecunia, aut in frumento optimae qualitatis mutuatarius ipſe earumdem rerum mutuanti ſolvat pretium, praecipue ſi in auctarium iniquitatis illud etiam addatur, quod victualia peſſimae conditionis, & ſummo pretio aeſtimata tradantur, optimae vero qualitatis frumentum infimo currente pretio repoſcatur.

IV. Vendere exſtimulante emptore merces ſuas certo majori pretio, quam tunc valeant, cum diſtrahuntur, eo quia ſincero animo eas ſervare ſtatuerunt uſque ad illud tempus, quo pluris erant valiturae, non coequando tamen pretium proportionaliter ad impenſas pro conſervatione neceſſarias, ad periculum immutationis, vel definito, & determinato pretio ſummo, aut quam maximo pretio valebunt per annum, ſive toto tempore uſque ad ſolutionis tempus interceſſuro.

V. Ob dilatam ſolutionis diem carius vendere, quam juſti pretii ratio comunirer ferat, aut ob anticipatam ſolutionem res minoris emere, quam juſto pretio, vel minus ſolvere; ſeu cuiquam praeſenti pecunia indigenti quidquam carius vendere, ut ſtatim a vendirore per ſe, vel interpoſitam perſonam vilius ematur, quod licitum eſſe profitebatur ab auctore propoſitionis XL. inter damnatas ab Alexandro VII.

VI. In pignore ſtare *pacto legis commiſſoriae*, quo eſto pignus pluris valeat, quam debitum, adhuc creditori emptum habetur, ſi debitor quantum debet praeſtituto tempore non ſolvat. VII. In

VII. In contractu, quem vulgo appellant *a godere*, quo ex una parte pecuniae ſumma mutuo traditur, & ex altera pignus frugiferum a mutuante utendum ſortem ex perceptis fructibus demptis expenſis non diminuere, dum oppignorati fundi fit reſtitutio.

VIII. Simulate emptionem inire cum pacto retrovendendi, dum vel res, quae emitur, vili, ac modico pretio aeſtimatur, vel gravatur venditor, quandocumque eam redimere voluerit, eamdem majori pretio redimendi, quam ipſe vendiderit, vel rei periculum in venditorem, non in emptorem transfertur, vel coarctatur illam redimendi libertas intra certum tempus, quo elapſo non ſit amplius locus retrovenditioni, vel obtentu pacti redimendi venditio ſit infra limites juſti pretii, nulla habita ratione oneris impoſiti venditori fundi redimendi intra certum tempus, quo elapſo nequeat illum pro ſuo libitu, eodemque pretio recuperare, vel ſi ipſimet emptioni accedat lex, ut non liceat venditori fundum redimere, niſi poſt praefiniti temporis, puta duorum, aut decem annorum intervallum, vel demum contemporanee ad emptionem initur contractus locationis ejuſdem rei, ſeu fundi cum venditore.

IX. Nullo alio interveniente pecuniae cambio, quam illo, quod fictum, & ficcum appellant, traditae pecuniae auctarium juſti lucri campſori competenti titulo exigere.

IV. Praeter enumeratas, illiſque ſimiles omnium ſenſu foeneratitias pactiones alias nonnullas indicamus, quae vehementiſſima ejuſdem criminis ſuſpicione non carent.

I. Cenſus conſignativi perſonales, ſeu mixti, qui jure merito ſalubertima S. Pii V. Conſtitutione incipiente *Cum onus* LXXIX. ſui Bullarii tom. II. prohibiti fuerunt.

II. Cambia obliqua, quibus pecunia indigentes ad ſuas praeſentaneas levandas neceſſitates utriſque contrahentibus apprime notas eam mutuo accipiunt a mutuantibus adjecto pacto, juramenti etiam religione temere confirmato, ſe ficte, & non vere obligantes aequales pecuniae ſummas ad nundinas tranſmittere, & in activa cambia erogare in commodum, & utilitatem mutuantium, & proinde certa adſtipulatur annua quantitas fructuum a mutuatariis ſolvenda, etiamſi cuique contrahentium ſatis perſpectum ſit pactionem tranſmittendi pecuniam ad nundinas, eamque in cambia activa ero-

va erogandi mutuatarios nec unquam impleturos, nec in animo fuiſſe eam implendi: quae cambia (quidquid ſit de foro externo, in quo fortaſſe ita res geſta praeſumitur, ſicut in contractus ſtipulatione deſcribitur) in foro interno, praeter graviter violatam ſacramenti religionem, uſurae quoque tegumenta eſſe non obſcure deprehenditur.

III. Societates degenerantes in mutuum, in quibus alter vivum, ſeu ſortem, vel, ut ajunt, capitale, ſive illud pecunia, aut animalia, aliudve quidpiam ſit; alter labores, induſtrias, vel cuſtodiam in ſocietatem confert, pactione contra caritatis, & juſtitiae leges inita, ut ſors ipſa, ſeu vivum in totum, aut in parte conferenti ſemper ſalvum ſit, vel ut ultra quotas lucri partes certa pecuniarum ſumma, vel quidquam aliud conferenti perſolvatur. = Cujus generis ſocietates, quantum a naturali, & humana, & multo magis a chriſtiana aequitate, & fraternitate diſtent, nemo non videt.

IV. Contractus trini, nempe ſocietatis, aſſecurationis ſortis, & fructuum, ideſt, ſi quis ſocietatis contractum ineat cum mercatore, cui pecuniam tradit cum ſpe lucri centum ſcutorum, ſed metuens, ne una cum ſperato lucro etiam capitale perdat, alium contractum celebrat, vel pactum interponit cum eodem mercatore condonando partem lucri, ut, qualiſcumque ſit negotiationis exitus, ipſe certus ſit de ſecuritate ſortis, vulgo *capitale*, rurſuſque cupiens potius moderatum lucrum, ſed certum habere, quam pinguius incertum, tertium contractum, ſive pactum cum mercatore init, quo eidem remittit ſperati lucri alteram quotam, ut certum fructum ex negotiatione percipiat, ſive bene, ſive male ſuccedat, ſicque ex tribus hiſce contractibus mercator obſtringitur integrum *capitale* reſtituere, & certum incrementum: hi contractus trini quamvis nulla adhuc Apoſtolicae Sedis cenſura ſint inuſti, non abs re tamen a majori, & praeſtantiori Theologorum parte incongruentes prorſus agnoſcuntur Sixtinae Conſtitutioni, quae incipit *Deteſtabilis avaritiae*, & eſt XLV. ſui Bullarii tom. II, & (fatentibus etiam eorumdem patronis) periculi contractus iſti pleni ſunt, aperiuntque viam ad committendas uſuras. Quare ab hujuſmodi trini

contractus ſpecie fideles noſtrae dioeceſis hortamur, ut abſtineant (a).

V. Notitiis conventionum, quas diximus, aut uſura coinquinatas eſſe, aut de hac labe maximam ingerere ſuſpicionem, adnectimus catalogum poenarum, quae latae, & indictae inveniuntur in ſacris Canonibus contra publicos foeneratores 1. videlicet uſurarii notorii, & manifeſti ſive *notorietate facti*, dum palam mutuo dant ad uſuram, ſive *notorietate juris*, ſcilicet de hoc crimine in judicio convicti atque damnati ſunt infames, & ideo irregulares: 2. Privantur communione altaris, & eccleſiaſtica ſepultura, & eorum oblationes minime recipiendae ſunt: cap. III. de uſuris ex Concilio Lateranenſi tertio. 3. Non debent ad confeſſionem admitti, antequam ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo idoneam cautionem dederint: *cap. ultimo de uſuris in ſexto*. 4. Irrita ſunt eorum teſtamenta, niſi ante mortem reſtituerint, vel cautionem dederint, ut ſupra in *eodem capite*. 5. Pro clericis, qui moniti ab uſuris non deſiſtunt, ſtatuta eſt ſuſpenſio ab officio, & beneficio ferendae ſententiae; pro laicis, excommunicatio ferenda uſque ad debitam reſtitutionem. Quibus poenis ſubjiciuntur cooperatores, & internuncii vulgo *Senſali*, atque notarii efficientes inſtrumenta de contractu aliquo uſurario, atque prohibito. 6. Denique iſtiuſmodi contractus nulli ſunt.

VI. Ut innoteſcat quoque omnibus, cujus ſit fori, ac judicis uſurarum cauſas dijudicare, decretum tradimus ſacrae Congregationis Immunitatis XXV. Maii MDCCXXX. Quando quaeſtio uſurarum eſt juris, an ſcilicet talis contractus ſit uſurarius, cognitio cauſae ſpectat ad judicem eccleſiaſticum privative quoad judicem ſaecularem: quando vero eſt facti, cum videlicet, etiamſi conſtet, contractum eſſe uſurarium, agitur tamen de uſurarum repetitione, quantitate, & ſimilibus, tunc datur locus praeventioni fori, & judicis utriuſque.

VII. Docemus tandem, uſurarum reſtitutionem faciendam eſſe dominis certis, ſi eorum notitia certa haberi poſſit, vel eorum haeredibus, ſi illi ultimum diem obierunt; ſin minus, in foro exter-

(a) Bened. XIV. de Synodo lib. 10. cap. 7. num. 6.

externo pauperibus arbitrio noſtro, in foro vero interno pauperibus per ipſoſmet deſraudatores eligendis, quemadmodum decernitur in *capite Cum tu. 5. de uſuris*: pignora vero de ſatisfaciendo danda ab uſurariis, ut ad ſacramentalis abſolutionis beneficium percipiendum praeparentur, danda ſunt pro praeſentibus, confeſſariis, pro abſentibus autem Ordinario, ſive Paroco juxta canonicam diſpoſitionem *in capite Quia in omnibus de uſuris, & capite Quamquam eodem titulo in ſexto*.

VIII. His in lucem poſitis, ſeu in memoriam revocatis clero, & populo noſtro interdicimus omnes, & ſingulos ſupra enunciatos contractus tam aperte foeneratitios, quam de foeneris vitio ſuſpectos: recenſitas poenas contra foeneratores confirmamus: Miniſtris ſacramenti poenitentiae, & animarum rectoribus injungimus, ut abſolutionem denegent horum contractuum reis, uſque dum reſtitutionis obligationi, cum poſſint, & eo, quo poterunt & debent modo ſatisfecerint; ne ſi ſecus agant, alienorum peccatorum participes fiant, & in defectum ſuorum poenitentium, & ipſi reſtitutioni obnoxios ſe conſtituant. Quod ſi aliquando dubium oriatur, an utilitas ex pecunia deſumpta illicita ſit, & cum uſura conjuncta, vel potius emolumentum ab uſurae turpitudine liberum, verbis prudentia, & ſapientia plenis Benedicti XIV. in ſuperius citata Conſtitutione monemus illos, ne privatis ſuis opinionibus nimis adhaereant, ſed priuſquam reſponſum petentibus conſilium reddant, aut judicium de confitentium reatu efforment aut pronuncient, plures Scriptores examinent, qui magis inter ceteros praedicantur; deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum authoritate plene confirmatas intelligent.

IX. Nolumus autem, ut unica uſurae injuſtitia a noſtra eliminetur dioeceſi: ceteros pariter illicitos contractus, & prava cumulandae pecuniae ſtudia execramus, inſectamur, & contendimus abolere. Quare vetamus, ne quiſquam monopoliis iniquum ſibi paret quaeſtum, *Lege jubemus cap De monopoliis*; neve divinibus liceat tempore meſſis, & vindemiae frumentum, vinum, idque genus aliud vilius emere, ut iſta poſtea quanti voluerint, vendere poſſint; neque eis fas ſit tempore ſterilitatis, & famis pro libidine annonam vendere, ne pauperes fame conficiantur, vel facul-

tatibus ſuis omnino ſpolientur. Non enim aequum eſt, ut paucorum avaritia perire debeat univerſa reſpublica, uti legimus in Concilio Burdigalenſi anni MDLXXXIII. cap. XXXI. §. XIII. apud Natalem ab Alexandro Hiſtoriae Eccleſiaſticae tom. XVII. cap. VI. art. XI. num. XIII.

X. Inhibemus pariter peragi contractus, quos vocant *Collatici*, niſi fiant ad praeſcriptum ſacrorum Canonum, & apponantur pacta juſtitiae, & aequitati conſona. Qui hos exercebant, ſciant eoſdem ſic efformatos, ut pro quolibet bove terram arante tradito bubulco, ſeu colono ſolvatur domino bovis certa portio frumenti hac adjecta lege, ut ſi bos naturaliter moriatur, damnum ſit domino, & bubulco commune; ſi vero pereat culpa ejus, cui traditus eſt, is totum damnum ſubeat, ſacram Concilii Congregationem ut licitos nunciaſſe, ſimulque ut dolis, & fraudibus in illis ineundis occurratur, has ſequentes conditiones ſua authoritate probaſſe, quas & in noſtra dioeceſi pro aequitatis ratione ab omnibus ſervari graviter praecipimus, & enixe hortamur: Prima earum eſt, ut boves aeſtimentur pro integro anno, quo durante nec ſocius major, ideſt dominus repetere, nec ſocius minor reſtituere, niſi de communi conſenſu utriuſque partis teneatur: ſecunda, ut in fine anni, ſi ſocietas diſſolvatur, debeant denuo animalia aeſtimari, & decrementum communi damno prout incrementum communi lucro cedere debeat. Tertia ut commune ſit damnum ſi mors naturaliter, vel divino judicio, evenerit: ſi vero culpa ſocii minoris, ejus damno in totum periiſſe dicatur; quarta, ut ſocius major pro collatia, ſeu mercede non plus, quam octo quartas frumenti recipere poſſit pro quolibet bove bono, & mercantili. (In Amerina XVI. Decembris MDCCXXX.) (a)

XI. Praeterea vetamus omnibus, & quibuſcumque ſpirituali noſtrae ditioni ſubjectis ſex illos contractus, quos prohibuimus edicto noſtro Romae typis edito ſub die XV. Julii elapſi anni MDCCLXXIX., cui noſtro edicto in appendice hujus Synodi inſerto num. XIV. (ubi etiam ſummaria collectio rationum, quibus ejuſdem edicti vindiciae reſtringuntur, reperietur) Synodalis conſtitutionis robur, auctori-

(a) Octo *quartarum* frumenti menſura ad praeſcriptum ſac. Congregationis Concilii recenſita reſpondet menſurae Anagninae quatuor quartarum; ideoque *octo quartarum* nomine ea intelligenda venit menſura, quae vernacule dicitur, *un rubbio*.

ctoritatem, & firmitatem adjicimus. Doctiſſimus Pontifex Maximus Benedictus XIV. lib. x. cap VIII. de Synodo Dioecesana Epiſcopos monuit, ut cum aliquem peculiarem contractum alibi inuſitatum in commiſſis ſibi dioeceſibus fieri animadverterent, quem ipſamet implexa, atque involuta illius incundi formula ſuſpectum redderet, eum accitis in conſilium Theologis diligenter examinarent, & ſi uſurae, alteriuſve injuſtitiae labe foedatum reperiſſent, ſtatim prohiberent, id quod praeſtitum fuiſſe, ibidem narrat a Praeſule Bonaventura Epiſcopo Montis Faliſci, & Corneti, qui vigilantiſſimus Antiſtes (teſte Franciſco Gervaſio) = *In Congregationibus ſuae Dioeceſanae Synodo praevia Theologorum judicio ſubjecit plures contractus in ſua civitate, & Dioeceſi uſitatos, e quibus qui aut manifeſte injuſti, aut foeneratitii, aut occulti foenoris, ſive palliatae injuſtitiae ſuſpecti fuerunt ab illis renunciati, eos ſynodali Conſtitutione interdixit* =.

Hoc idem & Nos adimpleviſſe gloriamur. A primordiis paſtoralis officii noſtri demirati ſumus novum quoddam contractus ſocietatis coloniae genus in hac Campaniae provincia abuſiva conſuetudine introductum. Etenim praeter Dominicalem portionem fructus vineae, ſeu agri domino, praevio pacto etiam in ſcriptis apochis expreſſo, determinata etiam pecuniae ſumma a colono ſolvenda ſtatuebatur, quae certa pecuniae quota vulgo appellabatur *entratura*. Rem Theologis tum regularibus, tum ſaecularibus nobis coram examinandam, diſcutiendamque commiſimus, eorumque calculo agnita pactione illa de pecuniae determinata quantitate ultra juſtam congruam, & aequam fructuum portionem terrae feracitati reſpondentem ejus coloniae ſocietatis contractui indebite appoſita, & plus juſto oneroſa, edximus, hujuſmodi pactionem abrogandam eſſe, eamque diſtricte vetuimus. Imminentibus vero ſynodalibus hiſce comitiis in congregationibus praeliminaribus iterum lecti ſimis Theologis eamdem cauſam inveſtigandam, & enucleandam tradidimus. Cumque iterato prohibitionem edicti noſtri laudaverint, atque probaverint, denuo modo nos praedictum improbamus contractum, & memoratum edictum noſtrum hic innovamus, ſerio, & graviter praecipientes, ne in contractu ſocietatis coloniae pactum ullum interveniat de exſolvenda ſive quotannis, ſive pro una tantum

tum vice quacumque pecuniae, aut certae, & determinatae alterius rei pretio aeſtimabilis, & pecuniae aequivalentis quota ad quam exolvendam adſtringatur colonus praeter juſtam congruam, & aequam fructuum portionem terrae feracitati reſpondentem. Inobedientes poenis arbitrariis in edicto comminatis puniemus, in eccleſiaſticos majori etiam ſeveritate animadverſuri.

XII. Et ne quiſpiam cujuslibet alterius hominum coetus ſive mente revolvere, ſive ore proferre rationabiliter poſſit hujuſmodi contractus improbitatem a Nobis aſſertam nullo ſaltem fulciri praeſidio aliarum ſynodalium conſtitutionum, quas ediderunt ceteri aetatis noſtrae doctiores, & vigilantiores Epiſcopi, Nos hic conſtanter aſſerimus, quod excepto vulgari illo nomine *entratura*, in provincia iſta, quam incolimus, uſu tantum pervulgato) naturam contractus tali nomenclatura apud nos deſignati Epiſcopos univerſos in eorum Synodis tum antiquis, tum recentibus vitio, & culpa infectam agnoviſſe, cum uno omnium voto injuſtae declaretur ubique ſocietas aequalitatem non ſervans. Praeterea in Synodo hodierni clariſſimi Tifernitani Epiſcopi *Actione prima cap. XII. num. IX.* diſſertis verbis vetitam a nobis colonicam ſocietatem ob certam exſolvendam quotam a minori ſocio inexcuſabilem a peccato eſſe docetur = ibi = *Neque a peccati labe alienus contractus eſt ille cenſendus, in quo excolendus traditur fundus agricolae, fructibus, juxta proportionem, inter agricolam, & fundi dominum dividendis, onere inſuper adjecto, ut colono, etiamſi caſu aliquo fructus perierit ipſi domino aliquid perſolvatur* =.

XIII. De reliquis quinque contractibus in praefato generali edicto noſtro prohibitis nihil ſpeciatim addendum nunc occurrit: illos iterum inhibemus tamquam aut manifeſte foeneratitios, aut evidenter injuſtos. Quoties autem de aliorum contractuum aequitate prudens dubitatio oriatur, Parochi, & Vicarii noſtri Foranei ne graventur Nos quamprimum conſulere, ut audito etiam per Nos peritorum, probiorumque virorum ſenſu, quid de eis (a) ad juſtitiae libram

(a) Vide Natalem ab Alexandro lib. 3. de peccatis art. 2., Lambertin. de Syn. cap. 49., 50., & 51. In Theologia morali Antoine tractatu de Contractibus cap. 3. Patrem Danielem Concina in Commentario Encyclicae Bened. XIV., & in Theologia Chriſtiana Dogmatico, morali de uſuris. Concil. Burdegalenſe an. 1583. cap. 31. Conc. Mediol. 1. tit. de uſuris. Toſi in Syn. par. 3. cap. 11. Lanucci in Syn. tit. 1. cap. 9.

libram ſit cenſendum in domino pandamus. Interea, ut facilius tum laici, tum clerici ditionis noſtrae dignoſcere valeant contractuum injuſtitiam, plura ad hoc quam maxime conducentia in appendice dabimus *num.* 62.

§. X.

De obligatione adimplendi pia legata.

Viri foederis tui illuſerunt tibi: invaluerunt adverſum te viri pacis tuae: qui comedunt tecum ponent inſidias ſubter te. Abdiae verſ. 7.

I. SAncti Johannis Chryſoſtomi cum ubique triumphet eloquentia, tum maxime in avari crudelitate deſcribenda Homilia xxix. in Matthaeum = *Fingite*, inquit, *videre tetrum hominem quemdam, qui ab oculis ignem emittat, cui ex utroque humero dracones pro manibus dependeant, cujus os cavernae inſtar magnitudine ſit, in quo pro dentibus acuti enſes ſtent, ex lingua venenoſus fons ſcaturiat, venter omni fornace ſit voracior, cuncta, quae immittuntur, ſubito conſumens, pedes alati quavis etiam flamma vehementiores; facies canis, & lupi ſimul, nec hominis vocem emittat, ſed inſuave quiddam, ac terribile mugiat, faces praeterea in manibus teneat; imaginemur illum obvios quoſque jugulare, carnes eorum laterare, ac devorare: multo truculentior eſt avarus in omnes, ut mors inſiliens, omnes ut infernus deglutiens, communis generis humani hoſtis, quippe qui vellet, nullum hominem eſſe, ut omnia poſſideret: neque hic ſiſtit gradum, ſed cum omnes prodiderit cupiditate ſua, etiam terrae ſubſtantiam cupit abolere, ac ipſam in aurum converſam vellet aſpicere. Verum ut videatis, nondum nos inſaniam illorum oratione aſſecutos, fingamus a nemine ipſum accuſari, nullum ipſi terrorem imminere, non a judiciis, non a conſuetudine hominum, non a legibus, & tunc videbis, ipſum arrepto enſe omnes interimere, nulli parcere, non amico, non cognato, non fratri, non ipſis parentibus. Interrogate avarum, ſi non haec ſecum quotidie verſat, ſi non omnes cogitatione invadat*

dat amicos , cognatos , parentes . Ac ne interrogare quidem ipſum opus eſt . Scitis enim , quod qui hoc morbo premuntur , & vitam parentum ſuorum graviter ferunt , & dulce illud , ac natura ſuaviſſimum liberorum donum , grave , ac moleſtum eſſe cenſent . Unde factum eſt , ut multi ſterilitatem uxorum herbis procuraverint , & naturam orbam effecerint , qui etſi filios natos non interfecerint , at tamen ne omnino naſcerentur , effecerunt =. His de avarorum ſaevitia ab eloquentiſſimo Doctore praeclare dictis, aliud etiam crudelitatis facinus addendum ſupereſt , quod ſcilicet qui divitiarum amore capti ſunt , nec ſibi conjunctiſſimis , poſtquam ex hac vita diſceſſerint , ignoſcere ſolent . Etenim ultimas eorum voluntates exequi nolunt , & pia legata , quibus aeternae ſalutis negotio conſuluerunt , minime adimplent . Sed cum fidei noſtrae a ſacris Canonibus ſit injuncta cura , ut piae omnium morientium mentes , & voluntates executioni demandentur , etiamſi diſponentes Epiſcopo manus apponere expreſſe vetaverint (quod provide ſtatutum fuit in capite *Tuae nobis* de Teſtamentis , atque in Tridentino ſeſſione XXII. cap. VIII.) Nos adverſus ſocordes , negligentes , & vitio avari animi infectos ſequentes indicimus conſtitutiones .

II. Volumus , & diſtricte praecipimus , ut Notarii quicumque intra duos menſes poſt defuncti obitum omnia teſtamenta , & legata ad pias cauſas quomodolibet relicta in Cancellaria noſtra denunciare teneantur ; qui non paruerint , caſum contraventionis Nobis reſervatum conſtituimus , & mulctam ſcutorum decem , aliaſque poenas arbitrarias uſque ad cenſuras extendendas creſcente contumacia , imponimus . Qui vero de piis diſpoſitionibus Curiae noſtrae occultis notitiam habeant , teneantur ipſam deferre intra menſem ſub iiſdem poenis .

III. Teſtamenta ad pias cauſas coram Parocho , & duobus , vel tribus teſtibus juxta juris diſpoſitionem rata exiſtere , & firma remanere debeant ; ita namque praeſcribitur in capite *Cum eſſes* X. de teſtamentis , *& in Concilio Romano anni* MDCCXXV. *titulo* XX. *cap.* I. In teſtamentis , donationibus , & legatis piis , quae ab aegrotantibus ad Parochorum , aut confeſſariorum aures fieri quandoque ſolent , ut fraudes , liteſque vitentur , teſtes etiam in eodem numero adhibeantur , ut rata ſint , & ita pia diſpoſitio ſuum ſemper ſortiatur

tur effectum, quemadmodum loco mox citato idem ſtatuit Romanum Concilium. Parochi autem, vel confeſſarii intra terminum octo dierum exhibeant pium teſtamentum, vel atteſtationem ab ipſis ſubſcriptam cum duobus teſtibus in noſtra Cancellaria, ne pereat, vel protrahatur pia diſpoſitio, ſub poena mulctae ſcutorum decem arbitrio noſtro piis uſibus applicanda: Formulam ſcribendi hujuſmodi teſtamenta confeſſariis, aut Parochis minus in hac re peritis exhibemus in appendice num. XXXIX.

IV. Si quis ſcripto, vel voce tantum piam aliquam diſpoſitionem fecerit, non interveniente Notario, vel Parocho, adhuc eam, prout jura concedunt, ratam, & validam pronunciamus: profecto ſic diſpoſitum invenitur in capite *Indicante* de teſtamentis.

V. Qui propriae ſalutis immemores vivis ſubſidia, & defunctis ſuffragia ipſis debita fraudant, negligunt, vel protrahunt, veluti perditae conſcientiae homines gravibus arbitrio noſtro poenis ſubjicientur, ſi ſtatuto tempore piis oneribus non ſatisfecerint.

VI. Si certum temporis ſpatium a teſtatoribus non fuerit praeſcriptum pro ſolutione, vel implemento cujuſcumque piae diſpoſitionis, quam citius compleatur; & niſi infra annum ſaltem a die obitus teſtatoris ejus voluntas executioni mandata ſit, illi, qui eam adimplere debebant, ſciant peccatum ſe commiſiſſe Nobis reſervatum.

VII. In ſubſidiis dotalibus pauperibus, honeſtiſque puellis promiſſis a ſocietatibus, aliiſque locis piis ſervetur in ſolutione ordo prioritatis, non quidem a promiſſione, ſed a profeſſione religioſa, vel a contracto matrimonio cum fide Parochi; & ſecus facientes de proprio ſolviſſe cenſeantur.

VIII. Piae diſpoſitiones, quae facti, vel juris impedimento adimpleri non poſſunt juxta praeſcriptam teſtatorum voluntatem, caducae non fiant, nec haeredibus accreſcant. Itaque caſu hoc occurrente ipſi haeredes, vel executores Nos ipſos conveniant, & in eorum defectum Vicarii Foranei, vel Parochi invigilent, & notitiam Nobis deferant, ut in alium pium uſum, qui menti diſponentium proximior ſit, vel pro loci, & temporis conditione utilior, juxta noſtrum arbitrium piae diſpoſitionis commutatio fiat,

quemadmodum Jure Canonico Curiae Epiſcopali committitur (a).

IX. Cum per haereditatis additionem quaſi contractus fiat, & per acceptationem legati, vel donationis onera impoſita agnoſcantur, quae aliquando plurimum damnoſa, & praejudicialia eccleſiis, & locis piis deteguntur, interdicimus & prohibemus rectoribus, & adminiſtratoribus quibuſcumque, ne donationes, haereditates, legata acceptent, quae oneribus piis ſint gravata, Nobis inconſultis, ſub poena nullitatis actus; atque damnum quodcumque etiam ante noſtram declarationem ipſi habeant (b).

X. Inſuper mandamus, ut quoties Notariorum copia ſuppetat, abſtineant Parochi ab his conficiendis teſtamentis, ſeu codicillis, niſi forte aegrotus in Parocho prae ceteris etiam Notariis confidat. Quando autem Parochis opus fuerit teſtamentarias tabulas conſcribere, ut quaelibet in ſuo miniſterio evitetur infidelitatis, vel cupiditatis ſuſpicio, caveant ne exequutoris teſtamentarii, ſeu haereditatis curatoris munus ſibi imponendum permittant, neve quidquam in ſui, vel propriae eccleſiae utilitatem a teſtatore relinqui quoquo modo procurent (c).

XI. Aegroto etiam ſuadere ne omittant, ut quas poſſidet facultates, poſtquam ſuae proſpexerit animae, propris potius conſanguineis, maxime egenis, vel mendicis, quam extraneis relinquat, idque Deo acceptius, ſibique utilius fore eumdem admoneant (d).

§. XI.

(a) Cap. *Tua nobis*, de Teſtamentis: Clem. *Quia contigit* de Relig. Dom. Trident. cap. 6. ſeſſ. 22., & cap. 8. ſeſſ. 25. Criſpin. de Viſit. Paſtor. par. 2. §. 14. n. 1., & 2. Synod. Fulginaten. 1722. cap. 24. n. 12. S. C. C. in Sorana 25. Junii 1722.

(b) Bulla Innocentii XII. *Nuper* de celeb. Miſſar. §. *Ad haec* cap. 7. de celeb. Miſſarum.

(c) Conc. Mediolan. 5. par. 5. tit. *Quae diſciplinae ratio* Paroch., & Sacerd. Curat. public. tenen. §. *A Teſtamenti*.

(d) Lanucci in Syn. tit. 3. cap. 6. n. 1., & ſeq. Toſi in Syn. par. 4. cap. 6. num. 12., & 13.

§. XI.

De obligatione non differendi reſtitutionem rei ablatae, aut quocumque modo debitae.

Redde quod debes. Matthaei XVIII. v. XXVIII.

1. S Anctus Thomas 2. 2. quaeſt. LXII. art. VIII. = *Sicut*, inquit, *accipere rem alienam eſt peccatum contra juſtitiam, ita detinere eam; quia per hoc, quod aliquis detinet rem alienam invito Domino, impedit eum ab uſu rei ſuae, & ei facit injuriam. Manifeſtum eſt autem, quod nec per modicum tempus licet in peccato morari, ſed quilibet tenetur peccatum ſtatim deſerere*, ſecundum illud Eccleſiaſtici XXI. „ *Quaſi a facie colubri fuge peccatum* „ *& ideo quilibet tenetur ſtatim reſtituere, ſi poteſt, vel petere dilationem ab eo, qui poteſt uſum rei concedere* =. Et in reſponſione ad primam objectionem ait, quod = *Praeceptum de reſtitutione facienda, quamvis ſecundum formam ſit affirmativum, ſeu affirmative exprimatur, implicat tamen, & involvit in ſe negativum praeceptum, quo prohibemur rem alterius detinere. Praeceptum autem negativum obligat ſemper, nulloque tempore ejus praetermitti obſervantia poteſt, nullamque moram pariter ejus executio*. = Addit in reſponſionem ad ſecundam objectionem = *Quando aliquis non poteſt ſtatim reſtituere, ipſa impotentia abſolvit eum ab inſtanti reſtitutione facienda, ſicut etiam totaliter a reſtitutione abſolvitur, ſi omnino ſit impotens; debet tamen remiſſionem, vel dilationem petere ab eo, cui debet, aut per ſe, aut per alium*. = Haec ſane recte rationi, & legi Dei evidenter conſona Angelici Doctoris ſententia, quam nemo veri nominis Theologorum impugnare auſus fuit, clero, & populo noſtro amplectenda a nobis proponitur, ne unquam in noſtra dioeceſi inveniantur aut debitores putantes, vel nullum, vel leve delictum eſſe reſtitutionis dilationem extra impotentiae, & obtentae a creditore permiſſionis caſum, aut confeſſarii non denegantes abſolutionem iis, qui nulla legitima excuſante cauſa, reſtitutionem, quam fatentur ſe adimplere velle, ſtatim non facinnt.

II. Hinc ut sufficienter hac in re procul dubio gravissima tum debitores, tum confessarios edoceamus, in primis morosis debitoribus annunciamus, ipsos esse in statu damnationis, & peccata in dies multiplicare, eo quod praetermittant id, quod debent exsolvere, & quo tardius fieri possit, huic oneri satisfacere contendunt: = *Retentio rei alienae* (verbis utimur praelaudati S. Thomae) *invito Domino contrariatur praecepto negativo, quod obligat semper, & ad semper: ideo tenetur semper ad statim reddendum* (a).

III. Denique confessariis serio inhibemus, ne debitoris cujuscumque culpabiliter morosi sinceram judicent poenitentiam nam = *Si res aliena*, inquit S. Augustinus (b), *reddi potest, & non redditur, poenitentia non agitur, sed simulatur* =. Propterea istis poenitentiae simulatoribus absque sacrilegii facinore absolutio dari nequit. Quoties igitur moraliter possibilis restitutio est, priusquam tales debitores absolvantur, peragenda est. Administer sacramenti poenitentiae volumus, ut ita se gerat cum debitore voluntarie procrastinante, quemadmodum cum concubinario, quem non absolvet, nisi prius concubinam dimiserit: hos igitur pariter Deo reconciliare non praesumat, nisi antecedenter creditoribus restituerint. Neque de partiali restitutione jam facta debet esse contentus in suppositione, quod poenitens ad complementum restitutionis re vera non sit impotens, cum teneatur ad reddendum omne id, quod debet; & insuper solutiones dimidiatae grave plerumque creditoribus damnum inferant. Praesertim ab ista, quam indicamus atque praescribimus justae, & necessariae severitatis regula nullus confessariorum declinet intuitu incommodi, quod magnificare in usu habent tardi debitores, siquidem tenentur debitum solvere etiam cum incommodo. Creditores sunt innocentes, rei sunt debitores. Quare ad sustinendum incommodum potius rei debitores, quam innocentes creditores erunt adstringendi.

IV. At quamquam velimus ut de quibuscumque non vera impotentia excusandis debitoribus ea quae tradidimus, & injunximus, intelligantur, speciatim nihilominus pro iis loquutos nos fuisse declaramus, qui debitam operariis mercedem non persolvunt, aut eam dare

(a) S. Thom. in Supplem. 3. part. quaest. 6. art. 5.

(b) S. August. epist. 44.

dare in longum tempus differunt. Profecto crimen eſt iſtud, quod Deus in ſcripturis ſaepe deteſtatur, hominesque ab illo, ut ab immani ſcelere, & in caelum clamante avertit: = *Non morabitur* ait, *opus mercenarii tui apud te uſque mane* = (a) *Non negabis* (b) *mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſive advenae, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt: ſed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam: ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum* = Et rurſus (c) *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis, quae adveniet vobis*: = Cujus poenitentiae cauſam ſub ungit; = *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras quae fraudata eſt a vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Epulati eſtis ſuper terram, & in deliciis enutritis corda veſtra*. = Hinc S. Ambroſius (d) = *Redde*, inquit, *mercenario mercedem ſuam, nec eum laboris ſui mercede defraudes, quia & tu mercenarius Chriſti es, & te conduxit ad vineam ſuam, & tibi merces repoſita eſt in caelis. Non ergo laedas ſervum operantem in veritate, neque mercenarium dantem animam ſuam: non deſpicias inopem, qui vitam ſuam exercet labore manuum ſuarum. Hoc eſt enim interficere hominem vitae ſuae, ei debita ſubſidia denegare: & tu mercenarius es in hac terra. Da mercedem mercenario, ut tu poſſis dicere Domino cum peccaverit, da mercedem, Domine, ſubſtinentibus te*: uti ſcriptum eſt, Eccleſiaſtici cap. XXXVI. v. VIII. = (e).

CA-

(a) Levitici cap. 19.
(b) Deuteronom. c. 24.
(c) Jacobi cap. 5.
(d) Lib. de Tobia cap. ult.
(e) Vide auctorem theologiae chriſtianae de reſtitutione & Natalem ab Alexandro lib. 4. de decalogo cap. 9. art. 2. atque S. Antoninum par. 2. tit. 2. cap. 8.

CAPUT VII.

Praecipitur Fortitudo.

§. I.

De ſpiritu lenitatis, & patientiae in tribulationibus conſervando.

Melior eſt patiens viro forti; & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium: Proverbiorum XVI. ver. XXXII.

I. *Minor certe victoria eſt*, inquit S. Gregorius Papa, *urbes expugnare; quia extra ſunt, quae vincuntur. Magis autem eſt quod per patientiam vincitur, quia ipſe a ſe animus ſuperatur, & ſemetipſum ipſemet ſibi ſubjicit, quando cum patientia in humilitate tollerantiae ſternit.* (a) = Patientia virtus eſt affinis fortitudini, = *qua mala aequo animo toleramus, ne animo iniquo bona deſeramus, per quae ad meliora perveniamus* (b); ait S. Auguſtinus. Hujus virtutis defectu innumeri ex chariſſimis filiis noſtris tam in civitate quam in dioeceſi univerſa ira facillime, & facipiſſime abripiuntur, eamque non ſine chriſtianae profeſſionis dedecore, ac proximi ſcandalo manifeſtare ſolent conviciis, contumeliis, imprecationibus, rixis, minis, clamoribus, ceteriſque ſuperbiae, ac indignationis indiciis, quibus in quemcumque ſibi adverſantem aut contradicentem debacchantur.

II. Volumus proinde, caveant confeſſarii, ne abſolvant quos in hujuſmodi furentis impatientiae vitio habitu illaqueatos deprehenderint, niſi prius de eorum emendatione operis, & facti experimento moralem certitudinem habeant.

III. Injungimus pariter Verbi Dei diſpenſatoribus, ut frequenter auditoribus ſuis exponant monitum Apoſtoli (c) = *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*: = *Hanc enim Chriſti legem*, inquit, S. Auguſtinus (d) *dicere intelligitur, quia ipſe Dominus praecepit, ut nos invicem diligamus, tantum in ea praecepti pondus conſtituens, ut diceret, in hoc cognoſcetur, quoniam di-*

(a) S. Gregor. homil. 35. in Evang.
(b) S. Auguſt. lib. de patientia, cap. 2.
(c) Ad Galat. 6.
(d) S. Auguſt. lib. de diverſ. quaeſtionib. octoginta tribus, quaeſt. 71.

diſcipuli mei eſtis, ſi vos invicem diligatis (Johann's XIII.) *Hujus autem dilectionis officium eſt invicem onera noſtra portare. Sed hoc officium, quod ſempiternum non eſt, perducet ſane ad beatitudinem aeternam, in qua nulla erunt noſtra onera, quae invicem portare jubeamur. Nunc vero, cum in hac vita, id eſt in hac via ſumus, onera invicem noſtra portemus, ut ad eam vitam, quae caret omni onere, pervenire poſſimus: id autem fit ſecundum diverſa tempora, & diverſa genera infirmitatum. Verbi gratia iram fratris tui nunc portas, cum adverſus eum non iraſceris, ut rurſus eo tempore, quo te ira praeoccupaverit, ille te lenitate, & tranquillitate ſua ſupportet. Loquacitatem tuam ille portat, tu illius pertinaciam caritate portare debes, donec illud in te, & iſtud in illo vitium ſanetur. Neque ulla res officioſum iſtum laborem ad portanda onera aliorum facit libenter impendi, niſi cum cogitamus, quanta pro nobis pertulerit Dominus. Huic cogitationi etiam accedit illa cogitatio, quia ille ſuſcepit hominem, nos autem homines ſumus: & conſiderare debemus, quod aegritudinem ſive corporis, ſive animi, quam in alio homine videmus, etiam nos habere potuimus, aut poſſumus. Hoc ergo exhibeamus illi, cujus infirmitatem portare volumus, quod ab illo nobis vellemus exhiberi, ſi forte nos in ea eſſemus, & ipſe non eſſet.*

Ad hoc pertinet, quod Apoſtolus ait (ad Corinth. 9.) *Omnibus omnia factus ſum, at omnes lucrifaciam*„ *cogitando ſcilicet in eo vitio etiam ſe eſſe potuiſſe, unde cupiebat alium liberare. Deinde etiam illud cogitandum, nullum eſſe hominem, qui non poſſit habere aliquod bonum, quod tu nondum habes, etiamſi lateat, in quo poſſit te eſſe ſuperior. Quae cogitatio ad contundendam, edomandamque ſuperbiam valet. ne arbitreris, quoniam tua quaedam bona eminent, & apparent, ideo alterum nulla habere, quae lateant, & fortaſſe majoris ponderis bona quibus te ſuperat neſcientem. Unde Apoſtolus ait*„ *ſi qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem caritatem habentes unanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes, non quae ſua ſunt ſinguli conſiderantes,*

ſed

ſed ea, quae aliorum. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, ſe eſſe aequalem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens = Ad Philippenſes III.

Iſtae cogitationes deprimentes ſuperbiam, & acuentes caritatem faciunt onera fraterna invicem non ſolum aequo animo, ſed etiam libentiſſime ſuſtinere. Iſta eſt ergo lex Chriſti, ut invicem onera noſtra portemus. Chriſtum autem diligendo, facile ſuſtinemus infirmitatem alterius etiam, quem nondum propter bona ſua diligimus. Cogitamus enim, quia ille, quem diligimus, Dominus propter eum mortuus eſt. Quam caritatem Apoſtolus Paulus nobis ingeſſit, cum diceret „ & peribit infirmus in tua ſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.„ (1. Corinth. VIII.) Ut, ſi illum infirmum propter vitium, quo infirmus eſt, minus diligimus illum in eo conſideremus, qui mortuus eſt propter illum. Chriſtus autem non diligere non infirmitas, ſed mors eſt. Quapropter ingenti cura, & implorata Dei miſericordia cogitandum eſt, ne Chriſtum negligamus propter infirmum, cum infirmum debeamus diligere propter Chriſtum. = Haec S. Auguſtinus: & haec eadem, dictiſque ſimilia mandamus animarum rectoribus, ut plebanis ſuis aſſidue proponant, explicent, & inſinuent.

IV. Demum hortamur omnes paſtorali noſtrae curae ſubjectos, ne dum vitae hujus calamitatibus exagitati inveniuntur, ſe chriſtianos eſſe obliviſcantur. Etenim ſi chriſtianae profeſſionis in adverſis, quae patimur, recordabimur, mala quaecumque ſumma animi demiſſione, & invicta conſtantia perferemus, & tum internos irae impetus, tum externas ejus ſignificationes feliciter cohibebimus, & reprimemus. Porro aeterna non erit patientia, quae neceſſaria non eſt niſi ubi toleranda ſunt aeterna mala, ſed aeternum erit id, quo per patientiam pervenitur. Aliarum praeterea quaſi radix, cuſtoſque virtutum patientia eſt: Ideo Chriſtus ait: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*, = ut Gregorius obſervat (a) Cum vero in rabiem agi aliquis ſe ſentiat, ab eo manſuetudinem, & tollerantiam, & aequanimitatem expoſcat, a quo patientia noſtra procedit: unde David de Deo ait (b) *Ab ipſo patientia mea*. = Quod oraculum S. Auguſtinus ex-

(a) Homil. 35. in Evangel. (b) Pſalm. 61.

explicans = *Quis*, inquit, *tantas tolleret vel apertas, vel occultas insidias? Quis tanta tolleret inter apertos hostes, inter falsos fratres? Quis tanta tolleret? Numquid homo? Et si homo, numquid a seipso homo? Non sic transivi, ut extollar, & cadam: Deo subjicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea* = Hinc alibi (a) ita Deum precatur = *Eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui: quoniam tu es patientia mea* = = ideſt = *quia non est in me, ut patiens sim, sed in te, qui donas patientiam* = ut explicat idem S. Auguſtinus.

§. II.

De injuriis inimicis condonandis.

Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos. Matthaei. v. verſ. XLIV.

I. COnſideranda eſt auctoritas jubentis, conſideranda quoque exempla ad implendum praeceptum invitantia, praemium obedientibus promiſſum. Deus jubet, = *Ego autem dico vobis* = Qui nos creavit, qui nos redemit, qui nos ſanctificavit, cui omnia debemus, conditor noſter, Salvator noſter, dominus legislator, & magiſter noſter nobis praecepit, ut inimicos diligamus. Cum Jacob a domo Laban cum uxore ſua, totaque familia, & gregibus, boniſque omnibus clam receſſiſſet, Laban vehementer iratus fugientem perſecutus eſt: verumtamen Dei auctoritate, qui in ſomnis illi apparuerat deterritus nullum Jacob malum intulit: imo foedus cum ipſo iniit = *Stulte*, inquit, *operatus es: & nunc quidem valet manus mea tibi reddere malum: ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi „ cave, ne loquaris contra Jacob quidquam durius* (b). Si ergo tantum valuit apud ethnicum hominem auctoritas Dei, quem rite non cognoſcebat, ut omne ultionis deſiderium, omnemque odii motum in ejus corde extingueret, quanti ponderis eſſe debet apud chriſtianos auctoritas Dei, in quem uti par eſt credunt, quem adorant, cui ſerviunt, ad inimicorum dilectionem in eorum animis excitandam? Mortuo Jacob filii ejus

(a) Pſalm. 70. (b) Geneſ. 31.

veriti, ne Joſeph eorum frater memor eſſet injuriae, quam ipſi olim intulerant, patris auctoritate, ac mandato ipſum ſibi propitium reddere conati ſunt dicentes. = *Pater tuus praecepit nobis, antequam moreretur, ut haec tibi verba illius diceremus „ obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum & peccati, atque malitiae, quam exercuerunt in te „ nos quoque oramus, ut ſervis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc; quibus auditis flevit Joſeph.* (a) Si *Patris* nomen, atque mandatum Joſeph propitium fratribus effecit, quidni Dei auctoritas chriſtianos inimicis benevolos reddet? Maxime cum exemplo patris caeleſtis, & exemplo Chriſti ad hanc dilectionem invitemur, magnumque praemium propoſitum ſit tantum praeceptum implentibus, dignitas nempe filiorum Dei aeternaque haereditas filiis Dei promiſſa, & parata. *Nam = ſi filii, & haeredes: haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Chriſti* = (b) De magno illo dilectionis mandato S. Auguſtinus diſſerens (c) haec habet = *Grande praeceptum, ſed grande praemium: diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui vos oderunt, & orate pro perſequentibus vos. Audiſti opus, expecta mercedem: ut ſitis, inquit, filii patris veſtri, qui in caelis eſt. Numquid dictum eſt nubibus, pluite ſuper agros culturum meorum, & recedite ab agris blaſphematorum meorum: Numquid dictum eſt ſoli, videant, te qui me colunt, non te videant qui mihi maledicunt? Beneficia de caelo, beneficia de terra, ſcatent fontes, agri pinguescunt, arbores fructibus onerantur. Habent iſta boni, habent & mali, habent grati, habent ingrati. Qui praeſtat tanta bonis, & malis, putamus nihil ſervet bonis? Hoc dat bonis, & malis, quod dedit & lapidatoribus Stephani. Hoc vero ſervat bonis, quod dedit Stephano. Exemplum propoſitum eſt de Deo Patre, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Dixit hoc etiam Filius Dei poſt acceptionem carnis ſuae, quam ſuſcepit amando inimicos ſuos, Qui enim amator inimicorum ſuorum in mundum venit omnes prorſus inimicos ſuos invenit, neminem amicum invenit. Pro inimicis ſanguinem fudit, ſed ſanguine ſuo inimicos convertit. Inimicorum ſuorum peccata ſanguine ſuo delevit: delendo peccata ex inimicis amicos fecit. Oſtendit tamen primus ipſe Do-*

(a) Geneſ. 11. cap. ult.
(b) Ad Roman. cap. 8.
(c) S. Auguſtin. ſerm. 317. alias, 92. de diverſis.

Dominus in cruce quod monuit. Undique enim Judaeis frementibus, irascentibus, irridentibus, insultantibus, crucifigentibus ait Patri, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Caecitas enim me crucifigit, caecitas crucifigebat, & crucifixus eis de sanguine suo collyrium faciebat. Sed homines pigri ad praeceptum, avidi ad praemium, qui non diligunt inimicos suos, sed de illis se vindicare affectant, nec attendunt Dominum, qui si vellet se vindicare de inimicis suis, non remaneret qui laudaret eum, quando audiunt locum istum Evangelii, quo Dominus in cruce dixit „ Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt „ dicunt sibi, ipse hoc potuit tamquam Filius Dei, tamquam unicus Patris. Caro enim pendebat, sed Deus intus latebat. Nos autem quid sumus, qui ista faciamus? Si multum ad te putas imitari Dominum tuum, attende Stephanum conservum tuum: sic natus est, ut tu; inde natus est, unde & tu, ab eo renatus est, a quo & tu, tanti valet, quanti vales. Unum instrumentum nobis factum est: Evangelium instrumentum est: quia filii sumus, testamentum est; ipsum attende, conservum attende: Nemo dicat „ multum est ad me „ homo erat, homo est: sed non accepit a se: numquid accepit, & clausit tibi? Fons communis est: bibe unde bibit: beneficio Dei accepit: abundat qui dedit; & tu pete, & accipe. =

II. Quoniam vero, etsi allata momenta suavem, & facilem reddere memorati praecepti executionem deberent, ejus nihilominus violatio fere vitium generale est, & quam frequenter nedum civica, sed etiam domestica pax, & concordia in dissentiones, & odia mutatur, animarum rectoribus districte injungimus, ut diligenter invigilent, ne inter plebanos suos christiana fraternitas mutuis aversionibus disrumparur, & si jam scissa fuerit, quam citissime uniatur.

III. Et quo felicius id impleatur, volumus unum quemque parochorum duos, vel tres, vel quatuor ex probrioribus, prudentioribus, & gravioribus propriae paroeciae alumnis deligant, quibus *mediatorum christianae unitatis* imposito nomine committant exoras in familiis turbulentias inquirere, deque his certiores eos facere, ut sive per se ipsos, sive illorum etiam ministerio reconciliationem exasperatorum cordium promoveant, & insurgentes compescant indignationis, & amaritudinis cujuscumque tempestates.

IV. Quod ſi nonnulli erunt in vindictae propoſito obſtinati, ſciant nullatenus hos eſſe ad ſacramenta admittendos, & tamdiu a ſacramentali abſolutione, & altaris communione arcendos, quamdiu contradictoribus ſuis veniam non dederint; & neque mortis articulum eſſe in hac re excipiendum.

V. Et quia nobis compertum eſt, pertinaciam eorum, qui denegant relaxare, & condonare proximis offenſoribus acceptas injurias, ex eo potiſſimum, & ut plurimum procedere, quod illati damni, aut irrogatae contumeliae reparationem, & compenſationem juridicae actionis uſu nituntur obtinere, & hoc probe ſciunt cuique licere, idcirco ne vera falſis immiſceantur, quae omnia in hoc negotio diſtinguenda, & declaranda ſunt ſatagimus explanare.

Et in primis certum eſt, poſſe quemlibet jus ſuum apud legitimum judicem perſequi, nec ordo juſtitiae caritati repugnat; ſed vindictam, quatenus proximi malum eſt, optare, vel de illa delectari non eſt in dubium revocandum, quod adverſetur caritati, quam ad inimicos ipſos extendere debemus: *Vindicatio*, inquit S. Thomas (a) *fit per aliquod poenale malum inflictum peccanti. Eſt ergo in vindicatione conſiderandus vindicantis animus. Si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod caritati repugnat, qua omnes homines debemus diligere: nec aliquis excuſatur, ſi malum intendat illius, qui ſibi injuſte intulit malum, ſicut non excuſatur aliquis, qui odit ſe odientem. Non enim debet homo in alium peccare propter hoc, quod ille prius peccat in ipſum. Hoc enim eſt vinci a malo, quod Apoſtolus prohibet* ad Romanos XII. dicens „ *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum* „ *ſi vero intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per poenam peccantis, puta ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad juſtitiae conſervationem, & ad Dei honorem, poteſt eſſe vindicatio licita, aliis debitis circumſtantiis ſervatis.*

Secundo pro certo habendum eſt, quod neque poſitivo dumtaxat, ſed naturali quoque jure prohibitum eſt, ne quis privata auctori-

(a) S. Thom. 2. 2. quaeſt. 108. art. 1.

ſcoritate injurias ſuas ulciſcatur, quoniam qui hoc facit uſurpat Dei auctoritatem dicentis (a) = *Mihi vindictam, & ego retribuam.* = Per me ſcilicet aut per miniſtros (b) = *qui non ſine cauſa gladium portant, vindices in iram eis, qui male agunt.*

Tertio prae oculis habendum eſt, quod licet is, qui ex animo parcit inimico, poſſit ab eo reſtitutionem honoris, famae, aut bonorum externorum exigere, cavendum tamen eſt, ne cum nimio ſuo damno urgeatur, vel talis reſtitutio apud judicem poſtuletur, cum inimicus veniam poſtulat, & congruam bonorum, ac prudentum virorum arbitrio ſatisfactionem offert: quia difficile eſt in illis circumſtantiis, ut actio injuriarum in foro inſtituatur abſque appetitu vindictae. Quando vero agitur de poena capitis, aut mutilatione membri, vel alia ſimili irroganda, ex qua nihil emolumenti provenit perſonae laeſae, non eſt exigenda, niſi intuitu divini honoris, & publicae quietis, zeloque juſtitiae: & illam condonare expedit plerumque inimico veniam petenti, quia difficile eſt, ut exigatur abique ultionis libidine. Si tamen tale ſit negotium, ut familia ejus, qui laeſus eſt, maneret infamis, niſi is, qui laeſit, ſecundum legem puniretur, poenam hujuſmodi exigere licet.

Denique certiſſimum eſt, quod privatarum injuriarum ultionem vel ſecundum juris ordinem perſequi periculoſum eſt, eaſque tolerare magis expedit chriſtiano, ne patientiae, & ferventioris caritatis merito fraudetur. Nam *dilectio* (c) ait Tertullianus *ſummum fidei ſacramentum, chriſtiani nominis theſaurus, quam Apoſtolus, totis viribus Spiritus ſancti commendat, cujus niſi patientiae diſciplinis eruditur? Dilectio, inquit, magnanimis eſt, ita patientiam ſumit. Benefica eſt: malum patientia non facit; non aemulatur: id quidem patientiae proprium eſt. Nec protervum ſapit: modeſtiam de patientia traxit. Non inflatur, non proterit: hoc enim ad patientiam pertinet. Nec ſua requirit, ſi offert ſua, dum alteri proſit. Nec irritatur: ceterum, quid impatientiae reliquiſſet: Ideo, inquit, dilectio omnia ſuſtinet, omnia tolerat, utique, quia patiens. Merito ergo numquam excidet: nam cetera evacuabuntur, conſumabuntur, exauriuntur linguae, ſcientiae, prophe-*

(a) Deuteron. c. 23.
(b) Ad Roman. cap. 12. & 13.
(c) Tertullian. lib. de Patientia.

phetiae : permanet fides , ſpes , dilectio . Fides quam Chriſti patientia induxit : ſpes , quam hominis patientia expectat : dilectio , quam Deo magiſtro patientia comitatur . Caritas igitur chriſtiana patientiam , non vindictam expoſcit , patientiam ſuadet , patientiam ſuggerit , & cum chriſtiani ſimus aggregati inter nos perfectionis vinculo , quod caritas eſt , juxta Pauli monitum , eo contendere debemus , ut ſupportemus invicem in caritate .

VI. Hinc graviter improbamus eos , qui ſive inflicti vulneris , ſive ablatae ſubſtantiae , ſive excogitatae infamiae injuria laceſſiſti nedum querelas juridice incuſant , nedum convenientem ſatisfactionem exigunt , nedum in quibuſcumque illatis damnis compenſationem exquirunt , ſed neque poſtquam haec omnia cumulate adimpleta fuiſſe conſpiciunt , conſenſionem in rei abſolutionem praeſtare volunt , etiamſi multoties de hoc illis preces porrigant modo confeſſarii , modo Parochi ; modo Verbi Dei Praedicatores , modo illuſtriores patriae incolae , & cives . Hos interea obſecramus , ut induentes viſcera miſericordiae debita libenter dimittant debitores ſuis , ne retineat illis Deus debita propria , dicente Chriſto Domino (a) = *Dimitte , & dimittemini = Dimittite , ſi quid habetis adverſus aliquem , ut & Pater veſter , qui in caelis eſt , dimittat vobis peccata veſtra* (b) .

VII. Cum autem in dioeceſi noſtra peſſimum quoddam ultionis genus invaluiſſe dignoverimus , quo proximo offenſori , & quandoque etiam gratis odio habito , & male viſo graviſſimum infamiae malum inferre quamplurimi niti ſolent , non enſe , ſed calamo ; ut hujus ſceleris propagationem ulteriorem pro viribus noſtris impediremus , immane delictum hoc nobis reſervandum duximus , quemadmodum in ſecunda reſervatorum tabula patebit in caſu IV.

CA-

(a) Marci cap. 11. ver. 25. de Decalogo art. 11. reg. 9. & 19.
(b) Apud Natalem ab Alexandro lib. 4.

CAPUT VIII.

Praecipitur Temperantia.

§. I.

De execratione Baccanaliorum.

Semper mortificationem Jesu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jesu manifeſtetur in corporibus noſtris II. ad Corinthios IV. verſ. X.

I. Immortalis memoriae Benedictus XIV. Pont. Max. Pontificatus ſui anno VIII. cunctis Archiepiſcopis, atque Epiſcopis Pontificii temporalis dominii encyclicas dedit litteras ſub die prima Januarii anni MDCCXLVIII., quibus hodiernis ſolius nominis chriſtianis omnem abſtulit dicendi anſam, licitam eſſe bacchanaliorum licentiam, eo quia ab eccleſia non prohibetur: = *Satis nobis erit*, inquit, praelaudatus ſummus parens, & eximius Doctor, *ſatis nobis erit exponere, ea, quamvis aegre, ab eccleſia tollerari, ut omnis aditus malis longe gravioribus intercludatur, quemadmodum poſt ſolitam doctamque argumentationem, concludit celebris piuſque Theologus Thomas Stapletonus in ſua orat.* VIII *contra Bacchanalia . . . Maximum vero diſcrimen intercedere inter ea, quae praecipiuntur, & ea quae permittuntur.* „ *Aliud eſt, quod docemus, aliud quod ſuſtinemus, aliud quod emendare praecipimur, & donec emendemus tollerare compellimur.* „ *Verba ſunt S Auguſt. lib.* XX. *contra Fauſtum, cap.* XXI *Unde conſtat, in rebus utcumque ab eccleſia tolleratis nullam amplificationi, nullum arbitrio eſſe locum.* = Non obſtante igitur tempore carnis privi permiſſione, ac tolerantia, ſive theatrorum, & comoediarum, ſive ſaltationum, & chorearum, ſive perſonato incedendi vultu, alienaſque induendi vel diverſi ſexus veſtes, quod ſane culpae, aut periculi vacuum minime eſt, adhuc tamen aeternae ſalutis cupidi abuſus perpendentes, ſcandala, atque improbandas illecebras, quae ejuſmodi oblectamenta, illis praecipue diebus, comitari ſolent, ab ipſis prorſus abſtineri debere cognoſcunt. Quare paſtoralis officii noſtri debitum implentes Archipresbyteros, & prae-

& praedicatores univerſos dioeceſis noſtrae adhortamur monito hoc ſalubertimo S. Caroli Borromaei ſtatuentis *in Synodo dioeceſana anni* MDLXXII. *act.* II. = *Spectacula ludos, ludricaſque res id generis, quae ab ethnicorum moribus originem duxerunt, diſciplinaeque chriſtianae adverſantur, concionator perpetuo deteſtabitur, execrabitur, demonſtrabit incommoda, publicaque aerumnas inde in populum chriſtianum dimanare; in quam ſententiam populum confirmabit argumentis, quae graviſſimi viri Tertullianus, Cyprianus martyr, Salvianus, & Chryſoſtomus afferunt, in eoque argumenti genere nullum aliud omittet, quo tanta corruptela radicitus extirpetur.* = Ea etiam inculcare non deſinant, quae idem Sanctiſſimus Mediolanenſis Praeſul habet in ſuo ad populum *Memoriali*, & in ſuis inſtructionibus erga theatra, aliaque carnis privii oblectamenta, quae noſtris profecto ſpectaculis & ludis apprime congruent. His enim manifeſtum fiet quantum detrimenti, & periculi aeternae animarum ſaluti imminere poſſit chriſtianis, qui ad ſpectacula theatralia incaute repenterque accedunt. Videſis larvatum ſub paſtoritio nomine auctorem, libri inſcripti = *De' vizj e de' difetti del moderno teatro*= in praefatione: qui fateri cogitur noſtrae etiam aetatis theatra, & comoedias improbandis defectibus abundare, & immerito plures ex theologis pro illis eſſe.

III. Quibuſcumque etiam ſpirituali noſtrae ditioni ſubjecti notum eſſe volumus judicium, quod de choreis unanimiter efformarunt ſane doctrinae magiſtri, & profeſſores. Quidquid ſit de celebratione illarum chorearum, quibus nulla deſit ex circumſtantiis praerequiſitis, ad hoc ut ſint innocentes animi recreationes; de choreis tamen eo fine, loco, tempore, & modo ut plurimum peractis, quo tempeſtate hac noſtra fieri ſolent, vehementia ad provocandam libidinem incitamenta, cunctorum bonorum abominatione digniſſima docti, & probi viri omnes eas dixerunt. S. Cyprianus (a) graviſſime quaeritur de Chriſtianorum miſeria, aut inſania, qui ejuſmodi daemonum inventa ſectentur, moreſque imitentur gentilium, &, quod gravius ducit, ſacrarum Scripturarum auctoritate ea defendere conentur, affirmantes David ante arcam ſaltaſſe, & in ſacris litteris, tympana, cytharas, cho-

(a) S. Cyprian. de ſpectacul. lib. 2. cap. 2.

choroſque legi, quaſi ad rem pertineat, ad turpia tuenda ea, quae ad Dei cultum facta ſunt, proferre. Eadem S. Auguſtinus (a) agit. Choreas pariter ſub ſpectaculorum nomine, quae ſuis praeſertim temporibus dabantur, in omnibus fere homiliis nunc *civitatis peſtem*, nunc *malorum omnium fontem*, nunc *peſtilentiae cathedram*, *incontinentiae gymnaſium*, *luxuriae officinam*, *Babilonicam fornacem* appellat S. Johannes Chryſoſtomus. S. Epiphanius (b) quoque in fine libri contra haereſes, inſuper ſexta Synodus cap. LI., & alia Concilia ſpectaculorum prohibitione choreas etiam inhibent Chriſtianis. De ſaltatricibus mulieribus ſermonem inſtituens S. Baſilius pro exponendo inſignem locum Iſaiae cap. III., ubi legitur = *Pro eo, quod elevatae ſunt filiae Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant, decalvabit Dominus* =, de aliquibus Chriſtianis feminis Judaeas imitantibus ipſe aſſerit ſe dedicaſſe inhoneſtis diſciplinis. S. Bernardinus Senenſis (c) execrabile exponit eſſe vacare choreis, *ubi viſu, auditu, geſtu, tactu mentes adſtantium illaqueantur, & contaminantur*. S. Antoninus (d) invehitur pluribus in choreas, & contra illas late objicit illud Pſalmi XI. *In circuitu impii ambulant*: & illud Pſam. XCXI. *Inflammabit in circuitu inimicos ejus*: Item verba illa Apocalypſis IX. *De fumo putei aſcenderunt locuſtae in terram*: & paulo poſt, *& ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in praelium. & ſuper capita earum tamquam coronae ſimiliter auratae*; & pluribus ex ſacra Scriptura ductis momentis demonſtrat, in choreis reperiri pompam, laſciviam, ſuperbiam, vanam gloriam, & ideo per eas homines facile effici poſſe inimicos Dei; omnino enim choreas vult eſſe ludum diaboli, quo miſeras animas capiat: atque adeo choreas condemnat, ut per eas contra omnia mandata Dei, & contra omnia ſacramenta fieri, calamo diffuſo probare conetur. Denique, aliis innumeris ſapientia, & pietate excellentiſſimis viris ſilentio praetermiſſis, praeterire nolumus, neque Alexandrum de Ales,

(a) De Catechiz. rudib. cap. 16. libro etiam 2. de Symol. cap. 2., & lib. 3. Confeſſion. cap. 2., atque de conſenſu Evae lib. 1. cap. 33.

(b) Libro contra haereſes, ſub finem.
(c) Serm. 10. de obſerv. ſabbathi.
(d) Par. 2. tit. 6. cap. 6.

qui (a) de choreis pertractans, apertiſſime de eis agit, tamquam de malo quodam ludo ad libidinem excitandam accommodato, neque Johannem Gerſonem, qui (b) contra luxuriam ait: *Choreas ob fragilitatem hominum difficile ſine diverſis peccatis haberi, & omnia peccata choreizare in choreis*; neque tandem Conradum Aingium, ſic ſcribentem (c) *Chorea mundana habet hanc definitionem, quod eſt circulus, cujus centrum eſt diabolus, & cujus circumferentia angeli ejus circumſtantes; & ideo raro, vel numquam ſine peccato fit. Talem choream ordinavit ſathan poſt adorationem vituli.*

IV. Ad eos inſuper, qui larvati incedunt, ſeu qui alterius ſexus veſte inſaniendi cauſa utuntur, accedimus, eoſque docemus, vitioſam eſſe, & nimis reprehenſibilem abuſivam hanc conſuetudinem. Audiant primi, quid de iis, qui larvati incedunt, Patres Eccleſiae ſenſerint: Tertullianus (d) = *Jam vero*, inquit, *ipſum opus perſonatum quaero, an Deo placeat, qui omnem ſimilitudinem vetat fieri, quanto magis imaginis ſuae? Non amat falſum author veritatis: adulterium eſt apud illum omne, quod fingitur ... Ceterum cum in lege praeſcribat, maledictum eſſe, qui mulieribus veſtietur, quid de pantomimo judicabit, qui etiam mulieribus curatur?* Ideſt voce, geſtu, inceſſu accuratiſſime effeminatur. Item S. Johannes Chryſoſtomus (e) ait: *Quis eſt ille theatralium hominum adeo magnus ſonitus? Quis tantus tumultus? Qui diabolici clamores? Qui veſtitus ſatanicus? Alius cum adoleſcens ſit, comam pene reductam habet, & naturam aſpectu, veſtitu, inceſſu, ceteriſque hujuſmodi effeminando ad teneriuſculae imaginem puellae deducere contendit. Alius e contra, cum ſit ſenex, macula pilos, & pudorem omnem abraſus, cinctus aſſiſtens, ad dicendum, ac faciendum omnia paratus eſt.* Auctor ſermonis inter Auguſtinianos appendice CXXX. *Daemonum eſt*, ait, *ſuave ſacrificium, cum aut dicitur a nobis aliquid, aut fit, quo honeſtas, quae eſt amica juſtitiae, improbis actibus violata diſce-*

(a) Alexand. Alenſ. in 4. ſent. qu. 4.
(b) Gerſo, par. 4. ſer. 4. Domin. 3. Adv.
(c) Conrad. Aing. Catechiſmo cathol. lib. 4. cap. 12.
(d) Tertullian. de Spectacul. cap. 23.
(e) S. Johan. Chryſoſt. hom. 38. in Matth.

ſcedat : quid enim eſt tam demens , quam virilem ſexum in formam mulieris turpi habitu commutare ? Quid tam demens , quam deformare faciem , & vultus induere , quos ipſi etiam daemones expaveſcunt ? Quid tam demens , quam incompoſitis motibus , & impudicis carminibus vitiorum laudes inverecunda delectatione cantare ? Indui ferino habitu , & capreae , aut cervo ſimilem fieri , ut homo ad imaginem Dei , & ſimilitudinem factus ſacrificium daemonum fiat ? Per haec ille malorum artifex ſe intromittit , ut captis paulatim per ludorum ſimilitudinem mentibus dominetur =. Calculum ſuum addit S. Petrus Chryſologus ſerm. CLV. ubi in illos invehitur , qui larvas idolorum joci cauſa abſumebant . = *Quis* , inquit , *ſatis lugeat eos , qui ſimulacra faciunt ſemetipſos ? Nonne iſti amiſerunt imaginem Dei , ſimilitudinem perdiderunt Chriſti , exuti ſunt indumentum , qui ſe ſimulacrorum formis ſacrilegis formaverunt ? Sed dicet aliquis* : „ *Non ſunt haec ſacrilegiorum ſtudia , vota ſunt haec jocorum , & hoc eſſe novitatis laetitiam , non vetuſtatis errorem , eſſe hoc anni principium , non gentilitatis offenſam . Erras , homo , non ſunt haec ludrica , ſunt crimina . Quis de impietate ludit , de ſacrilegio quis jocatur , piaculum quis dicit riſum ? Satis ſe decipit , qui ſic ſentit . Tyrannus eſt , tyranni habitum qui praeſumit . Imaginem Dei portare noluit qui idoli voluerit portare perſonam . Qui jocari voluerit cum diabolo , non poterit gaudere cum Chriſto . Nemo cum ſerpente ſecurus ludit , nemo cum diabolo jocatur impune* =. Si quae ſunt ergo viſcera pietatis in nobis , ſi quae eſt in nobis contemplatio humanitatis , ſi qua nos habet fraternae ſalutis affectio , abſtrahamus eos , qui ſic ad perditionem currunt , rapiuntur ad mortem , trahuntur ad tartara , feſtini ſunt in gehennam . Abſtrahat ergo pater filium , ſervum dominus , parens parentem , civem civis , homo hominem , Chriſtianos omnes , qui ſe beſtiis comparaverunt , exaequarunt jumentis , aptaverunt pecudibus , daemonibus formaverunt ; & ille , qui liberat , invenit praemium , qui negligit , acquirit offenſam . Sed S. Caroli Borromaei de larvarum uſu judicium hic praetermittere nefas . Sic enim de his loquitur in Memoriali par. II. cap. VI = *Maledicti* , inquit , *& execrandi larvarum uſus , id praeter alia impietatis , & depravationis habentes ,*

quod antiquae noſtrae ruinae, cujus ſathanas ſerpentis formam induens ſic larvatus author fuit, quaſi memoria feſtiva agatur. Deteſtandi larvarum uſus, quarum privilegio ſas eſt cuilibet obſcaena, & impudica verba profari, geſtus, & actus omnimode impuros edere; impiae larvae honeſtatis oppugnatrices, gravitatis inimicae, ruina piae hujus vigilantiae, cui ſoris, & intus Chriſtianus tenetur indulgere =.

Quod attinet ad illos, qui nulla cogente neceſſitate, ſed ſola inſaniendi cauſa alterius ſexus veſte utuntur, praeceptum Domini inſinuandum occurrit, non caeremoniale tantum, ſed etiam morale Deuteronomii xxii. deſcriptum = *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte feminea. Abominabilis enim apud Deum qui facit haec* =: Quem locum expendens S. Ambroſius (a) ait = *Incongruum eſt quod ipſa etiam abhorret natura. Cur enim homo non vis videri eſſe, quod natus es? Cur alienam tibi adſumis ſpeciem? Cur mentiris feminam, vel tu ſemina virum? Suis unumquemque ſexum induit natura indumentis .... Mendacium & in verbo turpe eſt, nedum in habitu. Denique in templit, ubi mendacium fidei, mendacium naturae, illic aſſumere viroi muliebrem veſtem, geſtumque femineum, ſacrum putatur* =. Et infra = *Merito illic non ſervatur caſtimonia, ubi non tenetur ſexus diſtinctio, in quo evidentia naturae magiſteria ſunt* =. Idem confirmat S. Thomas (b) = *Cultus*, inquit, *exterior debet competere conditioni perſonae ſecundum comunem conſuetudinem; & ideo de ſe vitioſum eſt, quod mulier utatur veſte virili, aut e converſo, & praecipue quia hoc poteſt eſſe cauſa laſciviae: & ſpecialiter prohibetur in lege, quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idolatriae ſuperſtitionem: poteſt tamen quandoque hoc fieri ſine peccato propter aliquam neceſſitatem, vel cauſa ſe occultandi ab hoſtibus, vel propter defectum alterius veſtimenti, vel propter aliquod hujuſmadi* =. Hinc Concilium Gangrenſe (c) damnat anathemate mulieres, quae continentiae, & religionis cauſa virilem habitum uſurparent: = *Si qua mulier*, inquit, *propter continentiam, quae putatur, habitum mutat, & pro ſolito mulie-*

(a) S. Ambroſ. epiſt. 69. ad Irenaeum.
(b) S. Thom. 2. 2. qu. 169. art. 2. ad 3.
(c) Concil. Gangren. can. 13. cap. *Si qua mulier*, diſtinct. 30.

muliebri amictu virilem ſumit, anathema ſit = . Multo magis damnandi viri, qui muliebrem amictum ſument. Ut enim S Ambroſius (a) ait = *Graeco more influxit, ut feminae virilibus quaſi ſuccinctioribus tunicis utantur. Eſto tamen, ut illae imitari videantur melioris ſexus naturam, quid viri, inferioris ſexus mentiri ſpeciem volunt* = ? Denique Concilium Trullanum (b) ſtatuit = *Ut nullus vir deinceps utatur muliebri veſte, vel mulier veſte viro conveniente. Sed neque comicas, vel ſatyricas vel tragicas perſonas induat: qui deinceps aliquid eorum, quae ſcripta ſunt, aggredientur, ſi ſint laici jubemus ſegregari.*

V. Propterea admonemus omnes filios noſtros ſaeculares, ut ſe contineant a voluptatibus, quas bacchanaliorum annuali recurſu eis exhibent tum theatra, & comedias, tum ſaltationes, & choreas, tum alienae veſtis, & larvae aſſumptionem; in his ſiquidem animae periculum non deeſſe manifeſtiſsimum eſt. Hinc prae oculis habeant vulgariſsimum Salviani Epiſcopi lib. VI. de providentia dictum quo *Apoſtatas* chriſtianos illos appellat, qui poſt abrenunciationem diaboli, & operum ejus in baptiſmatis ſuſceptione ejuratam, in his delectari volunt, in quibus diabolicum firmatur regnum, & diaboli pompae conſiſtunt. = *Diabolus*, inquit, *eſt in ſpectaculis, & pompis ſuis, & per hoc, cum redimus ad ſpectaculum, relinquimus fidem Chriſti: hoc itaque modo ſymboli ſacramenta ſolvuntur, & totum, quod in ſymbolo ſequitur, labefactatur, & nutat; nihil enim ſequens ſtat, ſi principale non ſteterit* = .

Et ut a ſancto propoſito nemo facile dimoveri poſſit, duo recogitanda eſſe proponimus. Primum eſt, Eccleſiae tolerantiam nullimode licitam reddere bacchanaliorum licentiam. Multa in hac re Auguſtinus (c) ſcribit = *Tolerat Aaron multitudinem idolum exigentem, & fabricantem, & adorantem. Tolerat Moyſes adverſus Deum tot millia murmurantia, & toties offendentia ſanctum Nomen ejus. Tolerat David Saulem perſequentem, ſceleratis moribus caeleſtia deſerentem, magicis artibus inferna quaerentem; occiſum vindicat: Chriſtum etiam Domini propter ſacra. men-*

(a) S. Ambroſ. epiſt. 69. cit.
(b) Concil. Trullan. can. *Statuit*, 62.
(c) S. Auguſtin. epiſt. ad Glorium, & Eleuſium 43. olim 165.

mentum venerandae actionis appellat. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, perverſoſque filios ſuos, quos populus quia tolerare noluit, divina veritate accuſatus, divina ſeveritate correptus eſt. Tolerat denique ipſum populum ſuperbum contemptorem Dei. Tolerat Eſaias, in quos tam multa crimina jaculatur ... Tolerat Hieremias, a quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias Phariſaeos, & ſcribas ... Tolerat ipſe Dominus Judam, diabolum, furem, & venditorem ſuum. Tolerat itaque Eccleſia vitia, abuſus, illecebras, & oblectamenta, quae improbat, & exeeratur =.

Secundum eſt, multitudinem eorum, qui choreas celebrant, theatralibus ſpectaculis aſſiſtunt, & larvati incedunt, nullam excuſationem rationabilem tribuere poſſe ad hoc, quod inculpate bacchanaliorum flagitiis quis indulgeat, tum quia docet Chriſtus Dominus (a) = *Spatioſa via eſt, quae ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Et* (b) *anguſta porta, & arcta via eſt, quae ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniunt eam* =; tum quia parvi faciendae ſunt irriſiones eorum, qui non id agunt, quod agere deberent: = *Timens avis* (c), inquit S. Auguſtinus, *inanem ſonum, cadit in retia: ſic homines timentes inſultatorum verba vana, & inania, & erubeſcentes convitiis ſuperfluis, cadunt in laqueos venantium, & captivantur a diabolo ... Sunt multi male viventes Chriſtiani, inter quos qui volunt bene vivere, & inter ebrios ſobrius eſſe, & inter fornicarios caſtus eſſe ... & inter ſpectatores nugacium theatrorum noluerint ire, niſi ad eccleſiam, patiuntur inſultatores ipſos Chriſtianos, & patiuntur verba aſpera; & dicunt, magnus tu, juſtus, tu es Elias, tu es Petrus, de caelo veniſti. Inſultant quocumque ſe verterit, audit hinc, atque inde verbum aſperum. Quod ſi timet, & recedit a via Chriſti, cadit in laqueos venantium ... Quando audit verba aſpera, unde ſibi habet facere ſolatium, ut non curet verba aſpera, nec recedat a via, & intret per januam? Dicat: qualia verba audio, ſervus, peccator? Dominus meus audit: daemonium habes ... Non opus erat, ut Dominus hoc audiret,*

(a) Matth. 7. verſ. 13.
(b) Ibid. verſ. 14.
(c) S. Auguſt. ſerm. 1. in Pſalm. 90.

diret, ſed te monuit adverſus verba aſpera, ne incidas in laqueos venantium = .

VI. Clericis tamen diſtricte prohibemus ſive theatra adire, & comoediis intereſſe, ſive choreas celebrare, aut earum ſpectatores eſſe, ſive larvas aſſumere, illoſque in caſu contraventionis puniemus poena carceris, & mulcta pecuniaria, a Nobis ſpectatis circumſtantiis taxanda (a), & in pauperum ſubventione impendenda, aliiſque ſuppliciis arbitrio noſtro infligendis, & uſque ad eccleſiaſticas cenſuras extendendis: & hanc ſynodalem ſanctionem noſtram ſacris canonibus conformem eſſe liquido conſtat ex decretis, & ex Synodo Lingonenſi anni MCCCCIV. titulo de ludis prohibitis, & ex Concilio Narbonenſi anni MDLI. canone XIX., & ex Concilio Trullano canone LXII., & ex Concilio Mediolanenſi primo anni MDLXV. Conſtitut. par. 2. tit. XV., & ex Concilio Burdigalenſi an. MDLXXXIII. tit. XXI., & ex Concilio Burdicenſi anni ſequentis tit. II. can. VI., & ex Concilio Aquenſi anni MDLXXXV. tit. de vita, & honeſtate Clericorum, & ex Concilio Narbonenſi anni MDCIX. can. XLI., & ex pleriſque dioeceſanis Synodis, atque praeſertim ex Synodo Anconitana Eminentiſſimi Cardinalis Bufalini in par. 1. tit. 1. § *Choreis*, & § *Comoediis*; ubi & ſuſpenſio ipſo facto reſervata imponitur contra eos, qui in ſacris ordinibus conſtituti vel choreas celebrarent, vel larvas aſſumerent. In Synodo pariter anno MDCCLII. celebrata ab Eminentiſſimo Card. De le Lanze cap. XIII. §. 3. haec leguntur) = *Choreas, ſpectacula, ſcenica, alioſve id genus caetus* (Clerici: *prorſus fugiant, evitentque ſub poena ſuſpenſionis trium menſium. Si quis vero* (*quod tamen ne ſuſpicari quidem liceat*) *fabellas aget, vel depoſito quavis occaſione habitu clericali, ementitis, indecoris veſtibus indutus, ac perſonatus in vulgus prodire audebit ſex menſium ſuſpenſione punietur, & in domo religioſa quoad Nobis viſum fuerit, commorabitur* = . Et quoniam ſingulorum, quae memoravimus paulo ante Provincialia Concilia, verba nimis longum eſſet referre, ea ſat erit exſcribere, quibus uſum fuit Concilium Mediolanenſe 1. ſub S. Carolo Borromaeo = *Clerici perſonati non incedent, choreas privatas, aut publicas non agent, nec ſpectabunt. Fabulis, comoediis, & haſtiludiis, aliiſve prophanis*,

(a) Vide in cap. 10. hujus ſectionis §. 5. de vita, & honeſtate Clericorum n. 2.

nis , & inanibus ſpectaculis non intererunt , ne aures , & oculi ſacris officiis addicti ludricis , & impuris actionibus , ſermonibuſque diſtracti polluantur . Quod ſi aliqua honeſta in aeque honeſta domo agatur comoedia , ad quam feminis facilis non pateat acceſſus , clericos ei intereſſe non prohibemus = . Ut totidem verbis permittendum eſſe putavit praelaudatus Emus Bufalini in ſua Synodo dd. par. 1. tit. 1. §. Comoed. in fine .

VII. Poſtremo in omnium notitiam deducimus , tolerantiam bacchanaliorum non comprehendere neque dies feſtos de praecepto , neque ſextas ferias cujuſcumque hebdomadae , neque dies jejunii de praecepto , neque pervigilium feſti Purificationis beatae Mariae Virginis , neque horas decurrendas a media nocte feriae tertiae poſt Dominicam in Quinquageſima uſque ad auroram dici feriae quartae Cinerum (a) .

§. II.

De mortificationibus non praeceptis aſſumendis .

Miniſtrate in fide veſtram virtutem , in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam . 2. Petri cap. 1. verſ. v. , & vi.

I. CUM aliqui propter ſanitatem corporis a quibuſdam delectationibus ciborum , potuum &c. prudenter abſtineant, & alii propter officii ſui executionem a multis delectationibus ſibi temperent , multo laudabilius = *Poenitentes* , inquit S. Thomas (b) , *ad recuperandam animae ſanitatem abſtinentia delectabilium , quaſi quadam diaeta utuntur . Et homines volentes contemplationi , & rebus divinis vacare , oportet ut ſe magis a carnalibus deſi-*

(a) Vide librum cui titulus de Spectaculis Theatralibus diſſertationes duae: accedit tertia de Presbyteris perſonatis auctore Fr. Daniele Concina : & opuſculum cui titulus : *L'uſo delle Maſchere ne' Sacerdoti in tempo di carnevale* , auctore Hieron. a Portico : ſicut & aliud Romae an. 1768. editum , ſub titulo : *Trattato de' giuochi , e de' divertimenti permeſſi , o proibiti a Criſtiani* : Vide quoque opuſculum S. Caroli Borromaei de choreis , & ſpectaculis , ejuſque ſententias ſelectas in calce , & appendice , ejuſdem libri . Vide etiam Natalem ab Alexandro lib. 4. de Decalogo art. 5. reg. 12. Vide tandem in appendice hujus Synopi num. 25. epiſtolam Emi Cardin. Delci Ferrarienſis Archiepiſcopi .

(b) S. Thom. 2. 2. qu. 142. art. 3.

deſideriis abſtrahant =. Laudanda profecto eſt tamquam una ex virtutibus temperantiae adjunctis eutropelia, ſive jucunda urbanitas moderatrix ludorum, & jocorum ſecundum rectam rationem, ſed minime probanda erit abuſiva virtutis hujus extenſio ad quotidianam, & inceſſabilem ſeriem illam occupationum delectabilium, in quibus vitam inſumunt plerique hodierni Chriſtiani, qui de aliis virtutibus exercendis ſive temperantiae affinibus, nempe continentia, clementia, manſuetudine, modeſtia, humilitate, taciturnitate, ſtudioſitate, ſive illis temperantiae ſubjectis, ſcilicet abſtinentia, ſobrietate, & caſtitate nihil ſolliciti, de ſola ſervanda eutropelia curam oſtentant, de qua tamen meritum, & laudem non adipiſcuntur. Etenim quinam re vera ſint iſtius virtutis fines, quaenam leges, credimus illis eſſe prorſus ignotum. Sunt profecto joci, & ludi ad quamdam animae ex contemplatione, & attentione vehementi deſeſſae, quietem utiles; unde S. Ambroſius (a) ait = *Volo tandem tibi parcas, nam ſapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam* =, in eorum tamen uſu tria praeſertim cavenda ſunt.

Primum, ne hujuſmodi delectatio quaeratur in aliquibus operationibus, aut verbis turpibus, vel noxiis, ſive per genus jocandi illiberale, petulans, flagitioſum, obſcoenum.

Secundo, ne gravitas animae omnino reſolvatur. *Caveamus*, inquit S. Ambroſius (b) *ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam quaſi concentum quemdam bonorum operum*.

Tertio attendendum eſt, ut ludi, & joci congruant perſonae, tempori, & loco & quod aliae circumſtantiae rectae rationi convenientes illos comitentur.

Ex his conſequitur, oblectamenta, quibus eutropeliae praetextu frui ſolent, & volunt hodierni fideles, cum plerumque aut illicita ſint aut ſaltem periculoſa, non eſſe eis impune conceſſa; quod ſi etiam aliqua illorum honeſta, & innoxia dici poterunt, quia nihilominus fere ſemper immoderantia, inutilitas, ac ſuperfluitas in eorum uſu invenitur, ad vitium potius pertinent, quam ad virtutem.

(a) S. Ambroſ. lib. 2. de Muſica cap. ultimo.

(b) Idem S. Doct. lib. 1. de offic. cap. 20.

II. Quare univerſis ditioni noſtrae ſubjectis notum eſſe volumus, quod ludis, & jocis etiam licitis parce utendum eſt. = *Non ita generati a natura ſumus, ut ad ludum; & jocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeveritatem potius, & ad quaedam ſtudia graviora, atque majora. Ludo, & joco uti licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus ceteris, tunc cum gravibus ſeriiſque rebus ſatis fecerimus*; = Romani oratoris ſententiae ſunt a Sancto Thoma laudatae (a). Hoc, quod de cunctis hominibus philoſophica ſuadet ratio, de hominibus chriſtianis praeſertim demonſtrant evangelicae regulae. Deliciarum, & voluptatum amatores eſſe dedecet eos, qui crucifixi Redemptoris militiae nomen dederunt. Non enim tantum ad eccleſiaſticos, ac religioſos viros, ſed etiam ad laicos quoſcumque in Chriſto renatos pertinent verba Incarnatae Sapientiae apud Matthaeum (b) & Lucam= Dicebat autem ad omnes = *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.* = *Siquidem* (ait S. Baſil. ſerm. de ren. abdicat.) *Chriſtus ipſe, cum Patris ſui praecepta promulgaret, apud eos loquebatur, qui in mundo erant, & communem vitae morem ſequebantur. Quod ſi ſeorſim a diſcipulis interrogatus aliquid aliquando reſpondit, aperte ipſis teſtificatus eſt, Matth. XIII.* „ *Quod vobis dico, omnibus dico*„= Saeculares pariter fideles commonebat Apoſtolus (c) = *Debitores ſumus non carni. ut ſecundum carnem vivamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis* = (d) *Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis: ſi ſpiritu vivimus, ſpiritu & ambulemus* = *Et rurſus* (e) = *Quae ſurſum ſunt quaerite: quae ſurſum ſunt ſapite, non quae ſuper terram: mortificate ergo membra veſtra, quae ſunt ſuper terram* = *Reliquum eſt* (f) *ut qui habent uxores tamquam non habentes ſint; & qui flent, tamquam non flentes; & qui gaudent tamquam non gaudentes, & qui emunt tamquam non poſſidentes, & qui utuntur hoc mundo tamquam non utantur, praeterit enim figura hujus mundi.*

III. Hortamur itaque non ſolum clerum, ſed etiam chariſſimum

(a) S. Thom. 2.2. quaeſt. 168. art. 2.
(b) Matth. cap. 16. ver. 24. & Lucae cap. 9. ver. 23.
(c) Ad Roman. cap. 8. ver. 12.
(d) Ad Galat. cap. 5. ver. 24.
(e) Ad Coloſſen. c. 3. ver. 1. & 5.
(f) Ad Corint. 1. cap. 5. v. 30. & 31.

mum populum noſtrum, ne carnalibus deſideriis in rebus etiam honeſtis, atque permiſſis nimis indulgeat. Conſideret quiſque illam morum regulam, quam Salomon Spiritu ſancto afflatus tradit (a) = *Qui delicate a pueritia nutrit ſervum ſuum poſtea ſentiet eum contumacem.* = Servum animae corpus eſſe nemo neſcit; delicate igitur non eſt nutriendum, ne ſit contumax; unde S. Paulus (b) = *Induimus*, inquit, *Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis* = *Panem pete*, ait S. Gregorius Niſſenus (c), *propter vitae neceſſarium uſum; hujus te corpori natura debitorem fecit. Cetera, quae praeter haec ſolertia hominum deliciis, ac luxui deditorum excogitata, & inventa ſunt, ea de zizaniorum juxta bonum ſemen diſſeminatorum ſemine exiſtunt; ſemen patris familias frumentum eſt, ex frumento panis conficitur, at luxus, atque deliciae zizanium eſt, quod ab inimico juxta frumentum ſatum eſt. Sed homines omiſſo miniſterio naturae neceſſario re vera ſuffocantur rerum inanium ſtudiis, & manent in frugiferi, dum in his anima perpetuo exercetur, & occupatur* = & infra = *Ne detur aditum ſerpenti ad interiora irrepenti, & a primo initio omne ſuum venenum inferenti. Mane, atque conſiſte in uſu neceſſario; terminus eſto tibi vitae ſollicitudinis per res obvias, & parabiles neceſſarii uſus, atque defectus expletio.*

IV. Demum in omnium filiorum noſtrorum tam clericorum, quam laicorum memoriam revocamus, ab Innocentio XI. Pont. Max. damnatam eſſe propoſitionem ſequentem, inter alias octavam = *Comedere, & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini, quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.*

Exorandus propterea a nobis eſt Deus noſter, & alloquendus verbis S. Auguſtini (d) *Reficimus quotidianas ruinas corporis edendo, & bibendo, priuſquam eſcas, & ventrem deſtruas cum occideris indigentiam meam ſatietate mirifica, & corruptibile hoc indueris incorruptione ſempiterna. Nunc autem ſuavis eſt mihi neceſſitas, & adverſus iſtam ſuavitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejuniis ſaepius, in ſervitutem redigens corpus meum, & dolo-*

(a) Proverb. 29.
(b) Ad Roman. 13.
(c) Oratione 5.
(d) Lib. 10. Confeſſ. cap. 31.

res mei voluptate pelluntur. Nam famis, & ſitis quidam dolores ſunt. Urunt, & ſicut febris necant, niſi alimentorum medicina ſuccurrat; quae quoniam preſto eſt ex conſolatione munerum ſuorum, in quibus noſtrae infirmitati terra & aqua, & caelum ſerviunt, calamitas deliciae vocantur. Hoc me docuiſti, ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiae moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laquaeus concupiſcentiae: ipſe enim tranſitus voluptas eſt, & non eſt alius, quo tranſeatur, quo tranſire cogit neceſſitas: & cum ſalus ſit cauſa edendi, & bibendi, adjungit ſe tamquam pediſſequa periculoſa jucunditas, & plerumque praeire conatur, ut ejus cauſa fiat, quod ſalutis cauſa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriuſque eſt: nam quod ſaluti ſatis eſt, delectationi parum eſt: & ſaepe incertum fit, utrum adhuc neceſſaria corporis cura ſubſidium petat, aut voluptuaria cupiditatis fallacia miniſterium ſuppetat. Ad hoc incertum bilareſcit infelix anima, & in eo praeparat excuſationis patrocinium, gaudens, non apparere, quid ſatis ſit moderationi valetudinis, ut obtentu ſalutis obumbret negotium voluptatis. His tentationibus quotidie conor reſiſtere, & invoco dexteram tuam ad ſalutem meam & ad te refero aeſtus meos, quia conſilium mihi de hac re nondum ſtat. Audio vocem jubentis Dei mei „ Ne graventur corda veſtra in crapula, & ebrietate; „ Ebrietas longe eſt a me. Miſereberis, ne appropinquet mihi. Crapula autem nonnumquam ſurrepit ſervo tuo. Miſereberis, ut longe fiat a me. Nemo enim poteſt eſſe continens, niſi tu des: in his ergo tentationibus poſitus certo quotidie adverſus concupiſcentiam manducandi, & bibendi. Itaque fraeni gutturis temperata relaxatione, & conſtrictione tenendi ſunt. Et quis eſt, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas neceſſitatis? Quiſquis eſt magnus, magnificet nomen tuum; ego autem non ſum, quia peccator homo ſum. (a)

CA-

(a) Vide Natalem ab Alexandro l. 3. & 15. & lib. 3. de virtutibus cap. 2. de peccatis cap. 8. art. 5. reg. 14. art. 5. §. 4.


image
not
available

placuiſti ibi remanſiſti. Si autem dixeris, ſufficit, periſti. Semper adde, ſemper ambula, ſemper profice. Noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare.

II. Nos proinde, qui paſtoralis officii debito illis vos debemus munire praeſidiis, quibus pietas veſtra magis, magiſque augeatur, ante omnia de ſacris faciendis meditationibus hortandos vos eſſe ducimus. Omnibus igitur amplectendum proponimus illius orationis uſum, quae mentalis appellatur oratio, ad quam pertinet illud (a) = *Tibi dixit cor meum exquiſivit te facies mea*, (b) = & illud = *Meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper* = *illudque Regum cap.* 1. = *Anna loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* = Haec oratio neque in ſuſpenſione omnis actus, neque in ſola receptione, aut ſtatu quodam paſſivo, neque in ſpeculatione ſola, nec in ſolo amore, ſed in actibus intellectus, & voluntatis ad Dei cultum, & honorem relatis, meditatione ſcilicet, ſive conſideratione rerum divinarum conſiſtit, & nihili noſtri atque indigentiae, & in Dei amore, rerumque aeternarum deſiderio, aliiſque piis affectibus poſita eſt. Supremus iſtius orationis gradus eſt *contemplatio*, qua anima ſupra terrena phantaſmata evecta abſque inquiſitione rationis aut vago variarum cogitationum diſcurſu, Deum reſque divinas libere conſiderat, in eiſque defixa penitus mentis acie, caſto, ardentique amore Deo conjungitur, ipſum complectitur, in eoque unice delectatur. Definitur autem a S. Auguſtino (c) = *Sancta quaedam ebrietas alienatae mentis ab infra labentibus temporalibus, aeternam ſapientiae lucem contuentis.* = Ad hunc orationis gradum non perveniunt niſi purgatae animae, quae diuturna poenitentia, & mortificatione, perturbationes, & pravas cupiditates naturae corruptae ſubegerunt, propriaeque voluntatis ſtudiis, & affectibus ſe ſe exuerunt.

Ad illum autem ſenſim per varios illuſtrationum & amoris gradus perducuntur. Vulgaris itaque mandatorum obſervantia non ſufficit, ut quis ad ſummum illum orationis gradum perveniat, ſed variis laboribus, inſigniumque virtutum operibus, in quibus evangelicas beatitudines Chriſtus conſtituit, exercitatum eſſe neceſſe eſt.

Id

(a) Pſalm. 26.
(b) Pſalm. 18.
(c) S. Auguſt. lib. 12. contra Fauſt. cap. 42.

Id Liae, & Rachelis duarum Jacob uxorum typo ſignificatum S. Auguſtinus (a) explicat dicens = *Lia interpretatur laborans: Rachel autem, viſum principium, ſive verbum, ex quo videtur principium. Actio ergo humanae, mortaliſque vitae, in qua vivimus ex fide, multa laborioſa opera facientes, incerti quo exitu proveniant, ad utilitatem eorum quibus conſulere volumus, ipſa eſt Lia prior uxor Jacob, ac per hoc & infirmis oculis fuiſſe commemoratur. Cogitationes enim mortalium timidae, & incertae providentiae noſtrae. Spes vero aeternae contemplationis Dei, habens certam, & delectabilem intelligentiam veritatis, ipſa eſt Rachel: unde etiam dicitur bona facie, & pulchra ſpecie. Hanc enim amat omnis pie ſtudioſus, & propter hanc ſervit gratiae Dei, qua peccata noſtra etſi fuerint ſicut phoenicium, tamquam nix dealbabuntur. Laban quippe interpretatur dealbatio cui ſervivit Jacob propter Rachel. Neque enim ſe quiſquam convertit ſub gratia remiſſionis peccatorum ſervire juſtitiae, niſi ut quiete vivat in verbo, ex quo videtur principium, quod eſt Deus: ergo propter Rachel, non propter Liam ſervitur. Nam quis tandem amaverit in operibus juſtitiae laborem actionum, atque paſſionum? Quis eam vitam propter ſe ipſam expetierit, ſicut nec Jacob Liam? Sed tamen ſibi nocte ſuppoſitam in uſum generandi amplexus, & foecunditatem ejus expertus eſt. Dominus enim eam, quia per ſe ipſam diligi non poterat, primo ut ad Rachel perveniretur, tolerari fecit, deinde propter filios commendavit. Ita vero unuſquiſque utilis Dei ſervus ſub dealbationis peccatorum ſuorum gratia conſtitutus quid aliud in ſua converſatione meditatus eſt, quid aliud corde geſtavit, quid aliud adamavit, niſi doctrinam ſapientiae? Quam plerique ſe adepturos, & percepturos putant, ſtatim ut ſe in ſeptem praeceptis legis exercuerint, quae ſunt de dilectione proximi.... quibus quantum potuerit obſervatis, poſteaquam homini pro concupita, & ſperata pulcherrima delectatione doctrinae, per tentationes varias, quaſi per hujus ſaeculi noctes, tolerantia laboris adhaeſerint, velut pro Rachel Lia inopinata conjuncta ſit, & hanc ſuſtinet, ut ad illam perveniat, ſi perſeveranter amat acceptis aliis ſeptem praeceptis; ac ſi dicatur ei: ſervi alios ſeptem annos pro Rachel, ut ſit pauper ſpiritu, mitis, lugens, eſuriens, ſitienſque juſtitiam, miſericors, mundicors, pa-*

(a) Libr. 22. contra Fauſt. cap. 52.

pacificus. Vellet enim homo, ſi fieri poſſet, ſine ulla tolerantia laboris, quae in agendo, patiendoque amplectenda eſt, ſtatim ad pulchrae, atque perfectae ſapientiae delicias pervenire. Sed hoc non poteſt in terra morientium. Hoc enim videtur ſignificare (quod dictum eſt ad Jacob (a) *„ Non eſt moris in loco noſtro, ut minor nubat priuſquam major: quia non abſurde major appellatur, quae tempore prior eſt. Prior eſt autem in recta hominis eruditione labor operandi quae juſta ſunt, quam voluptas intelligendi, quae vera ſunt. =*

III. Quae de ſummo mentalis orationis gradu breviter tradidimus, opportune dicta eſſe arbitramur ad inſtructionem Confeſſariorum dioeceſis noſtrae, ne in animarum directione ſinant ſe decipi a quibuſdam praeſertim mulieribus ſive illudentibus, ſive illuſis, quae ad tam eminentis perfectionis apicem jam deveniſſe aut falſo credunt, aut ſuperbe jactitant, cum neque poenitentiae diuturnis laboribus, neque aſſiduo, & longo virtutum exercitio id ſibi comparaverint. Ceterum piam utilemque praxim ſacris meditationibus vacandi, quam nedum clero, verum univerſo etiam populo intendimus ſuadere, ad inferiores mentalis orationis gradus limitamus eamque in eo ſitam eſſe annunciamus, quod ſtatuto aliquo uniuſcujuſque diei tempore divina attributa, vel beneficia, & praecipua Redemptionis noſtrae myſteria, vel nobis eventura noviſſima, peccati gravitas, & poena, vitaeque hujus miſeriae attente perpendantur, & ex praeviis conſiderationibus iſtis excitato modo timoris, modo admirationis, modo fiduciae, modo doloris, modo amoris ſenſu, & affectu, actus hujuſmodi compunctionis, devotionis, & ſancti fervoris motibus correſpondentes coram Deo eliciantur, & emendationis propoſito confirmentur.

IV. Praefatum orandi modum a Parochis quoque plebanis ſuis inculcandum eſſe, graviter admonemus, & inſuper cupimus vehementer, ut ab animarum rectoribus in propriis eccleſiis praedictae meditationes ſive legendo, ſive concionando ad id intervenientibus proponantur omnibus ſaltem diebus feſtis de praecepto ante, vel poſt miſſam, cui ſoleat majori frequentia populus aſſiſtere: & injungimus pariter Archipresbyteris, Cathechiſtis, & Praedicatoribus, ut

(a) Geneſ. 29.

ut iſtam orandi conſuetudinem auditores edoceant, explicando, & indicando praeparationem huic orationi praemittendam, & fructum ex illa colligendum, methodum, & regulas in ipſa ſervandas, utiliores hac de re editos libros, & indulgentias quoque a glorioſae memoriae Benedicto XIV. conceſſas fidelibus eam & docentibus, & in uſu habentibus: tum quotidianas partiales pro qualibet vice, tum plenariam, & ampliſſimam, poſtquam ſpatio uniuſcujuſque menſis quotidie aliquis in ea verſatus fuerit. Quarum indulgentiarum catalogum exhibebit Appendix *num.* 59. Ibidem quoque *num.* 60. juxta methodum, a S. Franciſco Saleſio praeſcriptam volentibus mentali orationi incumbere, perutillimi hujus exercitii principaliora documenta in praxi redigenda proponentur.

V. Sane in divina Scriptura omnium peccatorum perpetratio oblivioni attribuitur Dei majeſtatis, authoritatis, & bonitatis, noſtraeque aeternae ſalutis juxta illud Jeremiae (a) = *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcaverunt partem meam, dederunt portionem meam deſiderabilem in deſertum ſolitudinis: poſuerunt eam in diſſipationem.... deſolatione deſolata eſt omnis terra; quia nullus eſt, qui recogitet corde.* = In iisdem ſacris litteris fere impoſſibilis divinae legis violatio dicitur reſpectu eorum, qui de noviſſimis ſuis memorantur ſecundum vulgatiſſimum Eccleſiaſtici (b) eloquium = *Memorare noviſſima tua; & in aeternum non peccabis.* Ideſt, ut Charthuſianus exponit = *non peccabis praeſertim mortaliter, & raro venialiter.* = Propterea fideles illi, qui ſuggeſtionibus noſtris adhaerentes quotidiano, aut ſaltem frequenti exercitio familiarem ſibi reddiderint rerum divinarum, aeternarumque ſortium conſideration, facili negotio a culpis praecipue gravibus declinabunt, & opera chriſtianae profeſſioni convenientia aggredientur, & agere viriliter curabunt.

VI. Neque praeſens adhortatio noſtra novum, aut inſolitum aliquod onus chriſtianis imponere molitur, illud enim a Deo praeceptum habemus e xApoſtolo (c) = *Sine intermiſſione orate* = : *Oportet ſemper orare, & non deficere*, (d) & rurſus (e) = *Vigilitate*

(a) Jerem. cap. 12.
(b) Eccli. cap. 7. ver. 40.
(c) Ad Theſſal. epiſt. 1. cap. 5.
(d) Lucae cap. 18.
(e) Lucae cap. 21.

omni tempore = & ſane = *caritas* (inquit S. Bernardus) *tot modis in oratione, vel gratiarum actione in Deum ſe jugiter refundit, quot in ſuis vel neceſſitatibus, vel conſolationibus, in proximi etiam vel compaſſionibus, vel congratulationibus cauſales in hoc materias invenit pius affectus* (a): & alibi ipſe Dominus: *Non impediaris orare ſemper* (b): *Orationi inſtate* (c): *Vigilate in orationibus*, (d) exemploque ſuo (e) perutili huic exercitio incumbere nos debere docuit. Si autem de clericis ſermo ſit in Concilio Mediolanenſi v. ſub S. Carolo Borromaeo ſtatutum fuit interrogandos eſſe ab examinatoribus eos, qui eccleſiaſticam petiiſſent ordinationem, an in ſtudio mentalis orationis verſari conſueverint, & dearticulatis interrogationibus experiendum, an ſciant hujuſmodi mentalis orationi partes, & practicum in ea ſe occupandi modum. Quoad ſaeculares autem nemo eorum, qui religionem non abnegaverit, ſuperfluum aut fere impoſſibile dicere audebit divinis myſteriis, & revelatis veritatibus mentem applicare; cum & ipſi temporalibus lucris, humaniſque commerciis defixas cogitationes habere inevitabile omnino exiſtiment, ac neceſſarium rerum agendarum opus. Qui ſciunt meditari ea quae fugacia jam fatentur eſſe, ac vana, falſo profecto dicent, inhabiles ipſos eſſe ad recogitanda quae caeleſtia ſunt, & ſempiterna: & qui corporalibus provident, nedum loquendo, ſed & meditando, in ſpirituali peragendo incommutabilis felicitatis negotio probe intelligere debent, aſſidua eſſe impendenda maturae conſiderationis ſtudia. Tempus autem ad id explendum cuilibet volenti non deficere abunde conſtat exemplis tot piorum hominum, qui publicis etiam praegravati officiis, & domeſticis inſimul onerati curis, tamen mentali orationi quotidianae tempus ſemper ſibi ſervarunt, Davidem imitantes, cui regiae dignitatis munia diurnae, atque nocturnae contemplationis tempora nequaquam praepedire, vel intercipere potuerunt (f).

§. II.

(a) Serm. ad Fratr. de Monte Dei.
(b) Eccli. cap. 18.
(c) Ad Coloſs. cap. 4.
(d) 1. Petr. cap. 4.
(e) Matth. cap. 14. & cap. 26. Marci, cap. 1. Lucae capitib. 4. 6. 9.
(f) Vide Natalem ab Alexandro in lib. 5. de oratione cap. 1. art. 1. & Peraldum, ſumma virt. & vitior. tom. 1. part. 7. cap. 3. 4. 5. 6. 7. & 10.

§. II.

De frequenti, & debito uſu Sacramentalis Confeſſionis, & Communionis.

Quia ecce qui elongant ſe a te peribunt, perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te. = Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtrae non confundentur. Pſalm. LXXII. verſ. XXVI. & Pſalm. XXXIII. verſ. V.

I. UTilis quam maxime confeſſio peccatorum eſt ad emendationem morum. Iis enim, quorum corrupta eſt vitae conſuetudo, nihil ita prodeſſe ad mores emendandos experimur, ſicut interdum occultas animi ſui cogitationes, facta, dictaque omnia prudenti, & fideli amico patefacere, qui eos opera & conſilio juvare poſſit. Ob eamdem itaque rationem maxime ſalutare exiſtimandum eſt iis, qui ſceletum conſcientia agitantur, ut Sacerdoti, tamquam Chriſti Domini Vicario (cui perpetui ſilentii ſeveriſſima lex impoſita eſt) animae ſuae morbos, & vulnera aperiant: ſtatim enim parata ſibi medicamenta invenient, quae non ſolum praeſentis aegritudinis ſanandae, verum ita praeparandae animae caeleſtem vim habent, ut deinceps facile futurum non ſit, in ejuſdem morbi, & vitii genus recidere. Conſtat denique, ſi ſacramentalem confeſſionem e chriſtiana diſciplina exemeris, plene omnia in occultis, & nefandis ſceleribus futura eſſe: quae poſtea, & alia multo graviora homines peccati conſuetudine depravati palam committere non verebuntur. Etenim confitendi verecundia delinquendi cupiditati, & licentiae frenum quoddam injicit, & improbitatem coercet. (Inquit Concilii Tridentini Catechiſmus *par.* II. *de poenit.* § XLVIII., & XLIX.) Additque: = *Quidquid hoc tempore ſanctitatis pietatis, ac religionis in eccleſia conſervatum eſt, id magna ex parte confeſſioni tribuendum eſſe, ut nulli mirandum ſit, humani generis hoſtem, cum fidem catholicam funditus evertere cogitat, per miniſtros impietatis ſuae, & ſatellites hanc veluti chriſtianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum eſſe.*

II. Huic autem oppugnationi cedere videntur nedum (a) qui cum haereticis in Tridentina Synodo damnatis, & anathematizatis ſentiunt, nullo divino praecepto, inſtitutioneve Chriſti Domini conſtare, neceſſariam eſſe confeſſionem auricularem ad conſequendam remiſſionem peccatorum ab adultis poſt baptiſmum patratorum, ſed & illi quoque, qui de hujuſmodi neceſſitate fide catholica certi, raro tamen caeleſti hoc medicamine uruntur, vel tunc ſolum, quando de eo adhibendo eccleſiaſticum praeceptum urget, nempe ſemel in unoquoque anno. Guillielmus Pariſienſis (b) periculoſam eſſe probat confeſſionis dilationem; primum ne propter negligentiam faciendi confeſſionem, dum quis poteſt, & non vult, juſto Dei judicio infligatur ei non poſſe, cum velit. Hoc enim modo conſuevit juſtiſſimus Deus negligentias noſtras punire. Secundo, propter periculum oblivionis peccatorum. Tertio, propter periculum morae, quae non mediocriter aggravat peccatum. Quarto, propter periculum ruendi in aliud „ *Peccatum enim, quod ſtatim per poenitentiam non diluitur, ſuo pondere trahit ad aliud* „ ſicut dicit Gregorius (c) ... *Quis hoc veſtimento ſuo, aut calceamento faciat, ut non quam cito inquinatum fuerit, illud ablui, vel abſtergi curet? Quis in luto illud uſque ad putrefactionem dimittet? Si vero diſſolutum, vel detritum fuerit, quis non ſtatim ſutori, vel refectori tradet? Quis non equum ſuum ſtatim ut vulneratus fuerit, curandum mittet? Si autem tantopere inquinamenta, & detritiones veſtimentorum, & calceamentorum corporalium curantur a nobis, qua ſtudioſitate, & vigilantia curandae ſunt detritiones, & inquinamenta veſtimentorum ſpiritualium? Si tanta ſollicitudine occurrere feſtinamus morbis equorum noſtrorum, ne creſcant, aut invaleſcant, quanto fortius accelerandum eſt nobis, ne morbi, aut laeſiones animarum noſtrarum creſcant, medicamentum confeſſionis ſtatim adhibere? Si ſerpentes, & colubres ab aſino noſtro, ſi venenum de corpore expellere, ſi hoſtem, vel latronem de domo noſtra tantis ſtudiis, atque conatibus ejicere properamus, & moram illuc faciendi tam acriter & in nobis, & in aliis culpamus, & praeter inducias, aut*

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 4.
(b) Guillel. Pariſien. tract. de ſacram. Poenit. cap. 19.
(c) S. Gregor. Magn. libro 25. in caput 34. Job. cap. 9.

aut dilationes, quominus haec ſtatim fiant, tanta diſtrictione mandamus, quid nobis de ſpiritualibus ſerpentibus, colubris, & veneno, de diabolo hoſte, & latrone faciendum putamus? Si ignis incendio domum cujuſquam vaſtare coeperit, quis ſuper extinctione illius ei etiam unius momenti ſuggerere inducias audeat, vel ſuadeat? Quis etiam adeo caecus, aut demens eſſe poteſt, ut hoc ſuadentem, vel ſuggerentem audiat? De peccato ſcriptum eſt Job (a). *Quia ignis eſt uſque ad conſumptionem devorans: de omnibus vero generaliter in Pſalmo dictum eſt „ Super cecidit ignis, & non viderunt ſolem „* & iterum *„ Incenſa igni, & ſuffoſſa* =.

III. Hinc cunctari non debet confeſſio, imo frequenter ea utendum, ut qui frequenter cadunt, frequenter per confeſſionem reſurgant, ut habetur canone VII. diſt. III. de Poenitentia. In hoc torpentes, & ſocordes volumus excitentur quam ſaepiſſime a vocibus, ſuaſionibus, ac monitis Parochorum, & Praedicatorum, quo fiet, ut etiam minus raro Euchariſticae menſae deliciae deguſtentur.

IV. Sunt namque quamplurimi, qui Paſchali ſolummodo recurrente tempore poenarum eccleſiaſticarum, & infamiae timore compulſi ad altaris Sacramentum ſumendum accedunt. Hi revera delectari in Domino nolunt, non ſapiunt ea, quae Dei ſunt, dedignantur guſtare, quam ſuavis ſit Dominus, qui ut dulcedinem ſuam in filios demonſtraret, Pane ſuaviſſimo de caelo praelito, Corpore ſcilicet ſuo eſurientes replet bonis; divinum illud manna faſtidiunt habens omnem dulcedinem, & omnis ſaporis ſuavitatem. Vinum terrenarum voluptatum uberibus ſponſae, & menſae ad parvulos nutriendos lacteſcenti anteponunt a piarum animarum ſenſu prorſus alieni (b) dicentium = *Meliora ſunt ubera tua vino* =. Ideſt interprete S. Bernard (c) = *Carnis voluptatem, quae paulo ante tamquam vino ebriae tenebantur, vincunt hae, quas tua nobis ubera ſtillant, deliciae ſpirituales & pulchrae; vino comparant carnalem affectum: ut enim uva ſemel expreſſa non habet jam quod denuo fundat, ſed perpetua ariditate damnatur, ſic caro in preſſura mortis ab omni prorſus ſua delectatione ſiccatur, nec ultra revireſcit ad libidines: unde Propheta „ Omni caro foenum, & omnis gloria ejus*

(a) Job. cap. 31. verſ. 12.
(b) Cantic. cap. 3.
(c) S. Bernard. ſerm. 9. in Cantic.

ejus tamquam flos foeni: Exſiccatum eſt foenum, & cecidit flos „. Vide autem, ne non carni tantum, ſed & mundo forte competat iſta proportio: ſi quidem & ipſe tranſit, & concupiſcentia ejus: & cum omnia, quae in mundo ſunt, finem habeant, finis eorum non erit finis. Verum ubera non ſic: haec enim cum exhauſta fuerint, rurſum de fonte materni pectoris ſumunt quod propinent ſugentibus. Merito proinde meliora carnis, ſaeculive amore aſſeruntur ubera ſponſae, quae nullo unquam lactantium numero areſiunt, ſed ſemper abundant de viſceribus caritatis, ut iterum fluant. Flumina ſiquidem fluunt de ventre ejus, ſitque in eo fons aquae ſalientis in vitam aeternam =.

V. Porro eccleſiae ſententiam ſuam pro frequenti communione in Synodo Tridentina expreſſit his verbis (a). = *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiae perceptione communicarent, quo ad eos ſanctiſſimi hujus ſacramenti fructus uberior proveniret* =. De eadem, Concilii catechiſmus haec habet =: *Neque tamen fideles ſatis habeant ſemel tantummodo Corpus Domini quotannis accipere, verum ſaepius iterandam Euchariſtiae communionem exiſtiment; utrum autem ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula praeſcribi non poteſt* =. Veruntamen illa eſt S. Auguſtini norma =: *Sic vive ut quotidie poſſis ſumere* =.

VI. Quare S. Carolus Borromaeus in inſtructionibus de ſacramento Euchariſtiae =: *Ad ſaluberrimum*, inquit, *hujus ſacramenti frequenter ſumendi uſum Parochus fideles cohortabitur, atque excitabit eccleſiae inſtitutis, ac exemplis, & ſanctorum omnium conſentiente doctrina, ut ex Catechiſmo Romano diſcere poterit, & ſententia Oecumenicae Synodi Tridentinae; quae optaret quidem, fideles in ſingulis Miſſis non ſolum ſpirituali affectu; ſed ſacramentali etiam Euchariſtiae perceptione communicare: curabit certe, ut praeter Paſchatis communionem, quae eccleſiae praecepto neceſſaria eſt, ſaltem in praeciputs ſolemnitatibus, veluti de Natali Domini, Epiphaniae, Pentecoſte, in diebus item feſtis majoribus Beatae Mariae Virginis communicent. Crebris praeterea monitis illud, quod beatiſſimus Silverius Pontifex ſtatuit, in conſuetudinem revocare ſtuebit, ut qui ſaepius*

(a) Concil. Trid. ſeſſ.22. cap.6.

ſaepius non communicant, in Quadrageſima ſaltem Dominicis diebus Corpus Domini ſumant, & die item Coenae Domini ex antiquo inſtituto; id praeterea in Adventu itidem praeſtent. Eam praeterea conſuetudinem in parochia ſua introducere curabit, & quoties quis iter longum, aut infeſtum, remque arduam, & difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimeſcendum ſit, aggredietur, qui item gravi aliqua perturbatione, vel ex filiorum, conjugiſve obitu, vel bonorum amiſſione, vel ex alia re adverſa affligitur, ſacra communionem confeſſus ſuſcipiat: idemque faciat itinere, vel negotio difficili, quod ſuſceperit, confecto, vel quocumque beneficio accepto, gratias Deo acturus hujus ſacramenti ſumptione, in quo praecipua quaedam gratia ineſt; qua Deo pro immenſis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam pie referamus. Curabit item, ut mulieres proxime pariturae hoc ipſum praeſtent, ac praeterea cum primum a puerperio ad eccleſiam accedent (a).

VII. Haec eadem omnia Parochis univerſis dioeceſis noſtrae curanda, & promovenda committimus, eiſque ſerio injungimus, ut ſibi addictis plebibus majori, qua poterunt claritate, & efficacia oſtendant; quod ſicuti corpori in ſingulos dies alimentum ſubminiſtrare neceſſarium putamus, ita etiam animae hoc ſacramento frequenter alendae, & nutriendae curam abjicere non debemus. Narrent quoque ipſis, fideles apoſtolicis temporibus Euchariſtiam quotidie accepiſſe, ut ex Apoſtolorum Actis (b) intelligimus = *Erant autem*, dicitur ibi, *perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus* = : omnes enim, qui tunc fidem Chriſtianam profitebantur, vera, & ſincera caritate ita ardebant, ut, cum ſine intermiſſione orationibus, & aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad ſacra Dominici Corporis myſteria ſumenda parati invenirentur. Suadeant rurſus, Euchariſtiam, & qua ſacramentum eſt, & qua ſacrificium ſumere ſemper, quoad poſſint, infra ſcilicet Miſſae ſacrificium, quod ſane a Sacerdote celebrante, una cum populo adſtante offertur, illum ad refectionem ſacramentalem invitante, & pro eo quoque de ſacrificii ipſius participatione gratias agente. Haec profecto Eccleſiae deliderta ſunt: haec & priorum ſaeculorum conſtans, & perpetua praxis, ſanctorum

(a) Vide Natalem ab Alexandro lib. 3. de peccatis cap. 12. art. 3. reg. 9., & lib. 2. de Euchariſt. art. 4.

(b) Actor. cap. 2. verſ. 42.

rum Patrum , & plurium Synodorum doctrina ſaepe ſaepius inculcata .

VIII. Omnibus denique paſtoralis noſtrae ditionis Presbyteris ſacrum celebrantibus ſtricte praecipimus , ut nunquam ante Miſſae initium , perraro poſt Miſſam ; ſed infra illius actionem ad praeſcriptum Ritualis Romani , Euchariſtiam diſtribuant .

§. III.

De lucrandis indulgentiis .

Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis , & adimpleo ea , quae deſunt Paſſionem Chriſti in carne mea : pro corpore ejus , quod eſt Eccleſia . Ad Coloſſenſes I. verſ. XXIV.

I. IDeo Apoſtolus Paulus ſe adimplere dicit ea , quae deſunt paſſionum Chriſti , non quaſi Paſſio Chriſti ſufficientiſſimum pretium non fuerit ad totius mundi exhaurienda , & expungenda peccata ; ſed quia cum totus Chriſtus ſit humani generis caput , (ut ſaepe S. Auguſtinus repetit) ad paſſiones capitis paſſiones quoque membrorum accedere oportet , ut ſuo capiti conformentur , ut docet ſacra Synodus Tridentina (a) . Paſſiones itaque , & ſatisfactiones Sanctorum communione caritatis noſtrae fiunt : unde ſicut ſatisfactoriis operibus noſtris redimere peccata noſtra dicimur , & ſolvere quod divinae juſtitiae debemus , ita ſatisfactiones Sanctorum , paſſioneſque nobis per indulgentiam applicatae , cum defectum noſtrarum ſatisfactionum ſuppleant , valent etiam quodammodo ad ſolutionem debitorum , & redemptionem poenarum , quibus obſtricti poſt remiſſionem culpae manemus .

II. Agnoſcimus igitur , credimus , & praedicamus , quod = *Solus Chriſtus lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo* (b) ; quod *ſolus Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris* (c) ; quod *ſolus Chriſtus redemptionem dedit ſemetipſum pro omnibus* (d) ; quod *ſolus Chriſtus acquiſivit eccleſiam ſanguine ſuo* (e) ; quod *ſolus Chriſtus una oblatione conſummavit in aeternum ſanctifica-*

tos

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8.
(b) Apocalypſ. cap. 1.
(c) Johan. epiſt. 1. cap. 2.
(d) Ad Timoth. epiſt. 1. cap. 2.
(e) Actor. cap. 20.

tos (a); quod *Sancti laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni* (b). Scimus nullum unquam ſacrificium ſacratius fuiſſe, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem ſuae carnis impoſuit; nihilominus Sanctorum merita concurrunt ad remiſſionem peccatorum noſtrorum, & ad ſpiritualem eccleſiae theſaurum, ex quo indulgentiae profunduntur, ſive quia haec merita non applicantur nobis, niſi cum meritis, & ſatisfactionibus Chriſti, ſive quia juvant ad impetrandum, quod Chriſti ſatisfactiones, & merita nobis applicentur.

III. Clementem PP. VI. ad Archiepiſcopum Tarraconenſem, ejuſque ſuffraganeos ſcribentem (c) audiamus, de Chriſti Domini ſanguinis profluvio, quo nos redemit, verba habentem = *Ne*, inquit, *ſupervacua, inanis, aut ſuperflua tantae effuſionis miſeratio redderetur, theſaurum militanti Eccleſiae acquiſivit, volens ſuis theſaurizare filiis pius pater, ut ſic ſit infinitus theſaurus hominibus, quo qui uſi ſunt, Dei amicitiae participes ſunt effecti. Quem quidem theſaurum non in ſudario repoſitum* (d), *non in agro* (e) *abſconditum, ſed per beatum Petrum caeli clavigerum ejuſque ſucceſſores, Chriſti in terris Vicarios commiſit fidelibus ſalubriter diſpenſandum & propriis, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſſione poenae temporalis pro peccatis debitae tam generaliter, quam ſpecialiter (prout cum Deo expedire cognoſcerent) vere poenitentibus, & confeſſis miſericorditer applicandum. Ad cujus quidem theſauri cumulum beatae Dei Genitricis, omnium electorum a primo juſto uſque ad ultimum merita, adminiculum praeſtare noſcuntur, de cujus conſumptione, ſeu minutione non eſt aliquatenus formidandum tam propter infinita Chriſti merita, quam pro eo quod, quanto plures ex ejus applicatione trahuntur ad juſtitiam, tanto magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.*

IV. Cum autem indulgentiae non in foro dumtaxat Eccleſiae, ſed etiam apud Deum valeant, ut debitum poenae temporalis in futuro ſaeculo ſubeundae per illas expungatur, & remittatur, quemadmodum docet S. Thomas (f), eas qui negligit, ſibi ipſi grave

(a) Ad Hebr. cap. 10.
(b) Apocalypſ. cap. 7.
(c) Cap. *Unigenitus*. 2. inter extrav. commun. de Poenitentiis, & remiſſ.
(d) Lucae cap. 10.
(e) Matth. cap. 13.
(f) S. Thom. in 4. ſent. diſt. 20. quaeſt. 1. art. 3. quaeſtiunc. 2.

procul dubio damnum infert. Quare admonemus clerum, populumque noſtrum, ne de gratia indulgentiarum conſequenda parum ſolliciti ſint, & ne omittant adimpletionem omnium praerequiſitorum ad hoc, quod illarum poſſint percipere fructum.

V. Inter alias vero indulgentias, quas lucrifacere fideles noſtros vehementer optamus, eas commemorare officii ratio poſtulat, quas mane, meridie, ac veſpere recitantibus Angelicam ſalutationem Benedictus Papa XIII conceſſit (a), Benedictus XIV. confirmavit, declaravitque (b); tum quas Clemens Papa XII. recitantibus ſub horam noctis Pſalmum *De profundis*, vel ſemel Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam, cum verſiculo *Requiem aeternam* in ſuffragium animarum Chriſtifidelium defunctorum pariter indulſit (c): illas inſuper, quas idem Benedictus Papa XIV. quinquies Orationem Dominicam, ac toties Angelicam ſalutationem recitantibus ſingulis ſextis anni feriis hora tertia poſt meridiem relaxavit (d): quibus memoratis temporibus a cathedrali, & ſingulis in civitate, ac dioeceſi parochialibus eccleſiis volumus ſonitu campanae excitari fideles ad eas lucri faciendas, exceptis dumtaxat diebus hebdomadae majoris, ſcilicet a *Gloria in excelſis* feriae quintae in coena Domini uſque ad eumdem Angelicum hymnum Sabbathi ſancti, quo tempore ex ritu Eccleſiae ſilent campanae omnes. Commemoramus pariter indulgentias conceſſas, & a praelaudato Benedicto XIV. elicientibus, & recitantibus Virtutum theologalium formulas (e) & a Clemente XIV. dicentibus in honorem, & confeſſionem Auguſtiſſimae Trinitatis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt terra gloria tua. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui ſancto*: & a feliciter regnante PIO VI. adorantibus diviniſsimum altaris Sacramentum notis verbis exprimentibus deſiderium numquam intermiſſae venerationis, & laudis, quae tanti amoris myſterio debentur (f); & a Paulo V. orantibus in eccleſiis, ubi idem Euchariſticum Sacramentum precibus

(a) Conſtit. *Injunctae nobis* 10. Januar. 1725.
(b) Edict. Urbis 20. April. 1742.
(c) Conſtit. *Caeleſtes Eccleſiae* 14. Auguſt. 1736.
(d) Conſtit. 9. incip. *Ad Paſſionis*.
(e) Ex decret. S. Cong. Indulg. 25. Januar. 1756.
(f) In reſcripto die 24. Maii 1776.

bus fidelium exponitur ſolemniter quadraginta horarum ſpatio (a), & demum a ſummis Pontificibus Innocentio XI., & Innocentio XII. aſſociantibus ſanctiſsimum Euchariſtiae Sacramentum pro Viatico ad infirmos delato (b). Harum indulgentiarum notitiam rectoribus animarum praecipimus annuntiandam, earumque acquiſitionem ne audeant negligere univerſis filiis, & fratribus noſtris ſerio inculcamus: hinc dictarum indulgentiarum notitiam in appendice deſcriptam num. LVIII. tam populo, quam clero legendam porrigemus.

VI. At quoniam Apoſtolicae Sedis valde laudabilis mos eſt tam plenarias, quam partiales indulgentias nuſquam impertiendi abſque alicujus pii operis conditione, monemus dioeceſanos noſtros, ne quid eorum, quae in conceſsionibus praeſcribuntur, operum omittant, ſed cuncta fideliter, devoteque perſolvant: ſunt enim virtutis actus, quos juſte admodum exigere videtur mater Eccleſia, ut non ſine peccantium labore, & cruciatu aliquo major, quae illis maneret, poena, meritorum Chriſti acceſſione facta relaxetur. Attamen dum confeſſis, & ſacra communione refectis, pieque eccleſiam certa die, vel feſto viſitantibus indulgentia noſcitur conceſſa, liberum quidem eſt confeſſionem in vigilia praemittere (c), atque incipientem a primis veſperis indulgentiam, niſi aliud deſit, lucrari; juſtum autem eſt, ut ipſius confeſſionis poenitentiales actus, & qui in gratia fuerimus exſolvamus (d).

VII. Nec vero praetermittendum eſt eos falli, qui ea implentes, quae in conceſſionibus indulgentiarum praecipiuntur, putant omnem exinde aliam etiam medicinalem poenitentiam a confeſſario vel non eſſe imponendam, vel impoſitam relaxari. Stultae ſunt hujuſmodi opiniones, & a ſpiritu Eccleſiae alienae, quae num-

(a) In Epiſtola in forma Brevis 10. Maii 1606.

(b) In libello Romae edito juſſu Innocentii XII., de quo fit mentio in Synodo Anagnina 1713. p. 4. c. 1. n. 8.

(c) Decr. ſac. Cong. Indulg. 31. Martii 1750. confirm. a Clemen. XIII. 19. Maii 1759.

(d) Clemens XIII. die 9. Decembris 1763. omnibus Chriſtifidelibus, qui frequenti peccatorum confeſſione animam ſtudent expiare, & ſemel ſaltem in hebdomada ad ſacramentum poenitentiae accedere, niſi legitime impediantur, conſueverunt, & nullis lethalis culpae a ſe poſt peractam ultimam confeſſionem commiſſae ſibi conſcii ſint, indultum conceſſit, ut omnes, & quaſcumque indulgentias conſequi poſſint etiam ſine actuali confeſſione, quae ceteroquin juxta conceſſionis indulgentiarum decreta ad eas lucrandas neceſſaria foret. = Ex decr. ſac. Cong. Indulg. ſub die, & anno ſupra dictis.

quàm veram poenitentiam ſubmovere, ſed magis exigere vel in ipſis indulgentiarum brevibus oſtendit. Quare confeſſarios quoſque monendos credimus, ne jubilaei, aut indulgentiae cujuſvis obtentu leviſſimas ſatisfactiones graviſſimorum criminum eis injungant, neve ſalutares alias ad veram poenitentiam adducendos peccatores, vel in ea conſervandos neceſſarias omittant: ſed congruas ſemper criminibus curationes, & caſtigationes adhibentes magis doceant (a), peccatoribus ſuas ſedulo partes exequentibus opitulari Eccleſiam matrem, & quod apud divinam juſtitiam ſupereſt debiti (ſupereſt autem fere ſemper, ac plurimum), aut omni, aut aliqua ex parte ſolutum velle, cum indulgentiarum in hoc collata ſubſidia fideles pie lucrifaciunt.

VIII. Nos interim hic addimus, ac ſub poenis arbitrio noſtro praecipimus, ne ullae in poſterum indulgentiarum litterae evulgentur, priuſquam in Cancellaria noſtra, gratis profecto recognitae, noſtraque ſubſcriptione, ac publicandi licentia munitae fuerint; nullae pariter eo loco apponantur, quo eleemoſynae colliguntur; ſed affixa dumtaxat ad januam eccleſiae tabella populo ſignificentur: illud inſuper cavendo, ne cum feſto etiam indulgentia transferri credatur, quae ſuis regulariter, pro quibus conceſſa eſt, diebus infixa remanet, etiamſi officium transferri contingat (b); dempto Annunciationis beatae Mariae ſemper Virginis feſto, cujus indulgentia, ubi conceſſa reperitur, cum ejus officio, & feriatione transfertur (c).

IX. Denique ſi dubitari contingat de germano ſenſu clauſulae in brevibus indulgentiarum apponi ſolitae, videlicet = *Volumus autem, ut ſi alias Chriſtifidelibus dictam eccleſiam qualibet anni die viſitantibus aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, praeſentes litterae nullae ſint* = dubitantes ſciant decreto ſacrae Congregationis Indulgentiarum dato ſub die XIII. Junii MDCLXXVI. declaratum fuiſſe, praedictam clauſulam non comprehendere altaria privilegiata pro Defunctis, neque indulgentias aut certo generi perſonarum conceſſas, ut Confraternitati, Regularibus, & Capitulo, aut certum pium opus in ipſa eccleſia peragen-

(a) Vide Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. de ſatisfact. neceſſitate, & fructu.

(b) Sac. Rituum Congr. 30. Septem. 1679., & 16. Sept. 1741.

(c) Sac. Cong. Indulg. decreto 2. Julii 1641. Vide Natalem ab Alexandro in tractatu de Indulgentiis cap. 1.

peragentibus, ut Litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis, qui Christiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, & qui sanctissimi Eucharistiae Sacramenti expositioni cum Oratione XL. horarum interfunt, neque indulgentias Stationum urbis, & septem Altarium instar septem altarium basilicae Vaticanae concessas, neque demum quae pro unica vice conceduntur (a).

§. IV.

De spiritualibus exercitiis semel in anno, & praecipue ab ecclesiasticis non omittendis.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbae, & volabo, & requiescam? Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine: expectabo eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, & tempestate. Psalm. LIV. vers. VI. VII., & VIII.

I. QUam multum ad saecularium spiritualem salutem conferre possit spiritualibus exercitiorum praxis quotannis repetenda, ex eo manifestissime apparet, quod experientia docente, quicumque a laudabili hac consuetudine non recedunt, aut numquam culpis praesertim gravibus se foedant, aut a contractis maculis cito mundantur. Qua de re rogamus peramanter, & obsecramus in Domino laicos omnes pastorali nostrae curae subjectos, ut hunc sibi morem induant, vel susceptum jam non deponant transigendi in unoquoque anno decem dies unico salutis aeternae dedicandos negotio, quod tunc serio recogitent, ac pertractent meditando dies antiquos, & annos aeternos in mente habendo, & verba Domini audiendo, qui electorum animas ducit in solitudinem, & loquitur ad corda eorum. Num autem opportunum videant ad hunc finem a ceteris se expedire debere occupationibus, & ut nullo daemonis, aut mundi artificio a sancto proposito dimoveantur, verba S. Petri Chrysologi in memoriam revocent dicentis: *Dedimus corpori annum, demus animae dies; vivamus paululum Deo, qui saeculo viximus totum; seponamus domesticas curas.*

II. Potiori jure id ab ecclesiasticis credimus expostulandum. Ipsi

(a) Vide in Synod. Assisiensi 1763. tit. 31.

Ipſi enim ſunt ſanctiora Eccleſiae membra, diſpenſatores myſteriorum Dei, Chriſtiani populi duces, & magiſtri, mediatores inter Deum, & homines, lucernae ſuper candelabrum poſitae, ut luceant omnibus, qui in domo ſunt, nihilque eſt, quod alios magis ad pietatem, divinumque cultum accendat, quam illorum vita, & exemplum; nam omnes in ipſos tamquam in ſpeculum oculos conjiciunt, ut inde ſumere poſſint, quod imitentur. Diuturna etiam experientia compertum eſt, ad retinendam conſervandamque ſacerdotalis ordinis dignitatem, & ſanctimoniam maxime conducere, ut eccleſiaſtici viri ſpiritualibus exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid ſordidum de mundano pulvere contractum eſt, commode detergitur, eccleſiaſticus ſpiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte, ſancteque vivendi norma vel inſtituitur, vel confirmatur; hinc ſummus Pontifex Clemens XI. pro eximio, quo flagrabat, omnium ſalutis zelo, vehementer exoptans, ut pium hoc, & ſaluberrimum exercitiorum ſpiritualium opus ubique locorum magnopere frequentaretur, ac vigeret, litteris encyclicis ſacrae Congregationis Concilii datis ſub die x. Februarii anni MDCCX. univerſos Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, cereroſque rum Italiae, tum etiam Inſularum adjacentium Ordinarios enixe admonuit, ac in Domino hortatus fuit, ut illud in ſua quiſque dioeceſi, qua majori potuiſſent cura, & ſtudio ſatagerent promovere: praecipue vero id diſtricte injunxit, ac praecepit, ut quae dudum ſanctae memoriae Innocentius XI. P. M. (a), quoad hujuſmodi ſpiritualia exercitia a ſingulis clericis decem dierum ſpatio, antequam ad ſacros ordines aſſumantur, peragenda mandaverat, exacte, ac inviolabiliter obſervari, & exequi curarent, & quos iiſdem exerciiis per antedicti temporis ſpatium minime operam dediſſe cognoviſſent, a ſacra ordinatione repellerent poenitus, & arcerent.

Praeterea eoſdem Ordinarios admonuit, & hortatus eſt, ut fructu, qui ſane uberrimus ex praedictis ſpiritualibus exercitiis percipitur, opportune propoſito, ac explicato, univerſos ex clero ſibi ſubje-

(a) Per Encyclicam epiſtolam a ſac. Congr. Epiſcop., & Regular. negotiis praepoſita ad univerſos Italiae, Inſularumque adjacentium Epiſcopos datam die 9. Octobris 1682.

ſubiecto, ſed praecipue animarum, rectores, confeſſarios, canonicos, alioſque beneficiatos chori ſervitio adſtrictos diligenter excitarent ad eadem exercitia ſaltem ſemel in anno peragenda in aliqua regulari domo ab ipſis Ordinariis ad id deſignanda, & approbanda. Ut autem alacrius ad ejuſmodi ſpiritualem ſeceſſum ſinguli convenirent, idem Clemens XI. omnibus praefatis animarum rectoribus, confeſſariis, canonicis, beneficiatis, aliiſque ſacerdotibus, & clericis qui per decem dies ſingulis annis eadem exercitia peregiſſent in praefatis regularium domibus, ibique diu noctuque permanſiſſent, ac interea temporis vere poenitentes, & confeſſi ſacroſanctum Euchariſtiae Sacramentum ſumpſiſſent, quoties id egiſſent, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino elargitus fuit. Parochos inſuper per idem tempus ſemel tantum in anno exercitiis hujuſmodi vacantes a reſidentia benigne diſpenſavit. Quod ipſum ſervari praecepit quoad canonicos, beneficiatos, alioſque perſonali reſidentia obſtrictos, & chori ſervitio mancipatos, quos nihilominus ſtatuit, lucrari integros fructus, & quotidianas ſuorum reſpective canonicatuum, & beneficiorum diſtributiones quaſcumque, perinde ac ſi choro, diviniſque Officiis perſonaliter interfuiſſent; dummodo tamen eadem exercitia perageret, obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedendam ſanxit Adventus, & Quadrageſimae tempore, ac in ſolemnioribus feſtivitatibus, nec unquam omnibus ſimul canonicis, aliiſque choro inſervientibus, ſed eo adhibito modo, ut chori ſervitium nequaquam intermitteretur; & quoad Parochos, idoneis prius ſubrogatis oeconomis ab ipſomet Ordinario approbandis, qui animarum curam laudabiliter adminiſtrarent. Mandavit inſuper praelaudatus Pontifex, ut memoratae litterae ſacrae Congregationis Concilii publicarentur in unaquaque dioeceſi, & in Cancellariae regeſtis pro perenni eorum, quae in illis continebantur, obſervantia deſcriberentur, & ad hunc ipſum finem quolibet triennio earum publicatio in poſterum renovaretur. Harum litterarum tum Congregationis Epiſcoporum, tum Congregationis Concilii exemplaria in appendice dabimus num L., LI.

III. Hinc Nos, praememoratis univerſalis eccleſiae Paſtoris tam ſalubriter ſtatutis, libenti inhaerentes animo, ejuſque mandatis obſequen-

quentes monemus clericos, ſacerdotes, parochos, canonicos, & beneficiatos noſtrae dioeceſis. ut ſemel ſingulis annis ſecedant ad ſibi proſpicienpum in aliqua regulari domo, ibique ſpatio decem dierum nocte, & die maneant, & ſpiritualibus vacent exercitiis. Interim vero eiſdem ſignificamus Apoſtolicae Sedis recenſitas gratias, tum ſcilicet plenariam peccatorum remiſſionem, tum diſpenſationem a reſidentia, & ſervitio chori, quoad praedictum decem dierum tempus.

CAPUT VII.

Praecipitur eccleſiaſticae diſciplinae inſtauratio.

§. I.

De clericis in ſeminario educandis.

Proverbium eſt: Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea. Proverb. xxii. v. vi.

I. CUM ſcientia, & pietas neceſſariae ſint iis, qui ordinandi ſunt, mirum non eſt, ſi antiquitus Epiſcopi doctoris & nomen, & officium habuerint; quippe docere, praedicare, evangelizare praecipuum, & maxime proprium eſt Epiſcoporum munus: = Oportet, *Epiſcopum eſſe pudicum, hoſpitalem, doctorem* (a). Unde Apoſtolus paſſim ſe *Doctorem*, & *Magiſtrum Gentium* appellat: & S. Leo (b) praecipit = Ut *praeter ſacerdotes nullus audeat praedicare, ſive ſit monachus, ſive laicus cujuslibet ſcientiae nomine glorietur* =. Tunc temporis ſcilicet, Epiſcopalis domus ſchola erat, in qua adoleſcentes ad clerum deſtinati ſacris Litteris erudiebantur, ut apparet ex S. Athanaſio, quem cum aliis pluribus in Epiſcopali domo erudiri juſſit Alexander in Alexandrina Sede S. Athanaſii praedeceſſor (c). Id ipſum evidenter apparet ex ſequentibus verbis Concilii ſecundi Toletani (d) = *Quos voluntas parentum a primis infantiae annis clericatus officio mancipavit, ſtatuimus, obſervandum, ut mox cum detonſi, & miniſterio lectorum contradi-*

cti

(a) Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 3. v. 2.
(b) S. Leo, epiſt. ad Maximum Antiochen.
(c) Socrat. lib. I. cap. II.
(d) Concil. Toletan. II. can. I.

Eli fuerint, in domo eccleſiae ſub Epiſcopali praeſentia a praepoſito ſibi debeant erudiri =. Idem demum dici debuit de Lateranenſi palatio ſub Gregorio Magno, in quo refloruerunt diverſarum artium ſtudia, ut narrat Johannes Diaconus (a). Porro cum fidelium, ac proinde clericorum numerus in dies creſceret, fieri non potuit, ut ſchola in Pontificali domo erecta omnibus clericis erudiendis ſufficeret: quare ſubſequentibus temporibus non Epiſcopi dumtaxat, ſed cujuslibet Presbyteri domus ſchola erat junioribus clericis deſtinata: id nos docet Concilium Vaſenſe (b) = *Placuit, ut omnes Presbyteri, qui ſunt in Parochiis conſtituti ſecundum conſuetudinem, quam per totam Italiam ſatis ſalubriter teneri cognovimus, juniores lectores, quantoſcumque ſine uxore habuerint, ſecum in domo, ubi ipſi habitare videntur, recipiant, & eos quomodo boni Patres ſpirituali er nutrientes, Pſalmos parare, divinis lectionibus inſiſtere, & in lege Domini erudire contendant, ut ſibi dignos ſucceſſores provideant, & a Domino praemia aeterna recipiant.* = Non ſolum autem particulares illae ſcholae in domibus Epiſcoporum, aut Sacerdotum vigebant; erant enim praeterea aliae ſcholae magis celebres, qualis fuit Alexandrina, de qua Euſebius (c) = ſcribit: *Per idem tempus fidelium ſcholae praecrat vir doctrinae cauſa celeberrimus Pantaenus, quippe jam inde a priſcis temporibus ſanctarum Litterarum ſchola in ea civitate* (Alexandina) *fuerat inſtituta, quae quidem noſtra adhuc aetate perſeverat* =, qualis fuit & illa, quam adeſſe Protogenes aperuit, ut refert Theodoretus (d).

II. Scholae omnes, quas retulimus, totidem erant ſeminaria, in quibus digni Parochis ſucceſſores providebantur; ille autem, qui ejuſmodi ſcholis propriam ſeminarii, ſive clericorum collegii formam adjunxit, ſanctus fuit Auguſtinus: Id quod ſaris probabiliter colligi poteſt ex his ejus verbis = *Ubi perveni*, inquit *ad Epiſcopatum vidi neceſſe habere Epiſcopum exhibere humanitatem aſſiduam quibuſcumque venientibus, ſive tranſeuntibus: Quod ſi non feciſſem, Epiſcopus inhumanus dicerer. Si autem conſuetudo iſta in monaſterio*

(a) Johan. Diacon. in vita S. Gregor. lib. 1. cap. 13.
(b) Concil. Vaſenſe can. 1.
(c) Euſeb. lib. 4. cap. 10.
(d) Theodoret. hiſtor. lib. 4. cap. 16.

rio permiſſa eſſet, indecens eſſet; & ideo volui habere in iſta domo Epiſcopi mecum monaſterium clericorum (a) = Sane ex illo clericorum monaſterio a S. Auguſtino inſtituto & Presbyteri, & Epiſcopi emanarunt; plerique alii Epiſcopi S. Auguſtinum in inſtituendis Seminariis imitari ſatagerunt, ut Poſſidius vitae S. Auguſtini ſcriptor teſtatur.

III. Sed quoniam laudabilis hujus diſciplinae obſervantia, qua contemni, qua negligi cernebatur, ejus reparationem Tridentinum Concilium injunxit, uſumque renovandum eſſe decrevit (b): *Cum*, inquit, *adoleſcentium aetas, niſi recte inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas, & niſi a teneris annis ad pietatem, & religionem informetur, anteaquam vitiorum habitus totos homines poſſideat, numquam perfecte, ac ſine maximo, ac ſingulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio in diſciplina eccleſiaſtica perſeveret, ſancta Synodus ſtatuit, ut ſingulae cathedrales, Metropolitanae, atque his majores eccleſiae pro modo facultatem, & dioeceſis amplitudine certum puerorum ipſius civitatis, & dioeceſis, vel ejus provinciae, ſi ibi non reperiantur numerum in collegio ad hoc prope ipſas eccleſias vel alio in loco convenienti ab Epiſcopo eligendo alere, ac religioſe educare, & eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere teneantur* (c).

IV. Nos vero, qui Dei miſeratione in hac civitate jamdudum erectum Seminarium invenimus, & hoc rum propriis quibuſdam redditibus, tum taxa in beneficiis quibuſcumque gaudentes, ad normam Concilii Tridentini, & juxta celebrem diſpoſitionem Benedicti XIII. (d) & *Motum proprium* Sanctiſſimi in Chriſto Patris PII VI. feliciter Regnantis impoſita, temporalibus ſubſidiis ad ſufficientiam credimus eſſe proviſum, de bono illius regimine, & felici conſervatione, ac progreſſu, congruentibus tamen ſanctionibus ſollicitudinem conteſtari volumus, & debemus.

V. Hinc ante omnia ſtatuimus, nullum eſſe ad ordines nec minores promovendum, qui in Seminario non moretur, aut ibi non fuerit educatus, niſi ſpecialibus, & urgentibus occurrentibus circum-

(a) S. Auguſt. ſerm. 49. de diverſis.
(b) Concil. Trident. ſeſſ. 23. cap. 18.
(c) Vide Auctorem Theologiae mentis, & cordis lib. 1.
(d) Bened. XIII. Bulla = *Creditae Nobis*.

cumſtantiis ſive Nobis, ſive ſucceſſoribus noſtris in hoc diſpenſare aequum, aut neceſſarium judicabitur.

VI. Deinde diſtricte vetamus receptionem in Seminario cujuſcumque non habentis authenticas probationes de patrimonio ſibi conſtituendo, ſi ad ordines ſacros debito tempore promovendus erit.

VII. Inſuper graviter prohibemus, ne deinceps in Seminario adſcribantur, qui ingenio obtuſi ſunt, & rudis Minervae, multo minus qui vanitatibus, & inertiae conſpiciuntur inclinati, aut velle ſe in clericatum intrudere ex avaritia tantum, aut ſuorum parentum inſtigatione, vel ut laborem effugiant. Abſit, ut hujuſmodi adoleſcentibus, qui nullam, aut nonniſi tenuiſſimam de ſe, ſuaque induſtria praebent expectationem, eccleſiaſticae militiae, neque Seminarii praetextu aditus patear, ne ſcilicet illi, qui Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris adjutrices manus in paſcendo, regendoque grege debent exhibere, quadam die labori noſtro, vel ejus, qui noſtram occupabit ſedem, addant laborem, moleſtiam moleſtiae, & ſint impedimento, ne eos vineae fructus Dominus a ſuis cultoribus accipiat, quos in futuri judicii retributionem a Nobis ipſis ſeveriſſimus aeque ac juſtiſſimus exactor Chriſtus requiret (a).

VIII. Neque etiam ad Seminarium admittendos eſſe decernimus eos, qui vel ex legitimo matrimonio procreati non ſint, vel ad minimum ad anni duodecimi aetatem nondum pervenerit, neque legere, & ſcribere competenter noverint (b).

IX. Et ut de aetate, & honeſtate natalium, ingenii ſagacitate & ad pietatem proclivitate rite conſtare poſſit, jubemus, ut quicumque in Seminario recipi exoptaverit, det Epiſcopo de hoc ſupplicem libellum: tunc Epiſcopus antequam porrectis ſibi praecibus vel ſubſcribat, vel eas rejiciat, decurſu ſaltem duorum menſium de meritis ſupplicantis inquirat, & poſt diligentem inquiſitionem, tum ſui, tum duorum, vel trium ad id ab ipſo delectorum eum deſtinatis inquiſitoribus congreſſum ineat, in quo ventilatis quae ad rem pertinebunt, eorum conſilio, ſive deprecantem in Seminario acceptabit, ſive a Seminario penitus excludet.

X. Sint duo canonici ſeniores, & graviores, quos Nos eligemus, prout Spiritus ſanctus ſuggeſſerit, perpetui, & ſine legitima

(a) Barſanti in Syn. ſeſſ. 3. cap. 7. (b) Conc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 18.

cauſa non mutandi, deputati, qui ſedulo invigilent, ut in Seminario pietas, religio, ac diſciplina eccleſiaſtica alumnorum, & convictorum colatur, & augeatur; non deſint alii quatuor deputati, quorum duo de capitulo cathedralis eccleſiae unus a nobis eligendus, alter a capitulo, itemque duo de clero, quorum unius ad Nos, alterius ad clerum pertineat electio, qui in re temporali ipſius Seminarii curam impendant, ut cum eorum conſilio, & opera procedere valeamus, & rationem reddituum ſingulis annis diſcutiamus (a), Sciant autem Seminarii deputati, quod eorum in omnibus conſilium exquiremus, ſed quod in Domino cenſebimus, in ſingulis caſibus conſtituemus (b).

XI. Sacerdotem probitate, ſcientia, ac prudentia praepollentem Rectorem Seminario praefecimus, & ad illum, ejuſque ſucceſſorem, tamquam ad noſtrum in hac parte delegatum volumus, quod pertineat totius Seminarii diſciplina, & gubernatio, cum debita tamen a Nobis dependentia. Quapropter alumni convictores, Praefecti, aliique officiales teneantur ei obedire; immo illi mandamus ſcholas quandoque viſitare, adoleſcentium progreſſum adnotare, increpare torpentes, & diligentes commendare: etenim hoc fine ipſe idem ſtudiorum praefectus a nobis fuit conſtitutus. Rectorem igitur, ad quem ceteri de Seminarii familia querelas ſuas deferent, plenam praeſenti decreto ſtatuimus, & declaramus obtinere facultatem corrigendi, coercendi, puniendique cujuſcumque aetatis, vel claſſis alumnos, quos a Seminarii regulis, uſibuſque, vel a ſuis viderit juſſionibus aberraſſe, moderatione utique, caritateque ſemper ſervata, ne quos lucrari volumus, verbis, factiſque exaſperemus.

XII. Alimenta ab alumnis Seminario procul dubio ſunt perſolvenda. Quoad haec autem, quae antiqua & adhuc vigente conſuetudine inducta ſunt, probamus, confirmamus, & praecipimus, nimirum unumquemque alumnorum, vel civitatis, vel dioeceſis debere ſolvere ſcuta monetae Romanae xxv. in ſcholaſticos annos ſingulos. Si convictores recipiantur, qui ad ſtatum eccleſiaſticum non ſunt vocati, ſed ut bonos mores, & ſcientias addiſcant, illa ſummopere

(a) Trident. loc. cit.
(b) S. Congreg. Concilii in Fundana 27. Martii 1689. & in Tricarien. 29. Martii 1736. Bened. XIV. de Syn. lib. 5. cap. 11. num. 5. cum ſeq.

pere adhibeatur cautio, ut potius laici ſpiritum induant eccleſiaſticum, non vero ex eorum contubernio clerici mores diſcant ſaeculares. Verum convictores iſti civitatis, vel dioeceſis tenebuntur ſolvere ſingulis pariter ſcholaſticis annis ſcuta monetae Romanae xxx. Sed tam alumni, quam convictores taxatam annuae ſolutionis quantitatem dabunt anticipate de tribus menſibus in tres menſes. Item quemadmodum primi, pariter ſecundi, cum primo ad Seminarium venerint exſolvere debebunt pro conſumptione utenſilium, & lectuli, pro una vice ſcuta monetae Romanae tria.

XIII. In litteraria paleſtra, quae principaliora ſunt capita, exhibemus. Grammaticae rudimenta clara, & expedita methodo tradantur, ne inutilibus tricis detineantur, & obruantur ingenia ad meliora progreſſura. In humanioribus litteris tradantur praecepta methodice, & culte loquendi. In Rethoricae claſſe, quae ad oratoriam artem, & poeſim pertinent regulae uberrime explicentur, ut alumni in ſacris concionibus, & in explicanda catecheſi, in monitionibus, & inſtructionibus diſcant efficaciam loquendi, & ſimul docere, & movere animos valeant. Ethnicorum auctorum lectio ſit caſtigata, & quidquid inquinare poteſt animum reſecetur, aut omittatur. Philoſophia illa ſit, quae arguere recte, & judicare doceat, non quae ſcite cavillari, litigare, & aliorum obſcurare intellectum inſtruat. Potiora vero, & principalia eſſe debent ſacra ſtudia ſcripturae ſanctae, Theologiae, & morum. Non praetermittatur explicatio Rituum eccleſiae, cantus Gregoriani, & computi eccleſiaſtici, ſive Kalendarii (a).

XV. Singulis annis ante vacationes autumnales coram Nobis, vel ſucceſſoribus noſtris quicumque alumni, & convictores Seminarii interrogantibus examinatoribus ad id deſtinandis, ea quae didicere illius anni tempore, palam facere debebunt. Volumus etiam tunc adeſſe Seminarii deputatos, rectorem, & magiſtros, ſeu lectores. Quo examine peracto conſiliis auditis examinatorum Nos, & ſucceſſores noſtri definiemus, quinam ab inferiori ſtudentium claſſe ad altiorem aſcendere debeant, & quinam ab altiori ad inferiorem redire, & in-

(a) Conc. Rom. Bened. XIII. tit. 30. Conc. Trident. loc. ſupercitat. cap. 1. Junctа conſtit *Creditae Nobis*, &

& inſuper quoniam a Seminario quoque expellendi ſint tamquam *incapaces* eruditionis neceſſariae pro ordinum ſuſceptione.

XV. Statuimus in Seminarii gymnaſio in unoquoque anno publice inſtituendas eſſe bis diſputationes theologicas, ſemel concertationem philoſophicam, & bis humanarum litterarum academiam. Pariter decernimus, ter in anno, ſcilicet in die Circumciſioni Domini, in die Aſcenſionis Domini, & in die translationis S. Magni ab alumnis Seminarii rethoricis recitandas eſſe homilias in eccleſia noſtra cathedrali, proxime poſt evangelium cantatum in miſſa majori.

XVI. Illud etiam cupimus, & indicimus, ut clerici in Seminario degentes, qui jam ſunt provectioris aetatis, & arti oratoriae navarunt operam, familiari ſaltem praedicationi verbi Dei ad uſum Parochorum aſſuefcant, cujus cauſa optimum erit, & nobis gratum, ſi propoſito aliquo ſacro pertractando argumento curabit Magiſter, ut ſacrum ſermonem in publico refectorio recitent aliquando ex cathedra coram Rectore, Magiſtro, & aliis condiſcipulis cum veſte violacea, & bireto; hac quippe ratione ſperamus futurum eſſe, ut aliqui ſaltem eorum dent fructum ſuum in tempore ſuo.

XVII. Sed ſi quos aut ingenio deſtitutos, aut ignavia deſides repererint Magiſtri, & patienter eum illis agant, & durius cum iſtis, ſedulitatem vero cum utriſque ſervent communi ſatis periculo edocti, quia difficultas omnis longo uſu atteritur, fitque grande gaudium agricolae, eum poſt exantlatos labores, inde uberes proferri fructus cernit, ubi vepres antea ſcatebant, & ſpinae. Neque vero nos ſtimulos addere praeteribimus, qui Seminarium ſaepiſſime inviſemus (a).

§. II.

(a) In Synodo Aſſiſienſi Sermattei Lanucci in Synodo tit. 4. cap. 2. tit. 23. Barſanti in Synod. ſeſſ. 3. cap. 7.

§. II.

De Regulis in Seminario ſervandis.

Viam ſapientiae monſtrabo tibi, ducam te per ſemitas aequitatis: quam cum ingreſſus fueris, non arctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum: tene diſciplinam, ne demittas eam, quia ipſa eſt vita tua = Proverbiorum IV. XI. XII. & XIII.

I. QUas pro regimine Seminarii, ejuſque diſciplina condidimus leges, & in manuſcripto libello deſcribere fecimus, ac in Seminario jam publicatas, executioni mandatas eſſe probe ſcimus, has easdem praeſenti hac conſtitutione firmamus; & innovamus, ac confirmamus. Ex iis quaedam notatu digniora hic magis declarare, & ampliare curamus.

II. Alumni, & convictores ſigulis diluculo diebus orationi mentali per horae dimidium vacent: ſingulis pariter diebus miſſae ſacrificio interſint, & ad veſperam per horae quadrans ſenſus, ſermones, & actus examinent, moderatore ſemper aliquo adſtante, neminique ſuper his unquam iudulgente. Confitebuntur quoque ſacramentaliter omnes ſaltem bis in unoquoque menſe & de confeſſarii judicio ſument corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui quidem confeſſarius iis maxime, qui aliquo ſunt ordine initiati, crebriorem corporis Chriſti communionem, & ad quoſque dominicos dies pro ſua poterit prudentia, ac pietate, ſuadere (a).

III. Cujuſcumque generis comoedie, tragediae, ac cujuslibet ſpeciei ſcenicae, & comicae repraeſentationes in Seminario diſtrictiſſime prohibentur; & quamvis noſtrae mentis non ſit honeſtas animorum recreationes, dummodo fiant debitis temporibus, & circumſtantiis, interdicere, interdicimus tamen quoſcumque alearum, & taxillorum ludos.

IV. Rectori potiſſimum, deinde etiam magiſtris, ac praefectis reverentiam, atque obedientiam praeſtabunt Seminarii alumni, & convictores, quaecumque illi dixerint facientes, nihil obloquendo, nihil

(a) Donc. Trident. ſeſſ. 23. cap. 18., & cap. 11.

nihil obſiſtendo, & ſola ad Nos recurrendi, poſtquam paruerint, libertate relicta, ſi quando gravari arbitrarentur.

V. Familiaritates inter ſe non contrahant; ſolent enim eſſe rixarum, vitiorumque ſemina.

VI. Nulli pateat ingreſſus ad ſuperiores aedes Seminarii, ſive dormitoria, nec cum alumnis, & convictoribus colloqui liceat, niſi ad fores Seminarii cum licentia Rectoris, quae numquam concedatur poſt primam noctis horam. Foeminis numquam permittatur ſuperiores ſeminarii partes conſcendere, quocumque ſub praetextu, vel neceſſitate: neque matribus, & conſanguineis alumnorum, & convictorum indulgeatur haec conniventia, ſub graviſſima poena contra quaſcumque foeminas ſepta ſeminarii ingredientes, etiam excommunicationis in ſubſidium imponenda.

VII. In bacchanalibus inhibemus alumnis, & convictoribus redire ad proprias domos, vel conſanguineorum, ne commixti inter gentes diſcant opera eorum, & fiant ipſis ſcandalum. Honeſtae autem eorum recreationi, & neceſſariae exercitationi Nos providebimus.

VIII. Raro admodum infra annum domum propriam, vel conſanguineorum, rarius extraneorum alumni adeant. Si alicui conceſſa fuerit facultas, aſſociatus procedat, & ante noctem revertatur ad Seminarium. Caveat alio divertere pro arbitrio ſuo de loco permiſſo.

IX. Extra Seminarium per vias, & plateas alumni, & convictores clericalem modeſtiam praeſeferant; numquam a conſpectu Praefecti abeant, bini incedant; extraneum neminem ad conſortium, vel colloquendum admittant ſine praedicti Praefecti licentia.

X. Nemo quocumque praetextu etiam ad diem abfuturus audeat a Seminario diſcedere Nobis, vel Vicario noſtro generali inconſultis.

XI. Seminarii noſtri alumni eccleſiae cathedralis ſervitio ſpecialiter ſint addicti; Dominicis aliiſque feſtis diebus de praecepto, & aliis conſuetis in miſſa conventuali, ſive ſolemni, & in veſperi uſque ad completorii finem aſſiſtant. Nobis pontificali apparatu celebrantibus, ſacros ordines conferentibus, vel alias ſacras functiones exercentibus vocati praeſto ſint. Interſint proceſſionibus intervenientе capitulo.

In

In adventu, & quadrageſima ſacris concionibus diebus ſingulis interſint, lectioni quoque theologali, atque caſuum, & ſacrorum Rituum congregationibus.

XII. In feriis autumnalibus, ſi aliquando licentia remeandi ad proprias domos concedatur, revertantur tempore praeſcripto, cum litteris teſtimonialibus proprii Parochi, in cujus parochia morati fuerint, ut Rector Seminarii certus ſit de honeſta converſatione, de Sacramentorum participatione, de doctrinae chriſtianae frequentia, eamque vel docuiſſe, vel explanationi interfuiſſe; alias a Seminario expellantur.

XIII. Qui conſtituti ſunt in Seminario Superiores, officiales, & miniſtri, bonos & exemplares mores induant, & ſuſcepti muneris ſedulam curam ſibi proponant exequendam, ne de negligentia, & incuria in re maximi momenti Deo ſupremo judici, & Nobis rationem reddere teneantur.

XIV. Qui praeſunt, caveant praeſertim, ne introducantur in ſeminarium libri inutiles, & profani, vel ad oblectamentum dumtaxat comparati; eoque magis, ſi peſtes ſint morum.

XV. Omnes, qui de familia ſunt ſeminarii, ſemel in anno, tempore, quo rectori viſum fuerit, per decem dies ſpiritualibus vacent exercitationibus (a).

§. III.

De requiſitis ad tonſuram clericalem.

Miniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus dixit illis Spiritus ſanctus: ſegregate mihi Saulum: & Barnabam in opus, ad quod aſſumpſi eos = Act. Apoſtolorum cap. XIII. ver. XIII.

I. PRimam tonſuram non eſſe ordinem certum eſt, cum nullam ſpiritualem poteſtatem conferat ad miniſterium aliquod eccleſiaſticum obeundum, eamque Tridentina Synodus ab ordinibus diſerte diſtinguat; ſed praeparationem ad ordines accipiendos, meramque ad cultum divinum deputationem. Ut enim homines ad baptiſmum exorciſmis, ad matrimonium ſponſalibus praeparari ſolent, ita cum

(a) Vide tres Synodos dioeceſana ſuperiori §. citatas locis ibi indicatis.

tonſo capillo Deo dedicantur, tamquam aditus ad ordinis Sacramentum illis aperitur, inquit Concilii Tridentini catechiſmus. Tunc primum eis imponitur *Clerici* nomen, quod tamen ſacris omnibus hominibus commune eſt, etiam Presbyteris, & Epiſcopis, ad quos in primis pertinent canones clericis praeſcripti, & in quibus hujus vocabuli ratio conſpici debet. Cum igitur qui ad ſtatus eccleſiaſtici profeſſionem accedere volunt ab exquirenda prima hac tonſura incipere debeant hujus propoſiti, ac deſiderii executionem antequam illa initiari expoſtulent, opus eſt, ut diligenter diſcutiant, an ad hujuſmodi vitae genus, & officium ſint a Deo electi, & vocati.

II. Nos propterea ſupraſcriptum de clericali tonſura titulum expoſituri, de neceſſitate divinae vocationis ad hoc, quod aliquis in clerum allegatur, ſacriſque ordinibus initietur, nonnulla dicere cogimur, quae ſi a dioeceſanis noſtris attente fuerint conſiderata, nonniſi pauci ex eis eccleſiae miniſtris aggregari flagitabunt, & hi ſacerdotalis oneris, & honoris capaces, & digni invenientur, id quod ardenter deſideramus.

III. Quare annunciamus omnibus, neminem ad ſacerdotium conſequendum licite cooperari poſſe uſquedum ei deficiet rationabilis fiducia, qua ſperet, & credat, ſe ad hanc dignitatem caelitus fuiſſe vocatum. Chriſtus enim Dominus Apoſtolis ſuis ait = *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos* (a) = *Nec quiſquam*, inquit Paulus, *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (b). Sane Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum = *Filius meus es tu* = Hinc Apoſtoli in locum Judae proditoris Apoſtolum ſuffecturi Deum ita precati ſunt = *Tu, Domine, oſtende, quem elegeris* (c). = *Nemo ingreditur ad regales nuptias, niſi quos Paterfamilias invitavit* (d). = *Chriſtus oſtium ovium eſt*, (e) = *ut ipſemet docet*. = *Qui non intrat per oſtium in ovile ovium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt; & latro: qui autem intrat pro oſtium, Paſtor eſt ovium: huic oſtiarius aperit, & oves vocem ejus audiunt*, = *quia ipſe voci Chriſti paruit*. Ideoque nihil a Deo amplius requirendum cenſet S. Zeno Veronenſis Epiſ-

(a) Joan. cap. 6.
(b) Ad Hebr. cap. 5.
(c) Actor. cap. 1.
(d) Matth. cap. 22.
(e) Johann. cap. 10.

Epiſcopus (a) quam = *ut quis ejus noverit voluntatem, ſine qua ei nec legitime ſervire poterit, nec placere* = Quod ſi olim ab Aſſuero Perſarum Rege conſtitutum legimus (b), ut qui ſive mulier, ſive vir non vocatus atrium Regis introiret, abſque ulla cunctatione, aut indulgentiae ſpe ſtatim interficeretur, quantis putas damnandum poenis, qui abſque caeleſti vocatione eccleſiaſticam profeſſionem invadit, & ordinationis gratiam ſuffuratur? Si nemo terreni cujuslibet reguli, eo non praecipiente, & vocante, occupare miniſteria, praeripere beneficia, negotia diſpenſare audet, quantae temeritatis rei ſunt qui in ſacrum miniſterium abſque Dei vocatione interna, & externa legitimorum eccleſiae Praelatorum ſe ipſos arroganter inſerunt, atque intrudunt? De his quoque illud Jeremiae (c) intelligimus = *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant.* = *Quo quidem hominum genere* (inquit catechiſmus Concilii Tridentini) *nihil infelicius, ac miſerius, nihil eccleſiae calamitoſius eſſe poteſt.*

IV. Hoc non poteſt melius exprimi, quam ſequentibus Fortunati verbis = *Gravat ſacerdos ordinem, qui Epiſcopatum ſic petit: praecepta qui complectitur, fugit honoris ambitum: hoc ſi cui ſit debitum, coactus aſcendat gradum, non ſe petente callide, ſed dante Chriſti munere. Ineptus eſt qui ſanctae ſe praeferre vult eccleſiae: nam rem ſacratam ſumere electio divina eſt. Clarus ſacerdos ordinem Hilarius non ambiit, Martinus illum effugit, Gregorius vix ſuſtulit. Leges refutant ambitum; invaſor omnis pellitur; quod reſpuunt praetoria, vitat nefas eccleſia* (d). Profecto una ſemper fuit, & communis omnium patrum ſententia, illos eſſe ſacerdotio indignos, qui tremendam ſacerdotii dignitatem ultro capeſſerent. = *Quid miſeris illis dixeris*, ait Chryſoſtomus (e), *qui ſe conjiciunt in tantam abyſſum ſuppliciorum? Omnium quos regis mulierum, ac virorum, & puerorum a te reddenda ratio eſt, tamquam igni caput tuum ſubjicis. Mirum an fieri poſſit, ut ſalvus fiat aliquis ex rectoribus, quum videam poſt mimos, & praeſentem ſocordiam aliquos adhuc accurrentes, & ſe conjicientes in*

(a) S. Zeno Veron. ſerm. 2. de Nativit. Chriſti.
(b) Eſther. cap. 4.
(c) Jerem. cap. 23.
(d) Fortunat. lib. 1. Poematum, c. 16.
(e) S. Johan. Chryſoſt. hom. 34. in epiſt. ad Hebr.

tantam molem administrationis. Nam si ii, qui necessitate trahuntur, non habent quo confugiant, & quo se excusent, si rem male administraverint, & sint negligentes, quanto magis ii, qui in hoc suum studium ponunt, & in id irruunt? Timere enim oportet, & contremiscere, & propter conscientiam, & propter molem imperii, & neque si trahantur, semel recusare. = Non solum ergo in sacerdotium irruere non debemus, sed neque si trahimur, semel tantum debemus recusare, sed magis fugere, ut ibidem prosequitur laudatus Doctor, = *praevidentes magnitudinem dignitatis = adeo ut, ne coacti quidem sacerdotium suscipiamus, si illi ferendo impares nos esse cognoscimus.* = *Dicere arbitror* (a) inquit alibi idem S. Doctor, *ut si te eo sexcenti vocent, atque adeo cogant, non illos spectare, verum animi tui dotes primum examinare, viresque tuas omnes exacte perscrutari, atque ita demum cogentibus cedere. Jam domum se aliquam aedificaturum policeri nemo audeat, qui idem architectus non sit, neque aegrotantia contingere corpora quisquam aggrediatur, qui medicinam non didicerit.* = Chrysostomo succinit S. Gregorius, dum ait, quod ad Sacerdotium *indignus nec coactus accedat.* Succinit Avitus Viennensis, juxta quem = *Placere Deo penitus nequit, qui usque ad sui electionem sibi ipsi placuerit.*

V. Divinae autem vocationis varia sunt indicia. Primum est conscientiae puritas, & anteactae vitae innocentia seu vera poenitentia: alterum ecclesiasticae disciplinae studium, amorque, & a saeculi moribus, ac vanitatibus alienatio: tertium recta intentio, seu finis bonitas, ob quem aliquis clericali militiae dat nomen, vel ad sacram ordinationem accedit. Si enim aliquis liber ab omni terreno affectu, vacuus ab omni gloriae cupiditate, expers omnis ambitionis, & avaritiae ad clerum, Deo serviendi causa, & salutis populi procurandae gratia solum se conferat, digitus Dei hic est, dextera Domini facit virtutem; dextera Domini ipsum exaltat.

VI. Sed si rapit ambitio, si invitat avaritia, si otiositas allicit, si domesticae curae impatientia inducit, divinam ad clericatum, & ad sacros ordines vocationem deesse, haec argumenta sunt. Qua de perversitate intentionis Concilii catechismus haec habet = *Alii eo con-*

(a) Idem S. Johan. Chrysost. de Sacerdotio, lib. 4. cap. 1.

consilio ad hanc vivendi rationem se convertunt, ut quae ad victum, vestitumque necessaria sunt, parent, ita ut praeter quaestum, nihil aliud in sacerdotio, quemadmodum vulgo ceteri omnes in quovis sordidi artificii genere, spectare videantur. Quamvis enim ex Apostoli sententia, natura, & divina lex jubeat, ut qui altari servit, ex altari vivat, tamen quaestus, & lucri causa ad altare accedere, maximum sacrilegium est. Alios honorum cupiditas, & ambitio ad sacerdotalem ordinem ducit. Alii vero, ut divitiis affluant, initiari volunt, cujus quidem rei illud argumentum est, quod nisi opulentum aliquod ecclesiasticum beneficium iis deferatur, nullum sacri ordinis cogitationem habent. Hi vero sunt, quos Salvator noster mercenarios appellat (a), *& quos* Ezechiel *dicebat, semetipsos, & non oves pascere* (b), = quorum turpitudo, & improbitas non solum sacerdotali ordini magnas tenebras offundit, ita ut jam nihil fere a fideli populo haberi possit contemptius, & abjectius, verum etiam efficit, ut ipsi nihil amplius ex sacerdotio consequantur, quam Judas ex apostolatus munere, quod illi sempiternum exitium attulit. Illi autem per ostium ecclesiam introire merito dicuntur qui a Deo legitime vocati ecclesiastica munera ejus unius rei causa suscipiunt, ut Dei honori inserviant.

VII. Quia de re S. Bernardus seu potius Gaufridus Abbas IV. Claravallensis (c) ex verbis Sancti Bernardi praeclare scribit = *Videte vocationem vestram* (d) *ait vocatus Apostolus. Consideremus & nos, an vocati venerimus, & vocati a Deo, cujus nimirum haec vocatio est. Nec communem modo vocationem dixerim, qua sane juxta eumdem Apostolum* (e) „ *Quos praedestinavit, hos & vocavit.* „ *Sed quis vocaverit nos in honorem cleri, convenire velim conscientias singulorum, ut secundum praeceptum Domini ad cor Jerusalem loquar. Huic enim parvulo adhuc, aut forsitan necdum nato ecclesiastica jam beneficia provida sane parentum sollicitudo parabat: hunc nos, illi, vel illi trademus Episcopo, apud quem habemus gratiae locum, aut cui forte servivimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot liberos nostra dividatur haereditas. Illum*

(a) Johannis, cap. 10.
(b) Ezech. cap. 34.
(c) Declamat. in Evangel. *Ecce non reliquimus omnia.*
(d) 1. Ad Corinth. cap. 1.
(e) Ad Rom. cap. 8.

lum Praepoſitus, aut Decanus, ut ſibi ſuccederet, pluſquam materno educavit affectu, in deliciis enutriens, & delictis. Ille dignus archidiaconatu, utpote filius Principis; magis autem, ſi ſit Epiſcopi conſobrinus, in quo nimirum tota eſt epiſcopata progenies. Alius undique circuit ſedulus explorator, blanditur, obſequitur, ſimulat, & diſſimulat, miſeraque ſibi ſuffragia mendicare non erubeſcit, manibus, & pedibus repens, ſi quo modo tandem aliquando ſe ingerere queat in patrimonium crucifixi, & bona Domini, quae ſola ex omnibus hodie inveniuntur expoſita. Quis ea intentione gradus eccleſiaſticos, & miniſteria ſanctuarii quaerit, imo quaeritur (quaeri nempe, quam quaerere ipſe debuerat), ut ſine curis ſaeculi in ſanctimonia cordis, & corporis illuminandus accedat ad Dominum, & ſuam pariter, ac proximorum operetur ſalutem orationis ſtudio deditus, & verbo praedicationis? Nam ſi eo quaerit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut huic vitae habeat neceſſaria, evangelizat, ut manducet, & perverſo nimis ordine caeleſtibus terrena mercatur. Quam certe dignius, ampliuſque conſentaneum rationi, ut pro carnali victu carnalia magis opera, & negotia exerceret, nec fieret inverſor rerum, aut inhonoraret miniſterium ſpirituale? Sed modico eſt natura contenta, nec multi ſola neceſſaria quaerunt, quippe minora facili ſatis obtinenda periculo. Honorati incidere volunt placere ſtudent hominibus, delectari, & ſuperbire, & huic ſaeculo per omnia conformari. Audi quaerelas Domini quid ſuper hac tanta hominum temeritate loquatur patiens redditor, poenitentiam cupiens, quam vindictam. Ipſi, inquit, *regnaverunt, & non ex me* (a). *Principes extiterunt, & non vocavi eos: univerſos ſiquidem in ordinibus eccleſiaſticis ceteriſque ad Sanctuarium pertinentibus honorem quaerentes proprium, aut divitias, ſeu corporis voluptatem, poſtremo quae ſua ſunt, non quae Jeſu Chriſti manifeſte prorſus, & indubitanter. Non ea, quae Deus eſt, caritas, ſed aliena Deo, & omnium radix malorum cupiditas, introducit. Quid iſtud temeritatis, immo quid inſaniae eſt? Ubi timor Dei ſub mortis memoria? Ubi gehennae metus, & terribilis expectatio illa judicii? Sponſa nec cubiculum, nec cellam ingredi, niſi*

(a) Oſeae, cap. 8.

niſi Rege introducente, praeſumit; Tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus: „ *Trahe me poſt te ait* (a) *illa, in odorem unguentorum tuorum curremus* „: *Nunc autem trahit ſuaquemque voluptas, & odorem turpis lucri ſectantes* (b) *quaeſtum aeſtimant pietatem, quorum certa eſt damnatio.*

VIII. Volumus itaque conſideranda quae diximus proponantur adoleſcentibus, qui de ſtatus electione deliberare debent, tum ab eorum ludi magiſtris tum a confeſſariis, & propriis Parochis: & interea in omnium notitiam deducimus conſilium noſtrum, quo tamquam indignos ab altaris ſervitio repellere ſtatuimus eos, de quibus moraliter certi eſſe non poterimus, quod ad clericatum ſint a Deo vocati (c).

§. IV.

De requiſitis ad ſuſceptionem ordinum.

Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes: habentes myſterium fidei, in conſcientia pura. Et hi autem probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Ad Timoth. I. cap. III. verſ. VIII. *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quae deſunt, corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi: ſi quis ſine crimine eſt.* Ad Titum cap. I. verſ. V., & VI.

I. DUplici experimento probandi erunt, qui ordines petent; unum mores inſpiciens, alterum ſcientiam. Ad primum quod attinet, neminem Nos promoturos eſſe ad ordines praeſertim ſacros manifeſtamus, niſi qui vel innocenter vixerit, vel occultas prioris vitae maculas diuturna poenitentia diluerit. Hanc inviolabiliter ſervandam didicimus regulam a ſanctis Patribus Gregorio Nazianzeno (d), Hieronymo (e), Auguſtino (f), Hiſidoro Hiſpalenſi,

(a) Canticor. cap. 1.
(b) Ad Timoth. 6.
(c) Vide Natalem ab Alexandro lib. 2. de Sacramento ordinis cap. 3. art. 3. reg. 18. Vide & Theologiam mentis, & cordis lib. 11. part. 4. diſſert. 2. cap. 2. propoſit. 3.
(d) S. Gregor. Nazianz. Orat. I.
(e) S. Hieron. in cap. I. ep. ad Timoth.
(f) S. Auguſt. tract. 41. in Johan. §. 10.

lenſi (a), Bernardo (b), & praecipue a ſancto Gregorio Magno (c) dicente: = *Ille modis omnibus debet ad exemplum viventi pertrahi, qui cunctis carnis paſſionibus moriens, jam ſpiritualiter vivit, qui proſpera mundi poſtpoſuit; qui nulla adverſa pertimeſcit, qui ſola aeterna deſiderat, cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat ſpiritus, qui ad aliena capienda non ducitur, ſed propria largitur, qui per pietatis viſcera citius ad ignoſcendum flectitur, ſed nuſquam pluſquam deceat ignoſcens, ab arce rectitudinis inclinatur, qui nulla illicita perpetrat, ſed perpetrata ab aliis ut propria deplorat, qui ex affectu cordis alienae infirmitati compatitur, ſicque in bonis proximi ſicut in ſuis profectibus, laetatur, qui ita ſe imitabilem ceteris in cunctis, quae agit, inſinuat, ut inter eos non habeat, quod ſaltem de tranſactis erubeſcat, qui ſic ſtudet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinae valeat fluentis irrigare, qui orationis uſu, & experimento jam didicit, quod obtinere a Domino quae poposcerit, poſſit ... Si enim fortaſſe quis veniat, ut proſe ad intercedendum nos apud potentem quemdam virum, qui ſibi notus, nobis vero eſt incognitus ducat, protinus reſpondemus, ad intercedendum venire non poſſumus, quia familiaritatis ejus notitiam non habemus.* Si ergo homo apud hominem *de quo minime praeſumit, fieri interceſſor erubeſcit, qua mente apud Deum interceſſionis locum pro populo arripit, qui familiarem ſe ejus gratiae eſſe per vitae meritum neſcit? Aut ab eo quomodo aliis veniam poſtulat, qui utrum ſit placatus ignorat? Qua in re adhuc aliud eſt ſollicitius formidandum, ne qui placare poſſe iram creditur, hanc ipſe ex proprio reatu mereatur. Cuncti enim liquido novimus, quia cum is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur* =. Et *cap.* 11. (d) poſtquam defectus, & vitia corporis recenſet, quae a ſacerdotio in veteri lege arcebant, quorum defectuum unumquemque ibidem moraliter explicat, ita ſuam illam expoſitionem concludit = *Quiſquis igitur quolibet horum*

(a) S. Iſidor. Hiſpal. lib. 3. Sententiar. cap. 31., & lib. 2. de Officiis Eccleſiaſticis, cap. 5.

(b) S. Bernard. tract. de Converſione ad Clericos, cap. 19.

(c) S. Gregor. Magn. in Regula Paſtorali, par. 1. cap. 10.

(d) Ejuſdem primae partis.

horum vitio ſubigitur , panes Domino offerre prohibetur . Ne profecto diluere aliena delicta , quem adhuc propria devaſtant = .

II. At non ſolum vitiis foedati homines , verum etiam qui agreſti ſunt ingenio , & litterarum ignari , atque incapaces , ad ordinationem eccleſiaſticam nequaquam ſunt admittendi = *Si enim in laicis vix tolerabilis videtur inſcitia , quanto magis in iis qui praeſunt , nec excuſatione digna eſt , nec venia* = (a) . Ordinandorum autem ſcientia probari debet, ac tentari pro ratione ordinum , ad quos promovendi ſunt , & locorum , quo mittuntur , pro ingenii captu , & doctrinae genere , quam profitentur . In quolibet actu hominis , docet S. Thomas (b) , ſi debeat eſſe ordinatus, oportet, quod adſit directio rationis . Unde ad hoc , quod homo ordinis officium exequatur, oportet,quod habeat tantum de ſcientia,quod ſufficiat ad hoc quod dirigatur in actu illius ordinis.Itaque ſcientia,quae requiritur in eo, qui ad ordines promoveri debet, non talis eſſe debet, quod univerſaliter in tota Scriptura ſit inſtructus ; ſed plus , & minus ſecundum quod ad plura , vel pauciora ſe ejus officium extendit , ut ſcilicet illi,qui aliis praeponuntur, curam animarum ſuſcipientes ſciant praecipue ea , quae ad doctrinam fidei , & morum pertinent , & alii ſciant ea, quae ad poteſtatem , & exercitium ſui ordinis ſpectant .

III. De ſcientia vero Sacerdotibus neceſſaria praeclare ſcribit S. Iſidorus Hiſpalenſis (c) : = *Sicut iniqui , & peccatores* , inquit , *miniſterium ſacerdotale aſſequi prohibentur , ita indocti , & imperiti a tali officio retrahuntur . Illi enim exemplis vitam bonorum corrumpunt . Iſti vero ſua ignavia iniquos corrigere nequeunt . Quomodo docere poterunt , quod ipſi non didicerunt ? Deſtinat locum docendi ſuſcipere , qui neſcit docere . . . . . Coecus enim , ſi coeco ducatum praebuerit , ambo in foveam cadunt* = (d). Eadem habet S. Gregorius Magnus in Regul. paſtor. par. 1. cap 1.

IV. Nec eſt , quod aliquis ſcientiae dotem in eo non ita severe dicat exigendam , qui praesbyteratum hoc tantum fine petat , ut cantui , lectioni , vel orationi vacet , cui nec populi docendi , nec regendi voluntas ſit . Primo enim quis ſpondere audeat eum, qui

(a) C. *Si in laicis* 3. diſt.38.
(b) S.Thom. in 4.ſent. diſt.24.qu.1. art.3. quaeſtiuncula 2.
(c) S. Iſidor. Hiſpal. lib. 3. ſentent. cap.35.
(d) Matth. cap.15.

ante ordinationem talia promiserit, postea non omnem moturum lapidem, ut sacramentorum administrandorum completa potestas sibi detur, aut animarum cura demandetur? Quo argumento conjiciet, ipsum non temere de mysteriis divinis verba facturum? Indocta responsa, noxa consilia, dogmata erronea non propalaturum, quae in totius ordinis dedecus vergant, & perniciem populi? Secundo, quis ferat, Presbyterum ordinari, ut sibi tantum vacet, non aliis? Quod enim Christiani sumus, propter nos est; quod Presbyteri, propter alios. Hoc sacerdotalis ordinis ratio, & hoc potestatis pro populo instituta dignitas, hoc & vetus ecclesiae disciplina, quae inutiles, otiosos, nullam populi Christiani curam habentes presbyteros vix patiebatur, hoc & institutio Christi & Apostolorum traditio docet, quibus constat, presbyteros ad populi utilitatem, & sacramentorum administrationem primum institutos, tamquam indecorum, & inordinatum rejiciunt.

V. Hinc, ne in ordinandis a Nobis praedicta duo requisita, bonae vitae, & scientiae deficiant, constituimus, ut quicumque ad ordines sive minores, sive majores promoveri voluerit, debeat hoc sui desiderium suppliciter nobis in scriptis exponere statim post festum Epiphaniae Domini. Ex tunc usque ad feriam quartam Cinerum quatuor scrutatores, ad id a Nobis deputandi, de illius moribus diligentissime inquirent, & sabbatho praecedente primam Dominicam in Quadragesima coram Nobis congregati quidquid resciverint testabuntur. Relationibus, & consiliis scrutatorum auditis deliberabimus, an sit qui ordinationem petiit, ea dignus: & si nullam dixerimus adesse causam quoad mores rejiciendi postulantis preces, supererit, ut certos Nos faciat de sufficientia doctrinae: Hinc in die aliqua destinanda a Nobis primae, vel secundae Quadragesimae hebdomadae interrogandus coram Nobis se sistet a tribus per Nos delectis examinatoribus, qui secretis suffragiis proprium dabunt judicium de examinati peritia, vel ignorantia. Quod si adprobatum fuisse evenerit, indicabimus ei, ut praemissa spiritualium exercitiorum praeparatione se disponat ad ordinem recipiendum in Sabbatho, *Sitientes*, qua dumtaxat die generalem ordinationem quotannis solemniter celebrare decrevimus.

VI. Item sanctiones nostras *in edicto generali de sacra ordinatione*

tione emanato ſub die III. Januarii elapſi anni MDCCLXXIX. hic innovandas, & confirmandas ducimus, eiſque ſynodalis decreti robur adjicimus, & hujus edicti exemplar in appendice harum ſynodalium conſtitutionum apponendum eſſe mandamus num. 11. Quare firmum in dioeceſi noſtra remanebit, conſolidatumque quidquid in memorato edicto praeſcripſimus, tum de vero, & legitimo conſtituendo patrimonio ab iis, qui ad ſubdiaconatus ordinem ſunt promovendi, tum de ſtudio theologiae antecedenter faciendo, ſive unius anni tempore pro conſequenda ordinatione in ſubdiaconum, ſive duorum annorum pro diaconatu, ſive trium annorum pro presbyteratu, tum denique de exhibendis aliis quamplutimis documentis in noſtra Epiſcopali cancellaria conſervandis (a).

§. V.

De vita, & honeſtate clericorum.

Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere. Mundamini qui fertis vaſa Domini. Iſaiae cap. 12. verſ. 11.

I. QUanto quis honoris gradu, atque dignitate praeſtat, tanto ceteris omni virtutum genere debet excellere. Ejus enim vita omnium oculis ſic expoſita eſt, ut inde bene, vel male vivendi communitet exempla duci ſoleant: ex quo ut vitioſi Principes, ſic flagitioſi Sacerdotes pernicioſe de republica merentur, quod non ſolum vitia conſpiciunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem. Efficiunt inſuper ut ipſorum dignitas, per ſe praeclara atque laudabilis, odio, atque contemptui apud impium, vel malitioſum hominum genus habeatur. Ideoque clerici, qui in ſortem Domini vocati ſunt, non ſolum ab omnium vitiorum turpitudine abeſſe, ſed etiam omnium virtutum genere ornari debent, = *ſpectaculum facti*, ut ait Apoſtolus, *mundo, Angelis, & hominibus, nemini dantes ullam offenſionem, ne vituperetur ipſorum miniſterium, ſed in omnibus exhibentes ſemetipſos, ſicut Dei miniſtros* =. Verba ſunt Concilii Burdigalenſis anni MDLXXXII. celebrati.

(a) Vide Natalem ab Alexandro loco ſup. cit. reg. 19., & 22.

II. Turpe autem ſemper viſum eſt, mancipatos Deo, & quibus veſcantur, habentes, & quibus tegantur, lucris temporalibus inhiare, & implicare ſe negotiis ſaecularibus, cum potius, ubi aliquid deeſſet, labore manuum, quaerere, indeque etiam eleemoſynam dare, Apoſtoli exemplo, deberent. Omnem igitur veraenegotiationis ſpeciem nomine proprio, vel alieno, & ſub quocumque colore, vel praetextu, ſive per ſe, ſive per interpoſitam perſonam exercere clericis interdicimus ſub poenis in ſacris canonibus, & Apoſtolicis Conſtitutionibus pluries innovatis (a); quas ad *cambia* pariter *activa* praeſenti decreto extendimus. Inſuper ſub iiſdem poenis praecipimus (b), ut quodcumque negotium ſibi viahaereditaris acceſſerit, aut quocumque alio titulo ſpectaverit, ſive ſeparatim exercendum, ſive unitim cum aliis, ſtatim dimittere teneantur, niſi gravis damni impediendi cauſa, ultra duos menſes, quos dimiſſioni, hujuſmodi caſu eveniente, permittimus, aut niſi quiddam amplius ab Apoſtolica Sede indulgeatur, ſaeculari tamen perſona ad ill us curam ſemper ac ſtatim aſſumpta.

III. Laicorum pariter obſequia, abjectaque ſervitia prorſus devitent, & ipſorum negotiis adminiſtrandis, curandiſve ſive aliqua, ſive nulla pacta mercede nullatenus ſe obſtringant. Quod ſi ſuae dignitatis immemores quicquam horum quomodolibet paciſci audeant, poenis etiam pecuniariis mulctandos indicimus: quas pariter ſubibunt, ſi ſuorum aliquando conſanguineorum neceſſitatibus opem allaturi quicquam minus honeſtum, aut dedecens perficiant, aut negotiationem ſapiens, Sedis Apoſtolicae ad id beneplacito a Nobis ſemper arbitrio, prudentiaque moderando, nondum obtento. Inipſa quoque bonorum ſuorum adminiſtratione, eorumque cultura, in diſtractione fructuum, animalium, & ceterorum, quae in propriis eccleſiae fundis enaſcuntur, ſive aluntur, necnon in comparan-

(a) C. *Multa* 1. *Ne Cler. vel Monachi*. C. *Decrevit* 1. C. *Conſequens* 2. C. *Inutile* 8. C. *Negotiatorem* 9. C. *Forniſari* 10. diſt. 88. C. *Clerici* 15. de vita, & honeſt. Clericor. C. *Clericus* 1. cauſa 21. q. 1., & Concil. Trident. ſeſſ. 22. c. 1. de reform. Bened. XIV. non ſolum de Synodo dioec. lib. 10. cap. 6., ſed & Conſtit. *Apoſtolicae ſervitutis* 13. tomo 1. ſui Bullar. Clem. XIII. Conſt. *Cum primum*.

(b) Xempe, *ſuſpenſionis*. C. *Sed nec pro curationes* 4. Ne Clerici, vel Monachi *ex communionis*. C. *Negotiatorem* 9. diſt. 88. *Degredationis*. C. *Clericus* 4. diſt. 91. juncta Gloſſa: & *Spolii*. Pius IV. Conſt. *Decens* 19.

randis rebus, quae vel ad proprios uſus, vel ad fundos praedictos ſunt neceſſaria, videant attente, ne ullis in decoris actibus eccleſiaſtici ordinis exiſtimationem polluant, ſeu reverentiam minuant. Nundinis idcirco, & mercatibus, aliiſque ſimilibus ne ſe tradant, vel hac ſynodali actione prohibiti, eaſdem ſuperius poenas incurſuri, ſi illic aliquando ſubſtitiſſe comperiantur venditionibus intenti (a).

IV. Medicinam quoque, & chirurgicam artem ne exerceant (b), neque laicali judicio ſe ſiſtant (c), aut in tribunalibus laicis cauſas agant, niſi pro ſe ipſis aliquando, vel ſuis eccleſiis, aut neceſſitate urgente pro conjunctis perſonis, aliiſve miſerabilibus a Nobis permittantur (d): quorum pariter tutelam ſive *teſtamentariam*, ſive *dativam* de Noſtra, vel Apoſtolicae Sedis licentia ſubire poterunt (e); numquam tamen extraneorum (f), diſtrictam Nobis rationem, & poenas ex voluntate noſtra, etiam pecuniarias aliter daturi: quas & provocantibus ad laicale tribunal in cauſis criminalibus in ſumma ſcutorum quinquaginta praeſenti conſtitutione edicimus (g). Cum inſuper magnopere deceat clericos ea tantum, quae pacis ſunt, fovere, atque ſectari, ſub poenis arbitrio noſtro ſtatuendis, & infligendis dioeceſis noſtrae clericis univerſis inhibemus ullo umquam modo ſeſe ingerere in cauſis ad quolibet forum contentioſum deductis, ſive deducendis, ſubſcriptione praeſertim proprii nominis in ſupplicibus libellis, ſive geſtarum, vel gerendarum rerum teſtificationibus. Id autem eis licebit noſtra accedente licentia, quam minime ſumus denegaturi, quotieſcumque circumſtantiarum ſerie mature perſpecta, noverimus, hoc ad publicam utilitatem conferre poſſe, vel juſtitiae, aut caritatis officiis convenire.

V. Et quia non ſolum malum cavere, verum etiam omnem mali

(a) In praecitata Conſt. Clem. XIII.

(b) Cap. *Sententiam* 9. arg. cap. 11. *Multa ſunt negotia*; *ne Clerici, vel Monachi* cap. 11. *Tua nos* 18. *De homicidio*. C. *Ad aures* 7. de aetate, & qualitate, & ord. praeficiend.

(c) Ex cap. 12. *De diligenti*, de foro compet.

(d) Cap. *Quia Epiſcopus* cauſa 5. qu. 3. C. *Nullus* cauſa 11. qu. 1. C. *Clerici* 11. de poſtulando cap. 11. *Cum Sacerdotis ſit officium*; 3. eodem titulo.

(e) Ex cap. *Pervenit*; 26. diſt. 86. „ & C. *Licet*; 1. & C. *Defenſionis*, 2. diſt. 87.

(f) Rot. par. 4. tom. 2. recent. deciſ. 116. n. 18. Cong. Epiſc. in Salernit. 24. Junii 1619., & in Theleſina 30. Maii 1626., & 13. Julii 1648. dempto ſpeciali indulto.

(g) Sermattei in Syn. an. 1763.

mali ſuſpicionem fugere oportet, ne in cujuſpiam offenſionem incurramus, idcirco feminarum conſortia, & familiaritates a clericis vitandas praecipimus, nec ullas domi retinendas, quae tertio ſaltem conſanguinitatis, vel ſecundo affinitatis gradu conjunctae non ſint. Ceterarum, ſi quando neceſſitas, vel caritas urgeat, nomina ad Nos deferri jubentes, ut quod clericorum honeſtati conſentaneum fuerit, gratis utique facienda licentia concedamus (a).

VI. Choreas quoque, ſpectacula, & convivia publica, vel in ſuorum nuptiis conſanguineorum declinent, ne ob luxum, petulantiamque eorum eccleſiaſticum nomen male oleat. Mimis, hiſtrionibus, jaculatoribus, ne intendant (b); comoedias, & repraeſentationes quaſcumque ne peragant. Quod ſi profanas agere, vel his impudenter adeſſe auſi fuerint, ſciant ſe excommunicationis poena dignos factos fuiſſe (prout ſtatuitur textu expreſſo in capite *Clerici officia* 15. de vita, & honeſt. cleric.); cujuſque quoque excommunicationis poena reos ſe facient, ſi larvati, vel ipſo bacchanaliorum tempore incedere, praeſumpſerint; ſicuti *ſacra Concilii Congregatio declaravit in Mantuana* 10. *Aprilis* 1645.

VII. Vetitis ludis, qui a ſorte maxime pendent, quales ſunt alearum, taxillorum, atque hujus generis aliorum, clericis omnibus ſub graviſſimis poenis etiam cenſurarum vacare ſtricte inhibemus, eiſque domum ad hujuſmodi agendos ludos commodare, aut eorum quomodolibet participes, vel ſpectatores eſſe omnino vetamus; in commodantes domum penam ſtatuentes quinque ſcutorum, in reliquos, unius ſcuti pro prima vice, pro aliis vero vicibus arbitrio noſtro augendam (c). Aliquo tamen honeſto ludo per modicum tempus, & citra divini cultus dispendium animum relaxare ſibi permiſſum non ambigimus; modo hujus generis ludos agant intra domeſticos lares, numquam vero publicis in locis, foris, tonſtrinis, aromatum tabernis, atque aliis id genus officinis, ſub poena ſcutorum decem, atque aliis majoribus Nobis beneviſis.

(a) Bened.XIV. de Syn.lib.11.cap.4. n.4., & ſeq., & Inſtit.83. in Syn.Rom. *de vita, & honeſtate Cleric.* cap.3.

(b) Conc. Mogunt. an.411. 74. Mediolan. 1. Prov. par. 2. C. *His igitur* diſt.23. „ C. *Non oportet* diſt.5. de conſecratione, Conc. Trid. ſeſſ.22. cap. 1. de reform. Sac. Cong. Epiſc. in Ferrar. 5. Febr. 1585.

(c) Can. *Epiſcopus* diſt.35. cap. *Clerici offic.* de vit., & honeſt. Cler. Conc. Trid. loc.ſup.cit. Conc.Rom. an.1725. tit.16. cap.3.

viſis (a). Eos porro, qui in publico cum laicis pila, jactuve diſci, vulgo *alla Ruzzola*, hiſque ſimilibus luſerint, ſex juliorum poena, majorique pro arbitrio noſtro mulctabimus (b).

VIII. Utque clerici per decentiam habitus exterioris interiorem morum honeſtatem oſtendant, veſtes proprio congruentes ordini, eos continuo geſtare volumus, quae nihil novitatis praeſeferant, aut ſuperfluitatis, vanitatiſve, nec ſuperbiam redoleant, ſeu vanam gloriam (c), vel in dedecus eccleſiaſtici ordinis nimis abjectam negligentiam, & affectatas ſordes. In omni veſtitu colorem tantum nigrum adhibeant (d), ne alba tibialia, aut calamicam vulgo *Scuffiotto*, vel lineum pileolum vulgo *Berrettino della notte* publice deferant (e), neque breviorem veſtem vulgo *Giuſtacore* quocumque publico in loco induant, quae nigri coloris non ſit (f) ſub poena ſcutorum decem, aliiſque Nobis beneviſis; quamvis illam alterius coloris, modeſti tamen, ac decentis (ex quo eos eccleſiaſtici ordinis homines eſſe agnoſci facile poſſit) ſibi vere itinerantibus dumtaxat, permitti poſſe non ambigamus. Volumus inſuper, & ſtricte praecipimus, ut diebus feſtis de mane uſque poſt veſperas pro ſacerdotibus, aliiſque in ſacris ordinibus conſtitutis, necnon pro his, qui in minoribus ordinibus beneficia eccleſiaſtica poſſident, veſtes, ut jam ſtatutum eſt, nigri coloris ſint talares, & orbiculis ubique clauſis, non vero a parte anteriori indecenter apertae; diebus etiam pro feſtis nemo ſacerdotum, aut ſacris ordinibus aliis initiatus ingrediatur eccleſiam, vel egrediatur ab eccleſia ſine veſte talari, vel cum pallio, niſi nigri coloris, pro Miſſae celebratione, & aſſiſtentia in divinis officiis, vel in eccleſiaſticis etiam funeralibus in choro, vel extra chorum, quocumque motivo vel praetextu remoto ſub poenis quas arbitrio noſtro reſervamus (g).

Pallium

(a) Conc.Mediol.1.4. p.2. tit. de negotiatione a Cleric. fugient. §. *Si autem*.

(b) Toſi in Syn. pag.146. In Synod. Anagnina Baſſi pag.72.

(c) S.Bernard. de modo bene vivendi ſerm.6. S.Carolus in Conc.Mediol.1. p.2. tit. de Cler. veſtitu, §. *Ne in habitu*.

(d) In Conc. Mediol. cit.loc. Bened. XIV. de Syn. lib,11. cap.8. n.3., & in Synodo Emi De le Lanze ann. 1752. cap. 13. n.9. ubi clericis habitu non nigri coloris utentibus poena indicitur ſuſpenſionis duorum menſium.

(e) Clement. de vit., & honeſt. cleric. ibi Gloſſa V. *Lineum*.

(f) Clem.XI. in edicto urbis 8.Dec. 1706., & Bened. XIII. in edicto urbis 20. Dec.1724. §.4.

(g) In pluribus dioeceſanis Synodis, ac editis. In edicto Tenderini 8. Sept. 1737.

Pallium vero, non tamen manicatum, alterius ſubnigri coloris, ut hyemis, vel pluviae tempore adhibeant, modo veſtitus interior niger omnino ſit, indulgemus, prout indulſit Emus Bufalini in ſua Synodo Anconitana par. 1. tit. 1. V. *Pallium*. In itinere autem, & in egreſſu, & regreſſu quamvis indulgeamus veſtem, & pallium coloris ſubobſcuri, vetamus nihilominus quaecumque ornamenta aurea, vel argentea (a).

IX. Mandamus inſuper, ne clerici comam nutriant (b), vel cyprio pulvere ornent, ſed attonſo decenter capite parentibus auribus compareant cum collari in poſtica capitis parte ceſarie non cooperto (c). Annulos non deferant, niſi dignitatis ſint inſignia competentia, qui tamen in Miſſis celebrandis deponantur. Fictitia coma vulgo *Perucca*, vel *cerchietta* non utantur abſque noſtra inſcriptis licentia, praecipue in functionibus eccleſiaſticis (d). Tonſuram, ſive circulum in ſummitate capitis pro uniuſcujuſque ordinis gradu latum, & patentem deferant, juxta formam, & magnitudinem a Clemente XI., & a S. Carolo Borromaeo praeſcriptam (e), cujus formae, & magnitudinis figuras, ac menſuras excuſas tradimus in hujus Synodi appendice *num.* 32. Prohibemus quoque carbaſinam faſciam circa collum, vel ſudariolum etiam fuſci coloris (f) ſicut & induſia in pectore, vel in extremis oris brachiorum protendentia, & pileos, quae vanam laicorum immodeſtiam, & ſuperbiam ſapiunt, & alia hujuſmodi, quae modum praeferrent ſaecularis habitus, cujus ignominiam in ordinatione jam depoſuerunt, qui clericali militiae adſcripti inveniuntur.

X. Quicumque clerici etiam prima tonſura initiati, ſive caelibes, etiamſi beneficium eccleſiaſticum non poſſideant, ſive conjugati,

1737. In Syn. Blaſ. 1715. cap. 11. In Syn. Lanucci 1756. tit. 4. cap. 1. In editis etiam Epiſcoporum Anagniae, inter quae extat editum immediati Praedeceſſoris noſtri Johannis Baptiſtae Filipponi.

(a) Lanuc. in Syn. cap. 1. n. 4. De Lactantiis in Syn. Action. 3. cap. 1. n. 4. Thomaſſin. de vet., & nov. Eccl. diſcipl. tom. 1. lib. 2. cap. 51. n. 3. Bened. XIV. Inſtitut. eccleſ. 71. n. 9.

(b) C. *Non liceat* 32. diſt. 24. §. *Nec oportet*, & C. *Clericus* 5. de vita, & honeſt. cleric.

(c) In egregia Synodo d. Emi Bufalini par. 1. tit. 1. V. *Tonſuram*, & in Syn. doctiſſima Emi De le Lanze cap. 13. 9. & 10.

(d) Conc. Rom. tit. 16. cap. 3.

(e) Clem. XI. edict. 1706. S. Carolus Conc. Provincial. 5. p. 3. pag. 219.

(f) Sac. Cong. Epiſc. in Oſtunen. Synodi 6. Julii 1679. Clement. 2. de vit., & honeſt. cleric. V. *Lineam*.

gati, qui cum unicis, & virginibus matrimonium contraxerunt, ſi habitum, & tonſuram non deferant, ſimulque eccleſiae non inſerviant, ut infra, fori privilegio ipſo jure, & nulla intercedente declaratione ſunt ſpoliati; ceteris privilegiis clericalibus firmis remanentibus ſub diſpoſitione juris, donec non fuerint expreſſe privati (a). Hanc legem ſaepe, & conſtanter *ſacra Congregatio Concilii*, & *Immunitatis eccleſiaſticae* declaravit ita intelligendam, ut ipſi clerici tam caelibes, quam conjugati allegare nequeant privilegium ad ſeſe eximendum a foro ſaeculari, nihilominus noſtram remanere integram juriſdictionem ordinariam pro arbitrio, ſive caelibes, ſive conjugatos a judice ſaeculari repetendi, & ad forum eccleſiaſticum revocandi etiam in cauſis, in quibus ipſe judex laicus praevenerit, niſi per declaratoriam ſententiam ſervatis ſervandis ſactam, privilegiis clericalibus denudati, ſive privati fuerint (b).

XI. Sicut pro arbitrio clerici in minoribus, ſive caelibes, ſive conjugati habitum, & tonſuram cum ſervitio eccleſiae dimittere valent, ita pro libito reaſſumere poſſe, ut ad priſtina reſtituantur ordinis privilegia, declaramus, dummodo reaſſumptio doloſe non fiat in fraudem fori ſaecularis, vel niſi ſervatis ſervandis fuerint clericalibus privilegiis privati; qua ſententia prolata nemo veſtes clericales induere praeſumat, neque reaſſumptis ad fori privilegium reſtituatur (c).

XII. Omnes clericos tam caelibes, quam conjugatos in Domino hortamur, & monemus, ut jugiter & ſedulo requiſita clericalia ſervent. Nihilominus cum hac generali monitione non intendimus eos privilegiis clericalibus declarare expoliatos; ſed haec ſynodalis conſtitutio veluti praevia ſit ad inſtruendum proceſſum contra ſingulos contumaces cum trina monitione diſtincta, ita ut neque una pro trina ſufficiat ad privationis decretum, vel ſententiam (d).

XIII. Clerici beneficia eccleſiaſtica poſſidentes, cujuſcumque ſint redditus, & oneris, & penſiones eccleſiaſticas obtinentes,

(a) Trident. cap. 6. & 16. de reform. cap. unic. de cler. conjug. in 6.

(b) S. C. C. in Alatrina juriſd. 27. Mar. 1623. Neapolitana 1. Aug. 1634. Raynald. obſerv. criminal. ad cap. 2. ſuppl. 10. n. 16. cum ſeq. Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 66.

(c) S. C. C. in Meliten. fori 7. Maii 1632., & in aliis. Bened. XIV. loco mox citato.

(d) Gloſſa in Clementina 1. verbo *tertio*. Bened. XIV. ubi ſup. cap. 12. n. 3., & lib. 7. cap. 67. n. 4.

excedentes annuum valorem ſexaginta ducatorum de camera, niſi in habitu, & tonſura incedant, ipſis beneficiis, & penſionibus ſint ipſo facto privati juxta Sixtinam conſtitutionem (a). Quamvis vero nulla praeceſſerit monitio vel ſententia declaratoria, ſciant, ſe ex mero inceſſu in habitu laicali, ipſo jure fructus beneficiales nec recipere, neque retinere poſſe, ſed ipſos fabricae eccleſiarum, in quibus ſunt beneficia, illico ſub laethali culpa reſtituere tenentur (b).

XIV. Cum eccleſiaſtica militia ſit conſtituta ad religionis, & pietatis cultum promovendum, omnes clerici ſervitio alicujus eccleſiae, arbitrio noſtro, ſpecialiter adſcribi debent ex lege S. Concilii Tridentini (c). Si igitur nulli eccleſiae inveniantur alligati, hac ſynodali conſtitutione intercedente cenſeantur expreſſe adſcripti in civitate ſervitio Cathedralis eccleſiae, in locis univerſae dioeceſis eccleſiae uniuſcujuſque parochialis; ſi vero in ea ſolemniter divina officia non perſolvuntur, ſervitio cenſeantur adſcripti eccleſiae matricis: nec quiſquam ab hoc vinculo propria authoritate, & arbitrio ſolvi poſſit, Nobis inconſultis; alias ſacrorum exercitium juxta Concilii Romani diſpoſitionem interdicemus, & a majoribus ordinibus ſuſcipiendis repellemus inobedientes (d).

XV. Virtute adſcriptionis, ſive obligationis ſervitio eccleſiae, declaramus, omnes ſacerdotes, & clericos etiam conjugatos (etſi beneficia, vel officia eccleſiaſtica non obtineant) qui non impediantur vel non ſint legitime excuſati, teneri, & obligatos eſſe, in Dominicis, & feſtis diebus de praecepto, eccleſiae, cui ſunt adſcripti inſervire cum aſſiſtentia in choro, vel in aliis miniſteriis eccleſiaſticis tempore Miſſae ſolemnis, & veſperarum, atque in ſolemnioribus etiam in primis veſperis; praeterea intereſſe debere publicis proceſſionibus, aliiſque ſimilibus functionibus eccleſiaſticis: Nobis vero celebrantibus, vel pontificali habitu aſſiſtentibus in ſolemnioribus feſtivitatibus, vel functionibus, ſi non interſint ſacerdotes, & clerici, poena mulctabuntur. Etenim abſentia ſcandalum

(a) Sixtus V. in Bulla *Cum ſacroſanctam*, & in declaratoria, *Paſtoralis* 92.
(b) Bened. XIII. in Bulla *Catholicae Eccleſiae* poſt Con. Rom. n. 5.
(c) Trident. cap. 6., & 16. ſeſſ. 23. de reform.
(d) Conc. Rom. tit. 6. cap. 2. S. Cong. Epiſc. in civitat. Caſtellan 6. Maii 1689. S. C. C. in Melevitana Synodi 4. Junii 1707. ad 28.

dalum parit, & malum exemplum redolet, ſi eccleſiae ſervitio addicti videantur otioſi in compitis, & plateis tunc maxime quando populus devote concurrit ad eccleſiam (a).

XVI. Non decet clericos arma cujuſvis generis tractare. Venationem clamoroſam, ideſt illam, quae cum canibus, armorum, vel clamorum ſtrepitu haberi ſolet, ipſis prohibemus ſub poenis a ſacris canonibus conſtitutis (b). Venationi etiam toleratae cum incumbunt, interdicimus, arma ferre ſive offenſiva, ſive defenſiva, die, nocteve quocumque praetextu, etiam venationis ſine noſtra in ſcriptis licentia (quam in caſibus dumtaxat a jure permiſſis concedemus), ſub poena amiſſionis armorum, pecuniaria ſcutorum xxv. pro qualibet vice, carceris, aliiſque: quod ſi arma prohibita ſint ſub capitali poena a ſaecularibus legibus, triremium condemnationem exigent (c), multoque magis ſtricte vetamus, ut clerici, quorum arma orationes, & lacrymae eſſe debent, intra urbis, & oppidorum moenia ſcoplo armati incedant.

XVII. Clericis inhibemus pariter tabernas, & diverſoria ingredi, niſi neceſſitate urgente, & dum iter peragunt: noctis autem tempore abſque honeſta, & cogente cauſa per civitatem, ſeu oppida, evagare minime debent, neque iſtrumenta muſica cujuſcumque generis pulſare, aut canere, aut canentibus ſe comites praebere, ſub carceris, & aliis arbitrio poenis (d).

XVIII. Item ſub poena ſcutorum v., ac in ſubſidium etiam ſuſpenſionis, aliiſque gravioribus pro modo culpae infligendis, ſacerdotibus, & clericis univerſis vetamus, ne praecurſores, aut aſſeclae feminarum fiant, aut eis ancillentur, manuſque Deo ſacratas per vias, plateaſque incedentibus porrigant, earum brachia ſuſtentent (e), atque amaſiunculorum more illis publice obſequantur, ac blandiantur (f).

XIX. Clerici praeterea, omnes animarum praecipue rectores, eorum patrimoniales aedes (multoque minus eccleſiarum ſuarum domos)

(a) In Synod. Gozzad. 1626. ſeſſ. 4. cap. 4., & in Syn. Lanucci 1756. tit. 4. cap. 1.

(b) Toto titulo de Clericorum venation. cap. *Clerici* hoc titulo.

(c) Lanucc. in Syn. tit. 4. cap. 1. num. 21.

(d) In Syn. Anagnina domini Viviani 1596. cap. 26. pag. 49., & aliis Synodis innumeris.

(e) Conc. Mediol. 1. par. 2. tit. de negotiat. faeculari a cler. fugienda §. *Neve praecurſor.* Encyclic. S. C. Epiſc.

(f) Toſ. in Syn. par. 3. cap. 1. n. 25.

mos) ſub poenis a jure praeſcriptis, mulieribus inhoneſtis incolendas non tradant (a).

XX. Nullus eccleſiaſticorum audeat ſe magiſtrum ingerere puellarum, & mulierum legendi, ſcribendi, canendi, & pingendi, abſque noſtra in ſcriptis licentia; officium etiam patrini in ſacramentis Baptiſmi, & Confirmationis clericis noſtris interdicimus, ſicut regulares a jure prohibentur.

XXI. Innovamus etiam hic conſtitutionem noſtram jam emanatam §. 1. capitis VIII. hujus ſectionis num. VII., qua clericis prohibuimus comoediis, ſive choraeis intereſſe. Hinc ſaltationes ſive publicas, ſive privatas ne ſpectent clerici, ſub poenis ibi comminatis, declarantes modo poenam pecuniariam, quam in caſu contraventionis ſubibunt, numquam mitiorem futuram eſſe, quam ſcutorum decem, quorum quarta pars delatori adſcribetur, reliqua vero in pios uſus erogabuntur; ac praeterea inobedientes tamdiu ſpiritualibus exercitiis vacare compellemus, quamdiu pro modo culpae aequum nobis viſum fuerit. Quas poenas, ceteraſque in memorata conſtitutione enunciatas ac etiam illas pro noſtro arbitrio quiſque eorum dabit, qui in propriis aedibus eccleſiaſticis, canonicalibus, parochialibus, vel beneficialibus pro beneficiati domicilio deputatis, haec fieri quomodolibet permittet (b).

XXII. Poena carceris, & ſuſpenſionis a divinis prorſus, & abſque veniae ſpe punientur clerici, quos ebrietatis vitio reos eſſe deprehendemus, ad quorum emendationem ſervabimus, quae praeſcripta ſunt in corpore juris capite *A crapula* de vita, & honeſtate clericorum, & canone *Ante omnia* diſtinctione XXXV.

XXIII. Denique obſecramus, & hortamur in Domino omnes eccleſiaſticos, ut quotidie per ſemihorae ſaltem ſpatium orationi mentali vacent, alteram pariter ſemihoram impendant lectioni ſpirituali, prandium, & coenam benedictionibus ſanctificet, & lectione ex ſacris bibliis, ſeu ſanctorum Patrum homiliis condire ſatagant, numquam omiſſis praeviis orationibus, & ſubſequentibus gratiarum actionibus, quemadmodum praedeceſſor noſter Gaſpar Vivianus in Synodo anni MDXCVI. clericis omnibus hujus Anagninae dioeceſis inſinuavit,

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 14.

(b) S. Carolus in Conc. Mediol. 11. tit. 2. decret. 34.

vit, ac praecepit (a). Semel in anno in aliqua pia domo ad ſpiritualia exercitia ſecedant: in doctrina chriſtiana edocenda feſtis diebus Parochos coadjuvent, in catechiſmis, inſtructionibus, & in praedicatione populum docere aſſueſcant: Adventus, & Quadrageſimae tempore concionibus interſint. Minores clerici ſacroſanctae miſſae ſacrificio quotidie aſſiſtant. Sacerdotes diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus ſacrum operentur (b). Qui ſacerdotio non ſunt aucti, frequenter divino euchariſtiae pabulo nutriantur & de hac Sacramentalis communionis frequentia clerici extra civitatem commorantes a Parochis locorum, ubi deguut teſtimoniales litteras exquirere debent, nobiſque in fine cujuslibet anni illas exhibere. Quotquot ergo ad clerum pertinent, laicis ſeipſos bonorum operum exemplum perhibeant, ut ita vere efficiantur = *Sal terrae, & lux mundi* = Quibus verbis Dominus noſter Jeſus Chriſtus per Matthaeum cap. v. indicavit ſectatoribus ſuis cum ordinis ſanctitate diſtinctis, ejuſque adminiſtris, ſatis eis non eſſe communem cum ceteris fidelibus ſobriam, piam, & caſtam ducere vitam, ſed oportere, ut ea praeluceant morum probitate, atque doctrina, qua alios de ſaeculo in integritate praecedant exemplo, atque in ſacris litteris etiam verbo vitae valeant inſtituere.

§. VI.

De Capitulo, Dignitatibus, & Canonicis.

Dixit Dominus ad Moyſen: congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti, ſenes populi ſint, ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi foederis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris. Numerorum cap. XI. verſ. XVI. & XVII.

I. PResbyterium particulare, quod *Capitulum*, *dignitates*, & *canonicos*, jamdiu vocamus, quodque merito *eccleſiae Senatus* in Concilio Tridentino cap XII. ſeſſionis XXIV. de Reformatione nuncupatum fuit, myſticum, ſeu morale corpus eſt coaleſcens ex

(a) Pag. 48. (b) Conc. Trident. ſeſſ. 23. de reform. cap. 14.

ex quibus ſelectis viris de clero aſſumptis, qui obſervandis regulis eccleſiaſticis arctius ſe devoverunt, qui pietate, & zelo tum laicis univerſis, tum ceteris ſingulis clericali militiae adſcriptis praelucere nituntur, qui demum Epiſcopos conſilio, opera, & officio juvare contendunt. Cum igitur haec ſit praeſtantior, illuſtrior, atque nobilior cleri noſtri portio, ei a quibuſcumque aliis dioeceſis noſtrae ſacerdotibus, ac clericis procul dubio ſpecialis honor & reverentia debetur; cujus proinde ſingularis cultus, ac rationabilis veneratio-nis obſequium praeſenti hac conſtitutione noſtra omnibus ditioni noſtrae ſubjectis graviter indicimus, & ſerio inculcamus.

II. Vos interea inſigniſſimae cathedralis eccleſiae noſtrae Praepoſitum, & canonicos alloquentes, quos honorificentiae, & benevolentiae animi cauſa ne dum filios cariſſimos, ſed & venerabiles fratres nominamus, duo unicuique veſtrum ex paſtoralis officii noſtri debito ſuggerere cogimur. Primo loco, morum innocentiam in omnibus ſervandam, & perfectionis ſtudium aemulandum proponimus, & vehementer commendamus: orationibus inſtate horis, & temporibus conſtitutis: Pſalmis, & hymnis cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore: Carnem veſtram domate jejuniis, & abſtinentia eſcae & potus, quantum valetudo permittit: cum acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis, non ſolae vobis fauces ſuum ſumant cibum, ſed & aures eſuriant verbum Dei: illos exiſtimate inter vos feliciores, qui in ſuſtinenda parcitate fuerint fortiores: in inceſſu, ſtatu, habitu in omnibus motibus veſtris nihil fiat, quod cujuſquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem (a). Nullum ſane ab aliis majus praejudicium, quam a ſacerdotibus, & praeſertim ab iis, qui in unaquaque eccleſia primas poſt Epiſcopum obtinent ſedes, tollerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit, & quando ipſi peccant, qui compeſcere peccata debuerant, nulla animarum lucra quaerunt, ſuis quotidie ſtudiis vacant, terrena concupiſcunt, humanam gloriam intenta mente captant: & quia eo ipſo, quo ceteris prelati ſunt, ad agenda quaelibet majorem libertatem habent, ſuſceptae benedictionis miniſterium vertunt ad ambitionis argumentum, Dei cauſſam relinquunt, in terrenis

(a) S. Auguſtinus in regula de vita clericorum.

renis volutantur negotiis, locum ſanctitatis accipiunt, & carnalibus actibus implicantur (a).

III. Deinde ſcientiae dotibus oportet, ut veſtrum quiſque aptum ſe reddat ad cooperandum nobiſcum Deo in ſalutem animarum. Cum enim vos ſpeciali quadam dignitatis excellentia primatum inter reliquos dioeceſis eccleſiaſticos obtineatis, & Pontificii muneris noſtri partes vobis praeſertim committere quam frequentiſſime Nos ſoleamus, neceſſe eſt omnino, quod in canonicis, dogmaticis, ac moralibus juris articulis & quaeſtionibus peritiores prae ceteris de clero ſitis, ne apud alios gradu etiam inferiores contemptibiles, & Antiſtiti veſtro inutiles prorſus efficiamini; & inſuper ne de vobis dici merito quaeat = *Si caecus caeco ducatum praeſtet, ambo in foveam cadent* = Curate igitur ſancte vivere, mentemque veſtram ſacris diſciplinis erudire. *Donet Dominus, ut obſervantes haec duo, tamquam ſpiritualis pulchritudinis amatores, & bono Chriſti odore de veſtra bona converſatione fragrantes, non ſicut ſervi ſub lege, ſed tamquam liberi ſub gratia conſtituti* (b).

§. VII.

De Collegiatis.

Sacerdotes autem ſtabant in officiis ſuis, & Levitae in organis carminum Domini, quae fecit David Rex ad laudandum Dominum .... Hymnos David canentes per manus ſuas: porro ſacerdotes canebant tubis ante eos, cunctuſque Iſrael ſtabat. II Paralipomenon cap. VII, verſ. VI.

I. CAthedralis eccleſiae canonicis ſuccedunt, Collegiatarum, ut ajunt, eccleſiarum canonici, & beneficiati, titulo veſtibus, ac privilegiis gradu illis ſecundi, qui tamen communc cum primis habent honorificentiſſimum, ſuaviſſimumque Deo ſolemniter canendi laudes exercitium. Quare in evangelica, ſub qua modo vivimus lege, id muneris explent, quod in dedicatione Salomonici Templi ſacerdotes, & levitae veteris Moſayci ritus perſo. verunt,

(a) Gregor. Papa homil. 17. in Luc. 10. ante medium.

(b) S. Auguſt. in regula de vit. cleric.

runt; immo hoc ipſum in terris agunt, quod in caelis fieri ab Angelis & beatis conſpexit, & audivit S. Johannes, ut patebit legenti viſiones ab eo deſcriptas in libro Apocalypſis. Propterea lectiſſimorum eccleſiaſticorum ſocietates iſtas graviter admonemus, ut enixe contendant morum probitate, ſacrarumque facultatum eruditione cunctis etiam aliis dioeceſis clericis anteire.

II. Utque legum quoque providentia decori hujuſmodi honorabilis coetus conſulamus, firmas, & in ſuo robore manentes declaramus in primis, diſpoſitiones, & regulas omnes in limine fundationis cujuſque capituli impoſitas, ac etiam ſtatuta, & conſtitutiones ſingularum eccleſiarum legittime approbatas. Conſuetudines vero particularium eccleſiarum nonniſi rationabiles admittimus; ceteras vero omnes abuſivas, omnino abrogatas decernimus; nihil obſtante quocumque temporis lapſu, quo indebitam legis ſpeciem uſurpaſſe videantur, praecipue ſi contra Breviarii, vel Miſſalis, Caeremonialis Epiſcoporum, Pontificalis, vel Ritualis Romani rubricas ſint. Ubi autem conſtitutiones, & ſtatuta capitularia non habeantur in viridi obſervantia, ſex infra ſaltem menſes poſt hujus Synodi promulgationem ſub eccleſiaſtici interdicti poena conficiantur, & Nobis exhibeantur accurate examinanda, quatenus opus, corrigenda, & approbanda (a).

III. Ut debitus cathedrali honor ſervetur, ſabbatho majoris hebdomadae in in nulla eccleſia ſive regulari, ſive ſaeculari pulſentur campanae, antequam Anagniae in Cathedrali, in aliis vero dioeceſeos pagis in majori eccleſia pulſatae aedem fuerint. Hujus legis tranſgreſſores poenis mulctabuntur, & in ſubſidium interdicto ſubjicietur eccleſia (b).

IV. At ut collegiatae illae, quae in dioeceſi noſtra ex Apoſtolicae Sedis indulto *inſignes* nuncupantur, ſpecioſi iſtius vocabuli decoratione dignae magis, magiſque reddantur, Collegiata nempe Terrae Moroli, & Collegiata Terrae Carpineti, magni momenti defectum in utraque cogimur emendare. Siquidem in duabus his collegiatis, etii dici poſſit erecta praebenda *Poenitentiaria*, cum tam in una, quam in alia Canonicatus Archipresbyteralis, ſeu curam

(a) Conc. Roman. 1725. tit. 2. c. 4.
(b) Leo X. in conſtit. 22. *Ut debitus* Kal. Januarii 1516. lata in Conc. Lateranen. ſeſſ. ultima.

ram animarum gerens inſtitutus inveniatur; nulla tamen uſque modo deputata fuit *Theologalis* praebenda juxta Tridentinorum Patrum mandatum. Nos proinde obſequentes Tridentini Concilii juſſionibus ſeſſ. v. cap. 1. de Reformatione, quibus acceſſit, per ſanctae memoriae Benedicti XIII. in ſpeciali ſua Conſtitutione incipiente *Paſtoralis officii*, novum auctoritatis incrementum, diſtricte ſynodali hac ſanctione decernimus, ut in praebenda primo vacatura in Terrae Carpineti Collegiata, praeterquam ex cauſa reſignationis, in *Theologalem* omnino erigatur, futuriſque temporibus conſervetur (a). Hoc idem exequendum eſſe curabimus pro alia memorata inſigni Collegiata Terrae Moroli, cum primum ea, quae nunc occurrunt, ſublata fuerint impedimenta.

§. VIII.

De chori diſciplina.

Obſerva, & cave, ne quando oblivīſcaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus, atque judicia, & caeremonias, quas ego praecipio tibi hodie: Deuteronomii cap. VIII. verſ. XI.

I. CUm oratio ſit pius affectus mentis in Deum, ſeu mentis aſcenſus in Deum, colloquium animae cum Deo, Dei cultus ad illum jure divino praeſtandus, neceſſaria in ea mentis attentio eſt. Hinc Apoſtolus (b) = *Pſallam ſpiritu*, inquit, *pſallam & mente* = *Cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino* (c) = S. Cyprianus (d) = *Quomodo ſtamus ad orationem, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus, cogitatio omnis carnalis, & ſaecularis abſcedat, nec quidquam tunc animus, quam id ſolum cogitet, quod precatur*. = Ideo & ſacerdos ante orationem, praefatione praemiſſa, parat fratrum mentes dicendo = *Surſum corda* =, ut dum reſpondet plebs *habemus ad Dominum* =, admoneatur, nihil aliud ſe, quam Deum cogitare debere. Claudatur contra

(a) In Conc. Romano anni 1725. tit. 1. cap. 6. 7. 8. & 9.
(b) 1 Ad. Corint. 14.
(c) Ad Epheſ. cap. 5.
(d) S. Cyprian. tract. de Orat. Dominica.

adverſarium pectus, & ſoli Deo pareat, nec ad ſe hoſtem Dei tempore orationis adire patiatur. Obrepit enim frequenter, & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras a Deo avertit, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione ſincera Dominum deberet, non vocis ſonus, ſed animus, & ſenſus orare. Quae autem ſegnitia eſt alienari, & rapi ineptis cogitationibus, & profanis, cum Dominum deprecaris, quaſi ſit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris? Quomodo te audiri a Deo poſtulas, cum te ipſe non audias? Vis eſſe Deum memorem tui, quando tu ipſe memor tui non es? Hoc eſt ab hoſte in totum non cavere: hoc eſt quando oras Deum, majeſtatem Dei negligentia orationis offendere; hoc eſt vigilare oculis, & corde dormire; cum debeat chriſtianus, & cum dormit oculis, corde vigilare, ſicut ſcriptum eſt in canticis canticorum ex perſona animae juſtae = *Ego dormio, & cor meum vigilat.* = Quapropter ſollicite & attente orare Apoſtolus admonet dicens = *Inſtate orationi vigilantes in ea* =, docens ſcilicet, & oſtendens, eos impetrare, *quod poſtulant*, *de Deo poſſe*, *quos Deus videat in oratione vigilare*.

II. Ne ergo in peccatum fiat oratio veſtra, ſatagite diligenter, ut quomodo oportet, oretis. Ad Nos quod attinet, in choro Cathedralis, & collegiatarum eccleſiarum, Praefectos declaramus, & conſtituimus (ubi deficiunt in particularibus ſtatutis, conſtitutionibus, & conſuetudinibus) primas dignitates: illiſque abſentibus, eos qui primum obtinent locum in choro, quorum partes erunt diſciplinam chori exacte tueri, vel collapſam reſtituere, aliiſque exemplo ſuo praelucere, deſides & errantes, in ſpiritu lenitatis, & modeſtiae monere, contumaces, & inobedientes Nobis notum facere. Si hujuſmodi chori Praefecti negligunt officium ſuum, eorum conſcientiam oneramus; de qua negligentia nedum Nobis, ſed ſupremo etiam Judici Deo rationem ſunt reddituri. Videant chori Praefecti, quanta ſit conſcientiae eorum obligatio in littera encyclica ſanctae memoriae Clementis XI. ſub die XXVI. Maii MDCCIII. §. de choro.

III. Quoniam ad mentis, & animi attentionem multum confert externa compoſitio, qui choro adſunt, exteriores corporis actus, & ſtatum componant, crura non protendant, nec unum ſupra aliud ponant, brachia non agitent, ſed modeſta gravitate ſedeant, ſurgant,

gant, flectant genua, caput inclinent abſque mora, pro verborum, ac temporum exigentia, juxta chori caeremoniale, non dormitent, neque prae tedio oſcitentur, colloquia non miſceant invicem, riſus non effundant, epiſtolas vel alia ſcripta non legant, orationes particulares, vel officii partem non currentem, in choro ſubmiſſa voce, non murmurent cum aſſidentium faſtidio, a proprio loco non divertant. Si quis haec, vel grave aliquid contra decori, & modeſtiae leges committat, tamquam abſens a punctatore notetur, niſi ſeverioribus a Nobis poenis juxta circumſtantias ſubjiciatur (a).

IV. Chorales omnes ſedulo curent, ut integre, & recte, & ſine errore cantent, vel recitent divinas laudes; uno veluti linguae impetu non currant, verba non glomerent, non ſyncopis utantur, pauſam in medio verſiculi interponant; & praecipue caveant, ne alternis choris recitantibus, vel cantantibus, pars una incipiat proprium verſum, niſi altera uſque ad ultimam ſyllabam ſuum expleverit, ut poſſint obligationi ſatisfacere; ſed devote, & attente curent uniſone laudare, & benedicere Dominum (b). Scire enim debent, dignitates canonici, ceteriique choro addicti, ſe proprium onus nullatenus adimplere, niſi ſimul cum aliis cantent, vel recitent; nec ſatis eſſe choro adeſſe audientes, & ſilentes, vel ſubmiſſa voce legentes divinas laudes, etiamſi manſionarii, & cappellani chorales cantent ſuis vicibus (c).

V. Ut coerceatur choralium feſtinantia, negligentia, evagatio huc vel illuc, indecora pſalmodiae recitatio ſeu corporis incompoſitio, & poſitio extra proprias ſedes, comminamur adverſus ſingulos contemptores ſuſpenſionem a divinis impoſitam in ſacris canonibus (d) omnino inſtigendam (e).

VI. Ad perſolvenda divina officia ſublimior pars eccleſiae, quam *chorum* dicimus, deſtinata eſt quovis anni tempore; nec ab ipſo capitulum diſcedere, vel pro arbitrio ſuo locum mutare praeſumat,

(a) Bened. XIV. in notific. 107. Criſp. de viſit. par. 2. §. 20., ubi plures reſolutiones fac. Congreg. refert.

(b) Innocent. III. in cap. *Dolentes*. De celebr. miſſar. Clementin. 1. eodem tit. edictum Clementis XI. 1703. in ſuo Bullario pag. 529. Bened. XIV. notific. 107. §. 5.

(c) S. Congr. Conc. 12. Decemb. 1619. Bened. XIV. Tom. 2. notific. 107. §. 3. & in Bulla 103. Tom. 1. *Cum ſemper* §. 23., & ſeq.

(d) C. *Dolentes*. de celebr. miſſar. & Clementina 1. eod. tit.

(e) In Syn. Praedeceſſoris noſtri Baſſi par. 3. cap. 2. num. 3. pag. 76.

mat, niſi legitima urgente cauſa, & noſtra intercedente licentia, ut in alio eccleſiae decenti loco ad tempus determinatum conſtituatur chorus (a).

VII. Statuta tempora peragendi divina officia in choro ſerventur juxta conſtitutiones, & laudabiles conſuetudines cujuſque eccleſiae: ad quem effectum tabellam horariam pro diverſis anni temporibus in conſpicuo ſacrarii loco affigi mandamus, quam poſuimus in appendice hujus Synodi num. xxxvi. Nemini autem, nec omnibus quidem Canonicis capitulariter congregatis horas invertere, & perturbare liceat, Nobis inconſultis, ſub poena arbitrio noſtro exigenda tam ab illis, qui campanarum ſigna antea pulſari, vel retardari mandaverint, quam ab inferioribus aedituis, qui illorum mandatis paruerint, toties quoties deliquerint (b).

VIII. Deſiderio vehementi cuperemus, ut in cathedrali, & in collegiatis eccleſiis horis debitis pſallatur, juxta *Clementinae* monitum (c). Tempus vero recitationis matutini, & laudum in choro non eſt hora diei fere tertia, in qua ejuſmodi preces tam in cathedrali, quam in collegiatis civitatis, & dioeceſis noſtrae exſolvuntur: laudes enim in lucis primordiis, & matutinum ante lucis initia recitari deberent. Idcirco morem jamdiu invectum perſolvendi matutinum, & laudes longe poſt ſolis ortum non approbamus, ſed tolleramus dumtaxat; reſervato Nobis, noſtriſque ſucceſſoribus pro arbitrio, reſtituendi ſtatum, tempus, quoties, & quamdiu, opportunum videbitur, juxta reſolutionem ſacrae Congregationis Concilii Brevi apoſtolico confirmatam (d). Id vero, quod minime diſſimulandum eſſe ducimus, abuſiva prorſus conſuetudo illa eſt in capitulo cathedralis eccleſiae, & aliis collegiatarum eccleſiarum dioeceſis invecta, recitandi veſperas tempore quadrageſimali, alicubi quotidie, alicubi frequenter, alicubi ſaltem diebus ſabbathi, priuſquam meridiana advenerit hora, immo nec expectato, quod meridies propinquet, & imminear. Rubrica enim ſtatuens tempore Quadrageſimalis jejunii recitandas eſſe Veſpertinas preces ante prandium, prandium eſſe poſticipandum injungit, neutiquam vero veſperas

(a) Conc. Provinc. Mediolan. 1. par. 2. Notificat. praedicta, §. 4.

(b) In Syn. Montis Faliſci 1710. lib. 3. cap. 1. num. 9.

(c) Clementina 1. de celebr. miſſar.

(d) in una Parmen. 8. Julii 1726. Vide notific. 107. Bened. XIV. §. 4. num. 22.

peras esse ita anticipandas, ut neque hora sexta recitentur. Praesenti igitur admonitione abusivam istam consuetudinem aboleri cupimus, & rogamus, ut deinceps nullo anni die vesperarum exsolvatur officium, nisi post meridiem: aut saltem Quadragesimalibus diebus recitandi, sive canendi eas initium fiat circa meridiem: ob quam causam, aliasque Nobis notas tabellas horarias cujuscumque ecclesiae, etiam cathedralis, universae dioecesis, capituli expetito canonicorum fratrum nostrorum consilio innovatas jam, & correctas manu nostra subscripsimus, illasque in appendice hujus Synodi typis impressas apponendas esse mandavimus, ut dictum est, ac manuscriptum earum exemplar unicuique Capitulorum dioecesis tradidimus ad chori tempora designanda.

IX. Reprehendendum esse quoque arbitramur, quod irrationabili dissuetudine neque in solemnioribus diebus festis officium laudum celebretur eadem solemnitate, qua iisdem praecipuis recurrentibus festivitatibus vespertinae persolvuntur preces, juxta praescriptum caeremonialis Episcoporum lib. II. cap. VII. Hinc synodali hac constitutione mandamus, ut in ecclesia cathedrali, & aliis etiam collegiatis ecclesiis in diebus saltem solemnioribus solemnitate eadem celebrentur laudes post matutinum, qua festis illis *vesperae* peraguntur.

X. Insuper constitutiones, & statuta hujus cathedralis Anagninae ecclesiae mandant cap. VI. num 1. ut horae matutinae in pervigilio solemnitatis Sacratissimi Corporis Christi cum cantu integre celebrentur de sero post vesperas; nunc vero abusiva invalescente dissuetudine, dicta die, & indicato tempore vespertino, sine cantu hujusmodi matutinae horae exsolvuntur. Itaque praecipimus, quod deinceps cum cantu celebrentur tum in cathedrali ecclesia, tum in aliis omnibus collegiatis ecclesiis civitatis, & dioecesis. Similiter cum sciamus, invectum fuisse abusivum morem in capitulis, & ecclesiae cathedralis, & aliarum collegiatarum ecclesiarum, quo Dominicis diebus facta in choro aquae benedictae aspersione ab hebdomadario rem divinam acturo, neque idem hebdomadarius, neque alius ex Canonicis reliquas ecclesiae partes aspergit, quemadmodum constitutionum Anagninae ecclesiae memoratarum cap. III., & ultimo praescriptum legitur, idcirco jubemus ita in posterum fideliter exequendum esse, sicut recte constitutum fuit.

XI. Im-

XI. Improbamus inſuper, quod dum, *Tertia* dicta in eccleſia cathedrali, recitantur litaniae ſanctorum cum precibus, & orationibus ad repellendas tempeſtates, devotione, inſinuationeque Illmi Predeceſſoris noſtri Johannis Baptiſtae Baſſi (qui annis ab hinc fere quinquaginta piam hanc introduxit praxim ſervandam quotidie a feſto Inventionis ſanctae Crucis uſque ad feſtum Exaltationis ejuſdem) nihilominus fere omnes canonici non ſine magna ſaecularium admiratione a choro abſunt, & invectae laudabilis conſuetudinis, ſi non verbis, opere ſaltem ſe inimicos oſtendunt. Quare dictae cathedralis eccleſiae noſtrae canonicos in Domino obſecramus, ut litaniis praenunciatis interſint, & commendabilem hanc pietatis, ac religionis obſervantiam conſervare ſatagant, & firmare.

XII. In eccleſiis cathedrali, & collegiatis ſingulis diebus chori ſervitio deputatis Miſſa conventualis (a) (quae pars ſubſtantialis eſt divini officii, ut declaravit S. Pius V.) vel de feria, vel de feſto ſit, ſemper cum cantu celebretur, feſtis autem diebus ſolemniori ritu; neque propter miſſam defunctorum, vel anniverſarium, quod recurrat, praetermittatur cantus, ſicut expreſſe praecipit (b) Honorius III. Immo vero, ſi plures ſint celebrandae miſſae conventuales, juxta rubricas, omnes cantari debent in ſuis horis, quemadmodum diſerte tradit Benedictus XIV. (c).

XIII. Obligationi canendi quotidie miſſam conventualem in eccleſiis cathedrali, & collegiatis accedit altera obligatio applicandi quotidie praedictam miſſam, non pro uno, vel alio, ſed pro omnibus benefactoribus in genere; non obſtante quacumque etiam immemorabili conſuetudine: nec validam excuſationem exhibere declaramus vel onus alteram applicandi miſſam pro praebenda, vel pro beneficio, quod obtineatur, vel ſi animarum cura exerceatur in eadem vel alia eccleſia cum obligatione applicandi miſſam pro populo. Nam miſſa conventualis nihilominus applicari debet pro benefactoribus in genere; alteri vero oneri miſſae parochialis ſatisfieri debet per ſubſtitutum ſacerdotem. Si vero paupertas praebendarum, vel maſſae

(a) S. Pius V. Conſt. 64.
(b) C. *Cum creatum.* de celebr. miſſar.
(c) Bened. XIV. notificat. 107. §. 2. num. 13.

ſae capitularis ad hoc motivum exhibeat, ad ſacram Congregationem Concilii recurſus habeatur, quae pro ſui prudentia reductionem quotidianae applicationis miſſae conventualis pro benefactoribus in genere ad feſtos dies tantummodo indulgebit. Pro applicatione tandem ſecundae, vel tertiae miſſae celebrandae juxta rubricas, haec declaramus ſervanda: ſi applicatio hujuſmodi ex legitima conſuetudine ſit inducta in eccleſiam particularem, prorſus eſt ſervanda; ubi vere id uſu receptum non invenitur, laudari debent qui ſponte ſua ſecundam, vel tertiam miſſam conventualem applicant; ſed obligari nequeunt, dummodo in commemoratione pro defunctis, benefactorum eccleſiae non obliviſcantur (a). Diebus, quibus per Nos Pontificalia ſolemniter peraguntur, noſtrae cathedralis canonici ab applicatione miſſae pro benefactoribus in genere ne vacent, ſed unam lectam loco cantatae pro eis applicare ſe teneri ſciant ex ſacrae Congregationis Concilii reſponſo Ferentino Epiſcopo reddito in litteris, occaſione viſitationis SS. Liminum datis ſub die VI. Julii MDCCLXIII.

XIV. Edictum noſtrum in ſancta Viſitatione emanatum ſub die X. Julii elapſi anni MDCCLXXIX. de chori diſciplina pro capitulo venerabilis eccleſiae noſtrae cathedralis, in quo Praedeceſſorum noſtrorum ordinationes hac de re innovavimus, & ad praeſentes corruptelas medendas applicavimus (cujus exemplar in hujus Synodi appendice apponi mandavimus num. X.) hic reiterare & roborare intendimus, & ſynodalis conſtitutionis ei modo adjicimus firmitatem.

XV. Ne vero ſacrae functiones cum populi admiratione, & ſcandalo unquam perturbentur, cuique de capitulo, ad quem, vel quos miſſam conventualem canere, ſeu alias functiones agere, vel diaconi, & ſubdiaconi munus obire jure, vel conſuetudine ſpectat, ſub poena punctaturae, & aliis etiam, pro modo contumaciae, gravioribus mandamus, ut ad ea explenda omnes praeſto ſint, ac prompti; ad quae tamen agenda noverint capitulares ſibi non licere, quemquam extra capituli gremium ſubrogare; ita enim de hac re conſulta ſacra Concilii Congregatio moderno Ferentino Epiſcopo reſpondit in ſuis litteris occaſione viſitationis SS. Liminum ſupra laudatis.

§. IX.

(a) De Miſſa conventuali in Bullar. 103. Bened. XIV. conſt. tom. I. *Cum ſemper* num. 11. cum ſeq.

§. IX.

De reſidentia, & eccleſiae ſervitio.

Porro Levitae per gyrum Tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio ſuper multitudinem filiorum Iſrael, & excubabunt in cuſtodiis Tabernaculi Teſtimonii. = Numerorum cap. 1. verſ LIII.

I. COmpertum eſt omnibus, Tridentinam Synodum praecepiſſe (a) eccleſiae ſervitium iis omnibus, qui in cathedralibus, aut collegiatis eccleſiis canonicatu, dignitate, praebenda, aut portione potiti ſint, illiſque abſentiam a choro vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis prohibuiſſe ultra tres menſes quolibet anno: ſalvis nihilominus earum eccleſiarum conſtitutionibus, quae longius ſervitii tempus requirunt. Quamvis autem ſanctio iſta Tridentinorum Patrum perſpicua ſatis videatur, quia tamen falſis quorumdam explicationibus quamplurimae de ejus legitimo ſenſu exortae fuerunt quaeſtiones, ſacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres ſemel, atque iterum adducta fuit, ut compeſceret malam decreti ſuper reſidentia ejuſmodi intelligentiam.

XI. Et primo, conciliarem juſſionem quidam ut eluderent, id aſſeruerunt, quod Mutinenſis Epiſcopus fuſe expoſuit ſacrae Congregationi nempe = Abſunt ultra tres menſes, (ſeu ultra tempus illud, quod in unaquaque eccleſia pro legitima a reſidentia exemptione taxatum eſt) ſed intermiſſis diebus, ut tamen toto anni ſpatio ſimul collecti, & in unum numerum redacti trimeſtre ſpatium ſuperent, vel potius trium menſium continuam abſentiam adeſſe oporteat; quo dato verendum, ne cuivis pateat aditus ad ſuam pro libito, & impune deſerendam, & fraudandam eccleſiam; nam ſingulo trimeſtri ſpatio ſi per duos, vel tres dies quis inſerviat, numquam labi patietur tres menſes continuos, & levi ſic negotio illudet eccleſiae, & a Concilii poenis ſe eximet. Reſponſum fuit his verbis = Sacra &c. cenſuit *non oportere, ſed ſatis eſſe, quod dies abſentiae quamquam interpolati ſuperent trimeſtre.*

III. Immo, quum ſupputanda vacatione trium menſium, quos indulget Tridentina Synodus, aut breviori vacatione, ſi ita decernant

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 12.

nant peculiares locorum conſtitutiones, horae, non vero dies numerarentur = Sacra Congregatio hanc ſupputandi rationem improbavit die XVII. Junii anno MDXCIV. *Sacra* &c. *cenſuit ad conſtituendum ſervitium novem menſium non eſſe colligendas punctaturas, quaſi ii, qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quae ex ſervitio totius anni conſtantur, deſerviendo tulerint, ſervitio novem menſium debito ſatisfecerint, ſed ipſos dies reſidentiae, & ſervitii, ſive continui fuerint, ſive interpolati, numerandos eſſe, ut numerum compleant dictorum novem menſium.* =

IV. Secundo cenſuerunt alii, fuiſſe impertitum a Tridentina ſynodo privilegium univerſis Canonicis, ut tribus menſibus per annum a choro longe abeſſent, & tamen muneri ſuo ſatisfacerent; nec fuiſſe abrogatam a Concilio conſuetudinem immemorabilem, ſi qua fuerit, ut Canonici plus quam tribus menſibus a choro liberentur: ſed longe diverſum eſt, privilegium elargiri Canonicis generatim, ut in chorum per tres menſes haud conveniant, ac decernere, ne pluſquam tres menſes ſibi deſumant ob quodcumque ſtatutum, aut conſuetudinem; quum praeſertim illud ſuperaddatur, quod minime abrogentur leges, & conſuetudines, quae praebendam obtinentibus vacationem a choro breviorem tribus menſibus concedunt. Quapropter ſacra Congregatio eidem Mutinenſi Epiſcopo ita reſpondit anno MDCCLXXIII.; *Sacra* &c. *cenſuit trium menſium abſentiam non concedi Canonicis ex decreto Concilii, ſi conſtitutionibus eccleſiae ſervitium totius anni abſque ulla intermiſſione requiritur.* =

V. Tertio cum quaereretur olim, utrum juxta Concilii decretum, quo vacatio trium menſium a choro ſolum conceditur, abſentes dici poſſent illi, qui dimiſſo choro verſantur in civitate, ſeu loco, in quo poſita eſt Cathedralis, aut Collegiata, cui adſcribuntur; reſponſum fuit illos exiſtimandos eſſe tamquam absentes. Etenim Tridentina Synodus abſentiam intelligit ab eccleſia, uti conſtat ex iis verbis: *ab iiſdem eccleſiis abeſſe*. Hinc anno MDCCLXXIII hoc decretum conditum fuit = *Sacra* &c. *cenſuit puniendos eſſe eos, qui abjunt a ſervitio eccleſiae, licet in civitate, locove, in quibus eſt eccleſia, ſint praeſentes.*

VI. Proſcriptis vero falſis decreti conciliaris explicationibus, ſacra Congregatio ſtudium, & operam contulit, ut quaſdam leges

faceret, quae pertinent ad hanc vacationem trium menſium, ſeu brevioremꝛ, ſi peculiares eccleſiae ita conſueverint: itaque die XII. Julii MDCXXXI. ita ſancitum fuit *Sacra* &c. *cenſuit Epiſcopum facere debere decretum in eccleſiis ſuae dioeceſis, quae vigore Concilii Tridentini gaudent vacatione trium menſium, canonicos abeſſe non poſſe ultra tertiam partem uno, & eodem tempore, & hujuſmodi vacationem contingere non debere tempore Quadrageſimae, & Adventus, neque in amplioribus anni feſtivitatibus.*

VII. Haec vobis indicanda putavimus, quae ex Inſtitutioneꝛ CVII. immortalis memoriae Benedicti XIV. deſumpſimus, ut unuſquiſque veſtrum mentem Tridentini Concilii reſidentiam praecipientis plene aſſequi poſſit, ac fideliter exequi. Sed quoniam idem Concilium ita rem proſequitur = *Alioquin privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae, ac reſidentiae fecit ſuos; quod ſi iterum eadem uſus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit: creſcente vero contumacia, contra eos juxta ſacrorum Canonum conſtitutiones procedatur* =; ideo non alienum putamus afferre, quae ſacra Congregatio ſancita voluit anno MDLXXIII. Quaeritur de forma procedendi contra canonicos, qui abfuerunt ab eccleſia ultra tres menſes, prout cap. XII. ſeſſ. XXIV. Concilii Tridentini: videlicet = an hujuſmodi contumaces, & abſentes ſint prius monendi ad reſidendum, anteaquam puniantur, ſicut moneri mandat idem Concilium omnes Curatos non reſidentes, *juxta caput* II. *verſu, Quod ſi per edictum ſeſſ. XXIII.* = *Sacra* &c. *cenſuit non eſſe citandos, aut monendos ad reſidendum; ſed ſi ultra tres menſes abfuerint, tunc citandos ad allegandum quare non debeant privari ſecundum decretum Concilii ſeſſ. XIV. cap XII. Quod ſi aliquis canonicatu, vel beneficio, quibus onus reſidendi conjungitur, privari debeat, abſentia trium annorum prius neceſſaria eſt, quibus peractis ter ille monendus eſt, & per ſex alios menſes expectandus. Deinde ad privationem licet ipſe non compareat, devenitur* =.

VIII. Inſuper Epiſcopus aliam quoque viam inire poteſt ad comprimendos ejuſmodi contumaces. Quippe ſacrum Concilium neqꝛa-

nequaquam abrogavit ea, quae ſancita ſunt in cap. *Ex tuae* 11. de clericis non reſidentibus. Quapropter illo triennii ſpatio permittitur Epiſcopo eoſdem pervicaces a divinis ſuſpendere, quamvis viam inſiſtere coeperit, quam Tridentina ſynodus indicavit. Attamen ſi id faciat, ad privationis ſententiam ferendam devenire nequit. Celeberrimum eſt decretum die XVI. Novembris editum anno MDCLXXIII. ut conſulatur eccleſiis, quarum ſervitium detrimentum patitur propter abſentiam canonicorum, vel beneficiatorum, qui propter reddituum tenuitatem reſidentiae leges contemnunt, quaeſitum nempe fuit, primo = an durante triennio praeſcripto a ſacro Concilio cap. XII. ſeſſ. XXIV. de reformatione, poſſit adverſus obtinentes in cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas, aut portiones, eoſque non reſidentes, procedi ad ſuſpenſionem, juxta diſpoſitionem Capituli *Ex tuae* de clericis non reſidentibus = ? Et quatenus affirmative: ſecundo = an id poſſit etiam poſt inchoatam viam procedendi a Concilio praeſcriptam = ? *Sacra* &c. *ad primum reſpondit affirmative*. Ad ſecundum *pariter affirmative reſpondit*, *excluſa privatione*: quod decretum confirmavit die III. Februarii MDCLXXX.

IX. Et quia hac in re nihil prorſus aliud edicere deliberavimus, quam ea, quae univerſalibus eccleſiae legibus pro beneficia reſidentialia poſſidentibus conſtituta ſunt, hoc unum modo ſupereſt, ut vos omnes petamanter hortemur, ne quidquam contra praeallata Tridentinae Synodi, & ſacrae Congregationis ejuſdem interpretis decreta ſive vobis licere, ſive nobis fas eſſe credatis.

§. X.

De quotidianis distributionibus, & punctatoribus.

Labora sicut bonus miles Christi Jesu . . . laborantem Agricolam oportet primum de fructibus accipere : II. ad Timotheum cap II. vers III, & VI. *Quoniam si quis non vult operari, nec manducet* : II. ad Thessalonicenses cap. III., & X.

I. NEminem vestrum latere arbitramur, nomina beneficiorum, & praebendarum incognita fuisse prioribus ecclesiae saeculis ; cum bonorum, & redditauum omnium ecclesiasticorum cura, & administratio ad solos pertineret Episcopos, a quibus statis temporibus, juxta praescriptam a sacris canonibus mensuram, inter clericos dividebantur. Quae divisio eo quia singulis fiebat mensibus, a S Cypriano (a), *Mensurna* est appellata. Erectis deinde beneficiis, & cuique clericorum sua assignata praebenda, ex cujus fructibus, quoad viveret, aleretur ; ne praebendam assequuti ab ecclesiae servitio se impune subtraherent, loco divisionum mensurnarum institutae sunt distributiones quotidianae, certae videlicet redditauum portiones, ex singulorum praebendis plerumque detractae, illis dumtaxat erogandae, qui divinis interssunt. Et ne haec ipsa disciplina pedetentim relaxaretur, Bonifacius VIII. (b) omnem illi contrariam consuetudinem, quae jam alicubi coeperat inolescere, tamquam abusum & corruptelam improbavit ; statuitque, ut in nullo rerum eventu quotidianas distributiones lucretur, qui re ipsa horis canonicis, ceterisque ecclesiasticis functionibus non adest : iis solum exceptis, = *quos infirmitas, seu justa, & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas excusaret* : ubi nomine *justae, & rationabilis corporalis necessitatis*, Doctores intelligunt injustam detentionem in carcere, injustam excommunicationem, aliamve censuram, & grave periculum ab insidiante inimico imminens beneficiario, si domo egrediatur : quemadmodum nomine *utilitatis ecclesiae* solum venire, utilitatem ejus ecclesiae particularis, ubi quis beneficium possidet, & verosimilius, etiam ecclesiae

(a) S. Cyprian. ep. 28. (b) C. *Consuetudinem* un. de Cleric. non resident. in 6.

ſiae univerſalis, iidem doctores communiter tradunt; recte ſimul notantes neminem ab infirmitate, aliave ex indicatis cauſis impeditum a ſuo miniſterio eccleſiae praeſtando lucrari quotidianas diſtributiones, niſi antea conſueverit eidem inſervire, ac divinis officiis intereſſe.

II. Verum facile eluderentur ſalutares conſtitutiones iſtae, niſi in ſingulis cathedralibus, & collegiatis eccleſiis certi, & deſignati forent canonici, ſeu alio quocumque nomine nuncupentur beneficiarii, quibus onus incumberet accurate adnotandi quotquot in choro, aliiſque ſacris functionibus deſiderantur, & quibus nominatim diebus, aut a qua ſpeciatim divini officii parte hic, aut ille ſe ſubducat. Qui vero ad ejuſmodi munus deſtinantur, quamquam olim *obedientiales* dicerentur, quaſi ex mera obedientia (a) inviſum munus ſubirent inquirendi in aliorum negligentiam (uti ex quodam Innocentii III. diplomate colligi autumat Petrus Morettus) nunc autem communiter vulgo dicuntur *Punctatores*; atque ad id muneris in ſingulis eccleſiis duo plerumque deliguntur, tum ut uno impedito, alter non deſit, tum potiſſimum, ut alicujus a choro abſentiam ambo conformiter teſtantes, omnem a ſe removeant fraudis ſuſpicionem. Ex his duobus, unum deputandum a Capitulo, alterum ab Epiſcopo decrevit S. Carolus Borromaeus in primo Concilio Provinciali Mediolanenſi pag. XXIX. = *Ut autem hoc officium melius exerceatur, neminique aliquid injuſte aut remitti, aut adimi poſſit, praeter electum a Capitulo, alter punctator ab Epiſcopo creetur* =. Quibus veſtigiis laudabiliter, & ſancte plures alii Epiſcopi inhaeſerunt: inter quos feliciſſimae recordationis Fulginatenſium Epiſcopus Baptiſtellus, in cujus Synodi appendice pag. XIX. tabula Officialium ſynodalium poſt nomina punctatorum a Capitulo electorum, legenda ſtatim exhibet nomina contrapunctatorum, qui ab Epiſcopo fuerunt deputati. Sanctes quoque Lanucci Civitatis Caſtellanae, & Hortanae Epiſcopus canonicae diſciplinae tum eruditione, tum zelo inſignis in accuratiſſima ab eo typis excuſa Synodo anno MDCCLVII. tit. IV. cap. III. num. XVIII. = Punctatorem a ſe deligendum, deputato a Capitulo addendum eſſe ſtatuit: & clariſſimus, Dei munere, vita non adhuc functus Praeſul Thiphernitanus,

(a) Petr. Morettus de ritu dandi Presbyterium, par. I. ſeſſ. 5. n. 3.

nus, qui in doctiſſima ſua Synodo anni MDCCLXVI. actione III. cap. II. num. XXI. praeter Punctatorem delectum a Capitulo, alterum deligi Punctatorem ſua auctoritate decrevit, eumque contra Punctatorem nuncupandum eſſe mandavit. Et ut de aliis ſileamus, id ipſum conſtituit Eminentiſſimus Cardinalis Johannes Octavius Bufalinus, Anconitanus, & Humanatenſis Epiſcopus in laudatiſſima Synodo nuper ab eo pervulgata tit. III. pag. XXVII. de Dignitatibus, & Canonicis.

III. Neque hac ſola diligentia contentus S. Carolus in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. par II. act. eccleſ. Mediol. par. I pag. CLX. juramentum ab iiſdem praeſtari voluit, hiſce verbis conceptum: = *Ego N. Punctatoris officium, quod ſuſcepi, per haec ſancta Dei Evangelia juratus, ſancte promitto, ac ſpondeo, me fideliter, & ſincere quantum in me eſt exequuturum; ſic me Deus adjuvet, & haec ſancta Dei Evangelia* = vel, ſi juret ſuper ſacras reliquias, *& haec Sanctorum pignora*: atque univerſim loquendo, electos in Punctatores, priuſquam officium aſſumant, eſſe jurejurando obſtringendos ad illud fideliter obeundum, edixit ſacra Congregatio Concilii (a). Cumque poſtea dubitatum fuiſſet, coram quo praedictum juramentum praeſtandum eſſet, ſacra Congregatio praeſtandum cenſuit coram illo, a quo Punctator eſſet electus; in cauſa enim Senen. *Officiorum* die XIII. Julii MDCLXXXVI. propoſito ſequenti dubio = *An qui Punctatoris munere fungi debet, teneatur, & cogi poſſit ad praeſtandum juramentum in manibus Archiepiſcopi, & in Capitulo, vel ſaltem alterutro modo, de fideliter exercendo dictum munus* = ? Sacra Congregatio reſpondit = *Punctatorem teneri jurare coram deputante* =.

IV. Praeterea S. Carolus Borromaeus quo magis magiſque ſecurus fieret de punctatorum diligentia, & fidelitate, non ſolum eos jurare voluit, cum punctatoris officium capeſſunt, ſed & idem juramentum renovandum ſtatuit in prima Synodo dioeceſana, quae contingerit celebrari dum idem ipſi officium gerunt = *Quod de Punctatorum jurejurando* (ait loco citato pag. CLX.) *in Concilio Provincia-*

(a) Sac. Congr. Conc. in una Maceraten. *Viſitationis ſacr. Liminum* 26. April. 1664. ad 6. dubium; & in altera Curzulen. *Juriſdictionis* 16. Nov. lib. 26. decret. pag. 328.

vinciali primo ſancitum eſt, id & ab iiſdem praeſtetur, non modo cum Punctatoris officium ſuſcipiunt, verum etiam in publico dioeceſanae Synodi conventu, qui habebitur, dum ipſi id officium gerunt; quo religioſius unuſquiſque eorum excitetur ad debitum in munere ſuo obeundo diligentius officium cum fidelitate conjunctum adhibendum =.

V. Haec quae retulimus (ſi pauciſſima excipiantur) a Benedicto XIV. lib. IV. de Synodo Dioeceſana cap. IV. a numero I. uſque ad IV. hauſimus, ac didicimus, vobiſque modo exponere curavimus, ut eorum, quae a nobis indicenda eſſent, cauſam, rationemque conſpiceretis. Etenim Pontificalis vigilantiae noſtrae & jus expoſceret, & ſolertia, ne ab inſtitutione punctatorum a Nobis deſignandorum in hac prima noſtra Synodo abſtineremus. At cum gratiſſimum Nobis ſit, ubicumque conſcientia non reclamante fieri poſſe dignoſcimus, conſuetudines veſtras ſartas, tectaſque ſcrupuloſiori quoque ſtudio cuſtodire; novum apud vos, & propterea fortaſſe exoſum contra punctatoris officium, benevolentiae plenitudine, amoris teſtimonio, paciſque deſiderio, libentiſſime creare omittimus, & ſtabilire.

VI. Sed quoniam vetuſtiſſimae cathedralis eccleſiae noſtrae conſtitutiones a praeclariſſimo deceſſore noſtro Antonio Seneca S. Caroli Borromaei olim generali Vicario, duobus fere ab hinc ſaeculis contextae, & a Petro Paulo Gerardo Epiſcopalem Sedem hanc anno MDCCI. laudabiliter, & glorioſe occupante innovatae ſingulis illius aevi annuentibus canonicis, & quarum obſervantiam quiſquis veſtrum canonicatus poſſeſſionem adiit, ſacramenti religione promiſit, hae vobis praefixae vivendi regulae, punctatorum electionem quotannis faciendam eſſe mandant, fideiitatem, ac diligentiam adhibendi juramento eos obſtringendos fore jubent, illorumque munia indicant; fraude, vel oſcitantia peccantes graviter punituros minantur; grave vobis videri non poſſe exiſtimamus, ſi ea hic indicenda aggrediamur, quae peculiaribus receptis, ejuratiſque legibus iſtis, aut non obſcure indigitata, aut apertiſſime jamdiu ſancita inveniuntur.

VII. Quare volumus imprimis; quod in conſueto generali capitulo cujuslibet anni, inter alios officiales, duo a vobis ad punctatoris

toris munus deputentur ; iique ad id officium deligantur, quorum avaritiae, vel negligentiae nulla prudens, & rationabilis poſſit eſſe ſuſpicio. Et licet immemorabilem uſum committendi eccleſiae manſionariis provinciam hanc abrogare nolimus, eum tamen improbamus, animo quidem dolentiſſimo, (probe ſcientes nonnihi canonicis iſtiuſmodi congruere munia) tum quia rei periculum, operiſque ratio hoc expoſcunt ; tum quia, univerſalis aliorum capitulorum praxis hoc idem ſuadet ; tum demum quia & in ipſis municipalibus ſtatutis veſtris, ubi de poteſtate manſionariis ex conſuetudine facta punctatorum partes adimplendi ſermo habetur, mos invectus, qui non inhibetur, minime laudatur, immo gravi adhortatione, ſapientiſſimoque conſilio melior punctatorum delectus maximopere inculcatur ; ſicuti evidenter colligitur tam ex conſtitutionibus capitularibus cap. XXVI. num. V., quam ex Synodo a D. Viviano coacta anno MDXCVI. cap. XXXVI. num. III.

VIII. Deinde quicumque ſint ad punctationem exercendam deſignati, ſtatim ac electi fuerint, coram Capitulo, & Epiſcopo, juxta capitularium conſtitutionum, & memoratae Synodi mandatum, locis paulo ante citatis, jurent, ſe fideliter, & ſincere exequuturos quidquid ad punctatores attinet, formula ſuperius deſcripta. Idemque juramentum in hoc ſynodali congreſſu emittendum eſſe ſciant, qui nunc id gerunt officium.

IX. Tandem ſanctiones confirmantes in praedictis conſtitutionibus capitularibus, ac in praelaudata Anagnina Synodo enunciatis capitibus contentas, ad corrigendos, emendandoſque injurioſos, vel iniquos punctatores, decernimus, eos negligentiae, ac delicti poenis irremiſſibiliter plectendos eſſe, dupli ſcilicet, & perjurii, ac aliis arbitrio noſtro taxandis.

X. Ut autem punctatoribus pateant diſtinctius cauſae legitimae, quibus abſentes punctandi non ſunt, utpote ab ipſo Tridentino approbatae, animadvertant, a choro excusari infirmos, dummodo intra urbem, aut oppidum maneant (a), ſitque eorum infirmitas vera, non ficta, aut parvi momenti (b), eique dumtaxat haec cauſa ſuffragatur, qui alias cum ſanus foret ſolitus fuerit (ut innuimus)

(a) Sac. Congr. Concilii in Nullius Inſtitut. 107. 12. Decem. 1666. ad 2. ap. Bened. XIV. (b) In eadem Inſtitut. Bened. XIV.

mus) eccleſiae inſervire. Punctandi item non ſunt, qui medicorum conſilio extra urbem captandi ſalubrioris aeris cauſa demorantur (a), quique dum convaleſcunt, domo exeunt aliquoties ad deambulandum, non tamen nocturno tempore, neque diurno ad Miſſam celebrandam. Item qui podagra laborant (b), & qui poſt adeptum canonicatum lumina oculorum amiſerint (c). Qui denique medicinam ſumit, curationeſque ad valetudinem (d), aut ſanguinis minuendi graria venae ſectionem adhibuir, vel utitur thermalibus aquis, non autem iis, quae dicuntur dulces, vel acidulae; neque minus eximuntur canonici, qui lactis potionem adhibent ad ſalutem (e).

XI. Ob eccleſiae utilitatem diſtributionibus non privantur (f). Canonicus theologus, quo die lectionem haber: canonicus poenitentiarius, qui tempore divinorum officiorum confeſſiones excipit: item canonici, ſive etiam beneficiati, quorum beneficio cura adnexa eſt animarum in eadem eccleſia, actu eam ipſam curam exercentes, & tempore officiorum ſacramenta miniſtrantes: ſpititualibus exercitiis de noſtra licentia in aliqua religioſa domo vacantes (g), demptis temporibus Adventus, & Quadrageſimae: canonici accedentes ad viſitationem ſacrorum Liminum vel una cum Epiſcopo, vel pro Epiſcopo, dummodo trium menſium ſpatium non excurrar (h): hi, ne dum praebendarum fructibus gaudent, verum & quotidianas diſtributiones lucrantur omnes, uti decrevit Sixtus V. (i): canonici etiam, qui aſſiſtentiam praeſtant Epiſcopo potificalia exercenti, vel generales ordinationes habenti, vel cum pluviali, & mitra, aut cum cappa divinis officiis aſſiſtenti, Miſſaeque ſolemni tam in noſtra cathedrali, quam in aliis eccleſiis intra fines civitatis, vel ſuburbia exiſtentibus (k); quibus canonicis Epiſcopo in dictis miniſteriis

(a) Sac. Cong. Conc. in Lauretana 6. Aug. 1711.

(b) Eadem ſac. Congr. in Lauretana 2. Mati 1716. ad primum.

(c) Eadem ſac. Congr. apud Fagnan. in cap. *Licet* de Praeb. num. 142.

(d) Sac. Congr. Conc. in Aprutin. diſtribut. 7. Jan. 1755.

(e) Eadem Sac. Congr. apud Fagnan. loc. cit. num. 150.

(f) In Synod. Viterb. 1763.

(g) Clemens XI. per organum ſacr. Congr. Conc. 1. Febr. 1710. Bened. XIV. epiſt. Commonit. ad univerſ. Epiſcop. ſui Bullarii tom. 1. num. 2.

(h) Sac. Congr. Conc. in Brix. 18. Dec. 1627. in Pennen. 1. Octob. 1672.

(i) Sixtus V. adud Bened. XIV. Inſtitut. 107. num. 59.

(k) Concil. Trident. verſ. *Omnes vero* ſeſſ. 24. cap. 12. ſac. Congreg. Conc. 17. Aug. 1641.

ſteriis inſervientibus diſtributiones quoque tribuendae ſunt, ſi hoc neceſſario munere impediti choro intereſſe nequeant. Canonici pariter comitantes Epiſcopum in viſitatione dioeceſis; & ſimiliter unus, vel duo canonici, quos accerſere conceditur Epiſcopis (a) ad ſibi inſerviendum, etiamſi non dioeceſanae viſitationis cauſa. Hi tamen conviſitatores Epiſcopales, & unus, vel duo canonici, ſive etiam beneficiati extra viſitationis negotia, & tempora in ſui ſervitium ab Epiſcopo vocati, etſi lucrentur praebendam ſuorum canonicatuum, vel beneficiorum, non tamen diſtributiones quotidianas, abſentes a choro faciunt ſuas; quod ſi redditus eorum omnes diſtributionibus conſtent, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrabuntur, amiſſa alia, quae intervenientibus accreſcet (b); his exceptis, neminem tueri poteſt excuſatio quaecumque muneris ſive Vicarii generalis (c), ſive Examinatoris ſynodalis (d), ſive officialis tam ſanctae Inquiſitionis (e), quam Camerae Apoſtolicae, aut Reverendae Fabricae S. Petri, vel Lectoris in Seminario, aut aliqua Univerſitate (f); niſi Apoſtolicis, Nobis exhibendis, litteris muniatur (g).

XII. Nonnihil ſupereſt hic addendum de canonicis jubilaris, qui attento ſacrae Congregationis indulto in gratiam diuturni, continuique ſervitii, quod annis quadraginta non interciſis laudabiliter propriae eccleſiae praeſtiterint, expediri conſueto (h), vel abſentes fructibus gaudent, atque diſtributionibus, ac ſi coram adeſſent, ſine ulla prorſus reſidentiae obligatione tam pro canonicis horis perſolvendis, quam pro Miſſis conventualiter celebrandis. Verumtamen id ſibi perſuadeant laudabile hoc ſervitium adeo ſtricte requiri, ut indultum etiam conceſſum poſſit revocari capitulo recurrente,

(a) C. *De cetero* de Clericis non reſidentib.

(b) Ex reſponſione ſac. Congr. Conc. 3. Dec. 1626. in cauſa Sulmonen. lib. 13. decret. pag. 329., & ex definitione ejuſdem ſac. Congr. in cauſa Colonien. lib. 4. decret. pag. 269., apud Bened. XIV. Inſtitut. 107. num. 58., & 59.

(c) Sac. Congr. Conc. in Tarentina 9. Maii 1671., & in cauſa Bitetti 17. Dec. 1627.

(d) Sac. Congr. Conc. in Cremonen. 20. Nov. 1642., & in Britien. 19. Junii 1638.

(e) Sac. Congr. Conc. in Mediolanen. 22. Aug. 1572., & 3. Febr. 1635.

(f) Sixtus V. in litteris ſub annulo Piſcatoris 8. Maii 1590. Sac. Cong. Conc. 22. Aug. 1672. lib. 23. decret. pag. 272.

(g) Bened. XIV. Inſtitut. cit. 107. a num. 70. uſque ad num. 72. inclusive.

(h) Sac. Congr. Conc. ad dubium *Jubilar.* 12. Sept. 1718., & in Aquipenden. *Jubilationis* 27. Maii 1697. ad primum,

rente, ac docente de raro jubilati ad chorum acceſſu (a): ſciantque inſuper, integrum eſſe Epiſcopo, jubilatos canonicos ad eccleſiae ſervitium revocare, quandocumque viderit eos valentes viribus, & ob miniſtrorum aliorum paucitatem divinum cultum aliquid detrimenti capere (b). Quoad emolumenta ex anniverſariis fixis redeuntia, iis fruantur, etiam extra civitatem degentes, dummodo a teſtatoribus abſentes non excludantur, appoſita in hujuſmodi anniverſariis conditione excludente, ut in anniverſariis extra ordinem obvenientibus, emolumentiſque funerum pro aſſociatione cadaverum, abſentes participare non poſſunt (c).

XIII. Sed punctatorum officium haud in eo tantum verſatur, ut ipſi ſedulo obſervent, & notent omnes, & ſingulos chorales, qui vel integro die, vel aliquot horis abſunt, id quod neceſſarium eſt ad vindicandam juxta ſancita in jure, & ſacris canonibus, uniuſcujuſque contumaciam, aut negligentiam; verſatur etiam in hoc, ut praecipue eos notent, & punctent, qui abſque habitu proprio canonicali compareant in choro, qui extra proprium ſtallum reſident, qui cum aliis non recitant, vel canunt; non enim ſufficit horis canonicis intereſſe, niſi obligati per ſe ipſos alta, & intelligibili voce recitent, & pſallant: ſicut & omnes habitualiter non ſtantes, non ſedentes, non genuflectentes, non inclinantes, juxta regulas in rubrica miſſalis, & caeremonialis chori; qui officium, vel alias preces privatim tunc perſolvunt, & eo magis ſi litteras, vel aliud ſcriptum legant; qui colloquendo, aut riſum commovendo, minus modeſte quam par eſt, coram Deo, & Angelis ſuis geſtu, vel actu ſteterint; qui hac, vel illac concurſaverint, vel acedia abrepti diſceſſerint, & in ſacrario, vel alibi moram notabilem fecerint; qui tandem a choro diverterint, etiam cauſa celebrandi Miſſam, vel audiendi confeſſiones, non concurrentibus circumſtantiis, & exceptionibus in jure ſtatutis, ſive in cujuſcumque capituli approbatis conſtitutionibus, & non abuſivis conſuetudinibus.

(a) Sac.Congr.Conc. in Roman. *Jubilat.* 6.Aug. 1612.

(b) Sac.Congr.Conc. 14.Sept.1718. in Regul.gener. ab ipſa tra litis apud Bened.XIV. Inſtitut. 19. Eadem ſac. Congreg. in Sabinen. 4.Octob.1715., & in Conſtantien. 4. Maii 1737. in theſ. Reſolut. tom.8.

(c) Sac.Congr.Conc.in Novarien. *Jubilat.* 20.Nov.1631., & in Patav. 9.Junii 1714.

XIV. Punctatores ſui muneris ſemper memores ſupranotatas punctandi leges prae oculis habeant, & exactiſſime ſervent, citra omnem indulgentiam, offenſionis metum, aut gratiae affectum; ſecus, praeter perjurii reatum, reſtitutionis lege de propriis pecuniis obligantur, ſi luerint poenam innoxii, aut immerentes diſtributiones, vel multas perceperint. Qui autem a punctatoribus ſe laeſum putat, ſolvat primum, poſtea jura ſua ad Nos deferat.

XV. Memores ſint omnes chorales abſentes, diſpoſitiones ſacri Concilii Tridentini, punctaturas eſſe ſolvendas illis, quibus competunt; neque ſuas in foro conſcientiae diſtributiones facere abſentes ullo modo poſſe, ita ut in opera pietatis, vel eleemoſynas converti nec poſſint, imo nec juvantur quavis colluſione, condonatione, vel remiſſione, etiam accedente totius capituli conſenſu, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis, & conſuetudinibus (a). Audiant ſac. Congregationis Concilii declarationem = *Dignitatibus, & canonicis nullo ſub praetextu liceat punctaturas, & diſtributiones donare, vel remittere abſentibus ab eccleſiae ſervitio. Quinimo, qui eas receperit in abſentia, tenetur ad earum reſtitutionem; nec in foro conſcientiae ſuas facit, non obſtante dicta condonatione* = (b).

XVI. Poſtremo quamvis nullam a Nobis licentiam requiramus abſentiae a choro vacationis tempore, tamen ſciant canonici diſcedere ſe non poſſe a dioeceſi, tempore etiam legitimae vacationis niſi accedat noſtra permiſſio, quam tamen abſque rationabili cauſa non ſumus denegaturi (c). Sed ne abuſus diſcedendi a dioeceſi Nobis inconſultis inoleſcat, mulctam ſtatuimus ad inſtar diſtributionis unius julii qualibet die adverſus inobedientes canonicos. At qui aliquantiſper abſunt, non videntur abeſſe, ſicut inquit Tridentinum (d) cui accedit Concilium Romanum (e). Nos autem conniventer eximimus ab hujuſmodi licentia, & poena canonicos, qui abſunt a dioece-

(a) Trident. cap. 12. ſeſſ. 24. de reform, & cap. *Conſuetudinem* de Clericorum reſidentia apud Bened. XIV. cit. Inſtitut. 107. num. 42., & ſeqq.

(b) Sac. Congr. Conc. in Turritana 2. Julii 1733. lib. decret. 14. pag. 751.

(c) Sac. Congr. Conc. in Jadren. 9. Maii 1726., & in Caſtri Maris 4. Maii 1737. in cit. Inſtitut. 107. num. 36. §. 6.

(d) Conc. Trident. cap. 1. ſeſſ. 23. de reform. de Epiſcopor. reſidentia.

(e) Concil. Roman. tit. 17. cap. 6. de Parochis.

dioeceſi per tres dumtaxat dies. Sed ne inferioris gradus eccleſiaſtici iis, qui primas in clero ſedes tenent, praeponantur, ceteris quibuſcumque nedum presbyteris, verum etiam & in minoribus, & in aliis ſacris ordinibus conſtitutis diſtricte mandamus, ut quoties a dioeceſi diſcedere, & abeſſe voluerint, licentiam a Nobis petant (a): quod ſi permiſſione noſtra non exquiſita, aut non obtenta diſcedere, & abeſſe praeſumpſerint, ſciant, Nos eos omnino graviter eſſe punituros; neque unquam mitius, quam medicinali poena morandi decem dierum ſpatio in aliqua domo religioſa ad ſpiritualia exercitia inibi peragenda.

CAPUT XI.

De congregationibus capitularibus.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo in conſilio juſtorum, & congregatione. Pſalmo CX. verſ. 1.

I. CONſilia, & congregationes juſtorum, ubi divinarum laudum confeſſio, cordis effuſiones, ordo, pax, & reſtitudo reſonant, Domino Deo altiſſimo placent. Quo circa jurgia, contentiones, malignitatem, & confuſionem excludant, ac penitus devitent oportet. Ut hoc adimpleatur in congregationibus capitularibus, nonnulla praecavemus, & ſtatuimus. Primo quidem quod numquam eo tempore, quo divina officia celebrari debent, convocetur capitulum, niſi gravis, & urgens cauſa in aliam horam differri non patiatur; quod ſi ſecus fiat, praeter amiſſionem diſtributionum, mulctas, & poenas ſubibunt inobedientes (b). Eo pariter tempore, quo divina perſolvenda eſt pſalmodia, nulli canonicorum liceat ſive ratiociniis, ſive negotiis quibuſcumque, adhuc capitularibus vacare, unico excepto emergente gravi caſu, cujus providentia dilationem non patiatur.

II. Ut ſacra comitia rite procedant, pie incunda ſunt, mature, libere, & fideliter habenda. Cum autem a Deo recta conſilia, & juſta ſint opera, eumque auctorem habeant, felices conſultorum ſucceſ-

(a) Lanucci in Synodo tit. 4. cap. 1. num. 11.

(b) Sac. Congr. Conc. in Turritana 2. Julii 1733.

ſucceſſus ab invocatione S. Spiritus inchoentur, & cum gratiarum actione a Praeſide concludantur. Omnes inſuper cum habitu canonicali in capitulo convenire decens erit, ut proprii ſtatus inſignia oculis ſubjecta ſuggerant mores, quos induere debent in eccleſiaſtico congreſſu. Ne quid vero praecipitanter fiat, ubi de rebus arduis agendum erit, tempeſtive quidem, ſed provide capiantur conſilia. Quare in uno capitulo re propoſita, ad aliud remittatur deliberatio, ſi id negotium ſit, cui a mora periculum non imminеat: privatis commodis non ſtudeant, & ab ira, odio, inimicitia vacui in ferenda ſententia Dei gloriam, & publicam utilitatem prae oculis habeant: metu offenſionis non ſileant quae proſunt, nec proferant quae placent ad captandam alicujus gratiam. Uſus, & experientia ſcientiam afferunt; proindeque juniores ſenioribus deferant: ſeniores tamen non ſint adeo moroſi, & propoſiti ſui tenaces, ut juvenes recte ſentientes ſpernant; in virente enim aetate cani eſſe poſſunt ſenſus hominis (a). Quapropter ſententiae candide, & ingenue ferantur, nec ſit, qui ſuo ſibi ex cerebro plus ceteris ſapere videatur, ut velit praeſidentiae ſuae aliorum omnium obnoxiam libertatem.

III. Ut ergo jurgia abſint, ſtrepitus, contentiones, & partium ſtudia, ubi abſint in varias ſententias, ſtudeant ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis (b). Qua in re ſi quiſpiam peccaverit in convicia erumpens, pecuniariis, aliiſque Nobis beneviſis poenis, pro convicii gravitate plectetur. Per canonicum in capitulo digniorem contumelioſa, quae prolata fuerint verba, ad Nos deferantur, ut Nobis praecipientibus ab eo, qui laeſerit, debitus honor laeſo coram ipſis capitularibus habeatur.

IV. Quinque julios in poenam ſolvet, qui licentia a Praeſide non impetrata diſcedet nondum dimiſſo, & abſoluto capitulo. Si alicujus canonici, aut ejus conſanguinei, & cognati intra ſecundum gradum res agatur, hic a capitulo recedat, & nonniſi re peracta admittatur. Suffragia ſecreto ferantur, & ut ſilentii fides integra ſervetur, vetitum cuilibet ſit de rebus in capitulo actis, cum exteris miſcere ſermones; alioquin punietur poena privationis vocis activae, & paſſivae ad menſem duraturae juxta praeſcriptum in

(a) Sap. 4. verſ. 9. (b) Ad Epheſ. 4. verſ. 3.

in Conſtitut. Capitularibus capit. XVIII. num. XXI. pag. LXXVI.

V. Collatis conſiliis, quod optimum eſt eligatur (a) : grave nimis profecto, & reprehenſione digniſſimum eſt, quod pauci quandoque non tam de ratione, quam de propria voluntate, ordinationem multorum impediant : re integra ſingulis diſentire fas eſt ; peracta, quod pluribus placet a cunctis tuendum eſt ; quocirca ſtatuimus, ut illud praevaleat ſemper, & ſuum conſequatur effectum, quod a majori parte fuerit conſtitutum. Adeo bene nobiſcum agi ſperamus, ut meliora pluribus placeant, & ſuffragia numeraſſe, ponderaſſe ſit (b). Nemini item liceat officia, vel munia ſibi a capitulo delata recuſare, & ſi recuſaverit, opportunis remediis ea ſubire a Nobis compelletur, & praeſertim amiſſione diſtributionum correſpondentium ſervitio tot dierum, quot praeſcribunt Conſtit. Capitul. cap. XVIII. pag. LXXII. num X. Suffragium in capitulo non habeant canonici, qui in ſacris ordinibus non ſunt conſtituti, etiam in collegiatis eccleſiis (c). Quicumque indicto de more capitulo, ceſſante legitimo impedimento adeſſe neglexerit, punietur poena jam ſtatuta in conſtitutionibus capitularibus cap. III. n. XXI. pag LII. Omnia denique ſedulo, ac quiete tranſigantur. Meminerint, *Canoci* nomen illis non ex eo tantum factum eſſe, quod in canonem, ſeu matriculam eccleſiae relati, ſtatutam de illius bonis percipiant portionem (d) : *Canonici* enim etiam dicuntur, quia obſervandis regulis eccleſiaſticis ceteris arctius ſe devoverunt (e). Rem igitur ſui nominis impleant, canonice vivant, & eſſe ſtudeant, quod dicuntur (f) : id vero tunc potiſſimum explere debent, cum ſimul congrediuntur. Quare verbis S. Caroli Borromaei eos monendos eſſe ducimus (g) = *Omnia in primis agite pace mutua ; concordi voluntate, & caritate fraterna : vos invicem diligite ; canonici enim eſtis, qui ſicut .... pro veſtro inſtituto uni eccleſiae omnes adſcripti eſtis, ejuſque ſervitio omnes devincimini, atque de ejuſdem eccleſiae menſa omnes ſuſtentamini, ita uno pacis, & cari-*

(a) Cap. *Cum in cunctis* de his, quae fiunt a majori parte Capituli.

(b) Cap. fin. hoc tit.

(c) Clement. *Ut ii* 2. de aetate, & qualit., & ord. Praeficiend. Trident. cap. 4. ſeſſ. 22. de reformat.

(d) Conc. Antioch. can. 6. Calced. cap. 2. Trull. can. 6.

(e) Ivo Carnotenſis epiſt. 59.

(f) Can. *In omnibus* de Conſecr. diſt. 5.

(g) Acta Mediolanenſis eccleſiae pag. 302. §. *Omnia*.

caritatis foedere, unaque animorum conſentione conjunctiſſimi, ſicut naſcentis eccleſiae miniſtri, quorum erat cor unum, & anima una experiundo videte, ſicut in Pſalmo ſcriptum eſt „ Quam bonum, & quam jucundum ſit habitare fratres in unum = .

§. XII.

De Sacrificio Miſſae, & de Miſſarum celebratione.

Loquere ad Sacerdotes ..... Ne contaminetur Sacerdos ..... Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus: incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt. Levitici cap. XXI. verſ. 1., & VI.

I. CHriſtus, Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in aeternum conſtitutum declarans, Corpus & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent praecepit per haec verba: = *Hoc facite in meam commemorationem* =, uti ſemper *catholica eccleſia intellexit, & docuit* = *Si quis dixerit*, ait Concilium Tridentinum *illis verbis „ Hoc facite in meam commemorationem „ Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos ſacerdotes, aut ordinaſſe, ut ipſe, aliique offerrent Corpus & Sanguinem ſuum, anathema ſit* = (a). Sacerdotes igitur rite ab eccleſia ordinati in Miſſae celebratione ſacrificium Deo offerunt, quo nihil ſanctius, nihil terribilius, adorabilius nihil eſt in ſacroſancta Chriſtiana noſtra Religione. Sacrificium eſt enim *latreuticum*, inſtitutum ſcilicet, ut ſupremus latriae cultus Deo uſque ad conſumationem ſaeculi jugiter exhiberetur, non ab hominibus dumtaxat, ſed ab ipſomet Homine Deo; qui in Euchariſtiae ſacrificio adorat pro nobis, adorat in nobis, & adoratur a nobis; adorat in nobis, ut caput noſtrum; adorat pro nobis, ut Sacerdos noſter; adoratur a nobis ut Deus noſter. Sacrificium inſimul eſt Gratiarum, dicente S. Auguſtino (b) = *Gratias agimus Domi-*

(a) Concil. Trident. ſeſſ. 22. cap. 1., & can. 2.

(b) S. Auguſt. epiſt. 140. alias 120. ad Honoratum cap. 19.

Domino Deo noſtro, quod eſt magnum Sacramentum in ſacrificio novi Teſtamenti: Sacrificium quoque eſt *Propitiatorium*, in quo idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſeipſum cruente obtulit, *qui eſt* propitiatio pro peccatis noſtris, *non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*; & idem Sanguis, qui fluxit ex Chriſti latere, continetur in calice, & myſtice funditur pro nobis in remiſſionem peccatorum. Sacrificium eſt denique *impetratorium*, teſtante ſancto Cyrillo Hieroſolymitano. (a) = *Poſtquam confectum eſt*, ait, *illud ſpirituale ſacrificium, & ille cultus incruentus ſuper ipſa propitiationis hoſtia, obſecramus Deum pro omni eccleſiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro Regibus, pro militibus, pro ſociis, pro aegrotis, & afflictis, & in ſumma, pro omnibus, qui egent auxilio* =.

II. Tam praecellentis, & venerabilis ſacrificii Miniſtri ne minus religioſe illud conficiant, pertimeſcere debent, & ea diligenter ſervare, quae hic decernimus, & mandamus. Sacerdotes omnes tum civitatis, tum dioeceſis veſte talari nigri coloris manicata, & integra anterius a ſummo uſque ad imum clauſa e domo diſcedant, & ad ſacrificandum Domino cum ea in eccleſiam pergant, & ingrediantur. Sacerdotes, qui ſine dicta talari veſte celebrare praeſumpſerint, ſuſpenſionem per quindecim dies a ſacro faciendo nobis reſervatam illico incurrant. Sacerdotibus vero peregrinis, & exteris, modo ultra triduum in civitate, ſeu locis noſtrae dioeceſis moraturi non ſint, indulgemus, ut in hujus ſacrificii miniſterio uti poſſint veſte talari etiam non manicata; ſine qua tamen, ſub praedicta poena ſuſpenſionis a ſacro faciendo ipſo facto incurrenda, eis celebrare ne liceat. Id ipſum Sacerdotibus pariter incolis permiſſum volumus, quoties eos in eccleſiis ruralibus a civitate, aut oppidis longe diſſitis ſacrum facere oporteat. Quare ſingulis eccleſiarum rectoribus jubemus, ut in praedictorum ſacerdotum uſum unam ſaltem praeſcriptae formae talarem veſtem in illarum ſacrariis paratam jugiter retineant, ſine qua ne ſacerdotum quemquam in eorum eccleſia celebrare per-

(a) S. Cyrill. Hieroſol. catecheſi 5. myſtagogica.

mittant, ſub poena aureorum decem, aliiſque pro modo culpae gravioribus (a).

III. Sacerdotes celebraturi patentem deferant tonſuram, vitam ſeu faſciam lineam, vulgo *collare* collo circumductam (b); alias graves luent poenas: quibus & majores dabunt, qui in divinis agendis myſteriis criſpata coma, & pulvere cyprio conſperſa, vel fictitia, aut pileolo, ſine ſpeciali apoſtolico indulto, uti praeſumant (c); cum nemini niſi aperto capite ſacrificium offerre liceat; ipſumque pileolum ſub ſacerdotali bireto a ſacriſtia ad altare uſque deferre, eccleſiaſticis legibus innixi prohibemus (d). Annulum quoque in miſſae celebratione geſtare ſub liſdem poenis cuique ſacerdoti, quacumque etiam dignitate praedito inhibemus (e), niſi Pontificalia obire jure, vel legitimo privilegio ſibi competere oſtenderit.

IV. In faciendo ſacrum quilibet ſacerdos pedibus ſit calceatus, etiamſi miſſam celebret in oratorio privato. Cum autem aeque vanitatem, ac ſordes procul a Dei Miniſtris eſſe conveniat, nullus, ſub gravibus poenis pro indecentiae modo a nobis ſtatuendis, ad ſacrificandum accedat terebratis, aut diſcerptis calceis, vel luto nimium inquinatis (f); item, nec ocreatus, vulgo *ſtivalato*, aut diſciſſis notabiliter veſtibus, ſeu ultra decentiam protenſis, aut implexis, vel ſordide incultis capillis, ore, facie, manibuſve coinquinatis, multoque minus, armis hominum offenſivis ſtipatus (g); cum quibus ſi quis auſu temerario celebrare non erubuerit, praeter alias, ſuſpenſionis poena ſe illico innodatum ſentiat.

V. At potiſſimum quilibet ſacerdos noſtrae dioeceſis perpendat, quod ſicut pro Dei gloria, & cultu, ac totius mundi ſalute haec ſalutaris Hoſtia offerenda eſt, non pro unius homuncionis commodo, & uti-

(a) Lanuc. in ſyn. tit. 3. cap. 7. n. 5. in edicto urbis juſſu Bened. XIII. §. 6. Braſch. Promptuar. ſynodal. c. 74. n. 27. Toſi in ſyn. par. 2. cap. 5. num. 4. & 5. Emus Buſalini in ſyn. tit. 4. art. 2. par. 2. in tabula reſervatorum caſu tertio quoad ſuſpenſiones.

(b) Can. *Prohibete*. diſtinct. 23. S.C.E. in Fundana 23. Junii 1683.

(c) Cap. *Nullus*. 57. de conſec. diſt. 1.

(d) Ap. Braſch. promptuar. ſynodal. cap. 74. num. 23.

(e) Cap. *Clerici*. 15. di vit., & honeſt. cleric. Conc. Rom. ſub Bened. XIII. tit. 16. cap. 3.

(f) S. Car. Borrom. inſtruct. de mund. eccleſ.

(g) Cap. *Quicumque ex clero*. cauſa 23. quaeſt. 8. cap. *Clerici arma*. de vit. & honeſt. cler.

& utilitate, ita ſibi ſollicite cavendum eſt, ne celebrationem miſſae faciat artem de pane lucrando, ſive, uti loquitur S. Bernardus, *perverſo nimis ordine caeleſtibus terrena mercetur, ordinans caelum ad ventrem*. Et quoniam, ſubſtentationis aliove legitimo titulo ſecluſo, (a) ſolo eleemoſynae fine ductus celebrans, alias non celebraturus, ſimoniam, & gravem culpam admittit (b), Chriſtum longe viliori pretio vendens, quam Judas, a Templo ſancto ſuo, ab eo ejici merito reformidet flagello nedum temporali, ſed & aeterno.

VI. Miſſam praecedat matutini, ac laudum recitatio: etenim citra rationabilem cauſam ſine peccato praetermitti non poteſt (c). Miſſam pariter antecedat brevis ſaltem paſſionis Dominicae meditatio, quam Seraphicus Doctor S. Bonaventura exiſtimavit Sacerdotibus, celebrare volentibus demandatam fuiſſe a Chriſto Domino verbis illis = *Haec quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis* = Nuſquam tamen abſque debita praeparatione miſſa celebretur, nec umquam poſt ejus celebrationem omittatur conveniens gratiarum actio, & neque praeparatio, neque gratiarum actio brevior ſit quarta circiter parte horae. Qui in celebratione ſic feſtinanter ſe geſſerint, ut ſemihoram, vel ſaltem tertiam horae partem ad altare non conſumpſerint, qui & cum notabili neglectu rubricarum, aut ſacrorum rituum, ſine praeparatione, aut gratiarum actione ſaepe celebrare ſolent, a ſacriſtis, vel rectoribus eccleſiarum ad celebrandum, ſub poena unius aurei pro qualibet vice, non admittantur: quam poenam etiam ſubibunt, ſi eorum nomina Nobis deferre neglexerint.

VII. In unaquaque eccleſiarum ſacriſtia, ſeu alio intus ipſas genuflexorium cum imagine Jeſu Chriſti, & precum tabella aptiori, & ſecretiori loco collocentur, ut ſacerdotes ſacroſanctum peracturi ſacrificium ibi ſe condigne praeparent, eoque peracto, ibi Deo pro ſummi beneficii munere referant gratias (d).

VIII. Niſi media circiter hora tranſacta fuerit a miſſae celebra-

(a) Alphon. de Leon. de oſſ. cappel. quaeſt. 6. num. 13., & ſeq.

(b) Cardinales Bellarm. & Hugo, Petrus Dami. & S. Thom. ap. Criſp. della ſac. ord. §. 4. num. 12. pag. 61. apud ſynodum Fulginat. Baptiſtelli cap. 30. de ſacrificio miſſae num. 2.

(c) Rubric. miſſal. tit. de praepar. ſacerd. Bened. XIV. conſtit. *Erſi Paſtoralis* 47. §. 7. de ſac. ordin. num. 5. ſui Bullarii tom. 1. & in tract. de ſacrif. miſſ. tit. 2. pag. 34. edition. Patavin. 1741.

(d) Acta Mediol. pag. 10. §. ut quo, & §. *Peracta*, & pag. 637.. §. *Veſtita*.

tione, a chocolatis potatione, & alterius cujuſcumque materialis & corporalis alimenti ſumptione Sacerdotes monemus ut abſtineant. Cum enim juxta communiorem Doctorum ſententiam antequam media circiter horae pars decurrat, perdurent in ſtomacho ſpecies ſacramentales, & certum ſit, quod uſque ad illarum conſumptionem non ceſſet realis Corporis Chriſti praeſentia, irreligioſa prorſus cenſenda res eſt, Chriſti Corpori alia aedulia, alioſque liquores immiſcere (a).

IX. Hortamur Sacerdotes, ut libellum illum inſcriptum, *Specchio ſacerdotale per correggere i difetti della meſſa privata*, apud ſe retineant, eumque ſemel omninoquoque menſe, aut etiam frequentius attente perlegant. Id enim multum conferre poſſe arbitramur ad emendationem errorum, qui communiter admitti ſolent in miſſae caeremoniis. Hinc ejuſdem libelli exemplar indicimus in ſacrario cujuſcumque eccleſiae noſtrae dioeceſis aſſervandum eſſe ſuper genuflexoriis appenſum, quemadmodum Illimus Praedeceſſor noſter Baſſus peramanter admonuit in ſynodo part. II. cap. IX. num. VII Immo a quocumque ad ſacerdotii ordinem promovendo expoſtulandam eſſe inter alia requiſita, decernimus dicti libelli emptionem ac apud ſe detentionem in proprium uſum (b). Si autem rubricarum ſtudio, vel dicti opuſculi repetita lectione correctos minime fuiſſe reſciemus, non paucos illos dioeceſis, & civitatis noſtrae ſacerdotes, qui ſacros ritus in miſſae ſacrificio minime ſervant, conqueri non poterunt, quatenus ab Altaris miniſterio, circa quod peccare noſcuntur, repulerimus. Neque ſperent hac in re propriam Nobis poſſe ignorantiam occultare: ſiquidem ipſis celebrantibus Nos ipſi praeſentes erimus, & experimento prorſus indubitabili facti veritatem deprehendemus.

X. Sacerdotes inſuper imminente praeſertim ſacri celebratione, mente in tanti myſterii cogitatione defixa recogitent illud Apoſtoli Pauli I. ad Corinth. XI. = *Probet autem ſe ipſum homo* = In memoriam revocent verba illa Tridentini Concilii ſeſſ. XIII. cap. VII. = *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe*,

(a) In Inſtructionibus S. Caroli Borromaei.

(b) Romae etiam an. 1748. recuſus typis Octavii Puccinelli, ibique venui ſubjicit.

esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod .... etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, haec sancta synodus perpetuo servandum esse decrevit; modo non desit illis copia confessarii. Quod si necessitate urgente sacerdos absque praevia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur = ; recordentur tamen Alexandrum VII. die XVIII. Martii MDCLXVI. duas istas damnasse propositiones, primam sub num. XXXVIII = *Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, est consilium non praeceptum* = alteram sub num. XXXIX. = *Illa particula quamprimum intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur* = In communem itaque theologorum concedant sententiam, autumantium, confessionem illam ultra biduum non esse differendam. Hinc sua quilibet discussa conscientia, si opus est, animae labes ad formam ecclesiasticae legis eluat sacramento poenitentiae, & piam servet quilibet consuetudinem confitendi etiam veniales culpas bis, vel saltem semel in hebdomada.

XI. Curabunt solliciae ecclesiarum rectores, ut hujus altissimi sacrificii materia sit quam decentissima; hostiae nempe integrae, nitidissimae, & orbiculatae; haeque clericorum, non laicorum, multo minus feminarum, sive saecularium, sive etiam monialium manu fiant: pium morem quomdam in ecclesia servatum prae oculis habentes, quo diaconi cum subdiaconis, seu ipsi sacerdotes sacris amicti vestibus cum melodia Psalmorum azimum conspersum, & in ferro paratum ex secretario proferebant (a). Vinum itidem sit purgatissimum, & album (b), non acidum, non mucidum, non ante biduum depromptum, aqua autem pura. Qui haec neglexerint debitas non effugient poenas.

XII. A munere inserviendi Sacerdoti missam celebranti arceri omnino volumus viros, aut pueros sordidos, laceros, aut nimium incultos, aut verba distincte proferre nescientes, omnes itidem, qui hoc tam sanctum ministerium decore sustinere non valeant; foeminas de-

(a) Ambertus Card. Sylvae Candidae Episcopus in lib. contra Grecorum calumnias.

(b) Conc. Mediol. 1. §. *Ornamenta* in tit. de iis, quae pertinent ad celeb. Missae.

demum, cujuſcumque aetatis, capacitatis, & ſtatus, quibus ad Altare accedere canonum cenſuris rigoroſe vetitum eſt (a). Qui autem ſacerdoti rem divinam facienti miniſtrabunt, caveant diligenter, ne per eccleſiam vagentur, aut collocutionibus operam dent, neve neceſſitate non urgente ab altari quocumque praetextu ſecedant (b); ſed compoſito corpore, modeſte, ac devote, ut debent, ſacerdoti ſacrificanti aſſiſtentes continuo inſerviant.

XIII. Clerici ſacerdotibus ſacras veſtes induentibus, & exuentibus aſſiſtant, & inſerviant, eiſque, ubi fieri poſſit, diebus ſaltem dominicis, & feſtis ſuperpellicęo induti in miſſa devote miniſtrent (c); non, ut ſaepius fieri ſolet, muſſitanter, aut dimidiate, ſed intelligibiliter, & integre reſpondeant: quod facilius evenier, ſi ſacerdotes ſacra verba & ipſi cum pietatis ſenſu, & non ita curſim, aut diminute pronuncient, ut quisquam eis inſervientium apte reſpondere valeat, & ſi eosdem clericos, alioſque hac de re congrue edoceant, & eorum pravam reſpondendi conſuetudinem eliminare ſtudeant.

XIV. Cerei in Miſſae celebratione non minoris adhibeantur ponderis duabus ſaltem unciis, nec in progreſſu, minoris longitudinis quinque digitis tranſverſalibus & (die Paraſceves, & illis, in quibus defunctorum miſſae celebrantur, dumtaxat exceptis) ſint cerae albae: & in omnibus altaribus ad ſuſtinendas candelas omnino adſint concava illa inſtrumenta vulgo *boccagli* acuminato candelabrorum ferro infligenda; nec ante finem ultimi Evangelii candelae extinguantur. Completo autem ultimo Evangelio extinguantur emunctorio, non digitis, non verſione ad murum, nec ad candelabrum, nec ad terram (d). Volumus etiam, ut ad omnes & ſingulas miſſas, dum ſacra elevatur Hoſtia, in qualibet eccleſia tertius accendatur cereus, qui adſtanti populo expreſſius indicet realem Chriſti Domini praeſentiam (e). Ad elevationem in miſſa conventuali, vel Parochiali aliquot ictibus campanae majoris ſignum detur, quo admoniti etiam abſentes

(a) Cap. 1. de cohab. cleric. & mulier. Innocent. IV. conſtitut. *Sub Catholicae.* 14. §. *Mulieres* Bened. XIV. conſt. *Et ſi Paſtoralis* §. 6. de Sac. Euch. num. 2. ſui Bullar. tom. 1.

(b) Cit. Conc. Mediol. 1. §. *Sacerdotum*.

(c) Conc. Mediol. cit. loco cit. §. *Celebranti*.

(d) Acta Mediol. eccl. pag. 10. §. *Nos Sacerdos*, & pag. 653. §. *Avvertiſca*.

(e) Rubric. Miſſal. tit. de praepar. alt. & ornamenti S. C. Epiſc. in Sutrin., & Nepeſina 24. Sept. 1730. l. 24. litt. ff. limin. pag. 71., & 72.

tes ad tanti myſterii, ac beneficii recordationem religioſo cordis ſenſu preces adhibeant, & adorent, indulgentiasque conſequantur (a).

XV. Dum celebratur miſſa, diſtricte prohibemus, ne, caſu neceſſitatis excepto, ita altari appropinquent laici, & praecipue mulieres, ut evagationis, ſeu tentationis occaſionem ſacerdoti rem divinam agenti miniſtrent. Qua in re conſcientias oneramus rectorum eccleſiarum, ipſiſque injungimus, ut ſedulo curent, ne laici, & praeſertim mulieres miſſae aſſiſtentes illum occupent locum, qui celebrantis oculis ſit obvius, & ubi millies repetita ſacrorum canonum diſpoſitione, nemo de populo accedere, aut ſtare debet.

XVI. Sine facta in ſcriptis licentia in civitate a Vicario noſtro Generali, & in aliis dioeceſis locis a noſtris Vicariis Foraneis nemo admittatur in quacumque eccleſia pro munere inſerviendi miſſis. Ad id enim officii quicumque non clericus deputandus erit, volumus, ut a praedictis ſive noſtro Vicario Generali ſive Foraneis Vicariis approbetur poſt diligentem inquiſitionem de eorum & ſtatura, & veſtibus, & loquela, & idoneitate, & modeſtia, & aetate, ceteriſque aliis conditionibus neceſſario exquirendis, ut decenter ſacerdotibus celebrantibus miniſtretur.

XVII. Recurrente viſitationis tempore noſtris conviſitatoribus committemus, ut in omnibus dioeceſis locis ſacerdotum omnium ibi degentium miſſas audiant, & nobis referant, an juxta rubricarum praeſcripta, & ad normam praefatarum noſtrarum conſtitutionum in divino peragendo ſacrificio ſe gerant: & hoc idem experimentum de ſingulis civitatis presbyteris quotannis faciemus decurſu cujuslibet Quadrageſimae, deputatis ad aſſiſtendum unicuique miſſae, duobus, vel pluribus cathedralis eccleſiae canonicis.

XVIII. *Cum igitur* (verba ſunt Concilii Tridentini) *multa jam ſive temporum vitio, ſive hominum incuria, & improbitate irrepſiſſe videantur, quae a tanti ſacrificii dignitate aliena ſunt ut ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam & fidelis populi aedificationem reſtituatur, decernit S Synodus ut ordinarii locorum Epiſcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere ſedulo curent, ac teneantur, quae vel avaritia, idolorum ſervitus, vel irreverentia, quae*

(a) Acta Mediol. eccl. pag. 55. n. fin. & 270. decret. 11.

quae ab impietate vix ſejuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio, verae pietatis falſa imitatrix induxit. (a) = *Ecquis vero negabit* (ſubnectit Haroldus) *notiſſimos effectus tabaci, quomodocumque ante Miſſam ſumpti ad irreverentiam, ac proinde ad impietatis notam pertinere, eumque abuſum temporum vitio, & hominum voluptate irrepſiſſe* ? (b) = Ejuſdem fuere opinionis Patres Concilii Mexicani III. a ſum. Pontificibus Sixto V. (c) & Urbano VIII. (d) adprobati, qui id generis irreverentiae vitandae cauſa, omnem prorſus tabaci uſum, vel pro medicamine ſacerdotibus & laicis ante ſacram communionem interdixerunt (e). Id ipſum S. Limanae eccleſiae Archiepiſcopum Thuribium opinatum eſſe, illiuſque Provinciae ceteros Antiſtites, Theologiae, ac ſacrorum canonum peritos, exploratum habemus. In Concilio enim Provinciali Limano I. a laudato S. Thuribio an. MDLXXXVIII. coacto, quod inde a ſacra Concilii Congregatione, Sixti PP. V. auctoritate approbatum fuit (f), actione IV. c. XXIV. ita decretum eſt: = *Prohibetur ſub reatu mortis aeternae Presbyteris celebraturis, ne tabachi fumum ore, aut ſayri, ſeu tabachi pulverem naribus, etiam praetextu medicinae ante miſſae ſacrificium ſumant* : = In Synodo vero IX. inter dioeceſanas ab eodem S. Archiepiſcopo celebrata an. MDCII. hoc alterum capite XVIII. decretum legimus: = *Perſonis ſaecularibus prohibetur, ne ante communionem per os, vel nares ſumant aut pulverem tabachi, vel ſayri, etiam ſub praetextu medicinae.* In eorum Patrum ſententiam conceſſerunt haud infimi ſubſellii Theologi plures, qui poſſe Epiſcopos ſub gravi culpa tabaci uſum ante ſanctiſſimae Euchariſtiae proximam ſumptionem prohibere (g) aſſerunt; imo & decere ſuis in ſynodis tabacum tunc temporis quomodolibet ſumendum interdicere (h); eo vel maxime, quod putant, naturae jejunium ſolvi quoties ex ejuſmodi validiſſi-

(a) Concil. Trid. ſeſſ. 22. in decreto de obſer. & vitandis in celebr. miſſae.

(b) Henric. Harold. opere in ſcripto= Lima limata conciliis &c. Romae edito an. 1673.

(c) Sixt. V. Bulla 18. Octob. 1589.

(d) Urban. VIII. Bulla 11. Mart. 1602.

(e) Conc. Mexican. III. lib. 3. tit. 15. §. 13.

(f) Liquet ex litteris Cardin. Caraſae, praef. ejuſd. Congreg. ad Sanct. Thurib. dat. 26. Octob. 1588.

(g) Vide Thom. Hurtad. reſolut. moral. part. 2. tract. 11. cap. ultimo.

(h) Clericat. de Sacr. Euch. deciſ. 54. num. 12. Natal. ab Alexand. in Theol. dogmat. mor. tom. 1. Append. 1. variar. epiſtol. Sarnell. tom. 6. epiſt. eccleſ. 30. &c.

lidiſſimi cathartici (a) maſticatione ſaliva illius ſucco mixta, aut ejus fumus vitali actione, inſpiratioeque voluntaria attrahitur, deglutitur, & in ſtomachum mittitur (b), licet aptus non ſit ad nutriendum, ſed dumtaxat ad ſtomachi fibras irritandas: eo pacto, quo ſales, & quaedam alia purgantia medicamenta, naturae ſolvunt jejunium, eſto non nutritionis ſed fibris ſint apta irritandis. Illam ſaltem oris, nariumque ex tabaco conſpurcationem, & graveolentiam praeferre quamdam pro Dominico corpore accipiendo indecentiam, irreverentiamque improbandam viſum eſt Theologis laudatis, quae nulla conſuetudine aboleri, nullo cohoneſtari praetextu aut excuſatione valeat. Scripſerunt enim eo tempore, quo planta jam ipſa = *Luſitaniae, Galliae, Belgii, Angliae facta fuerat inquilina* (c) = *& in Italia noſtra . . . vitioſa haec conſuetudo adeo frequens erat, ut tabaci emptio inter quotidianas familiae expenſas numerabatur* = (d) Verbo: illo tempore ſcripserunt, quo = *uſus tabaci totum invaſerat mundum* = (e).

Quae omnia non ideo commemoramus, ut Noſtram hac ſuper re ſententiam explicemus, ſive ut tabaci quamlibet ſumptionem Presbyteris proxime celebraturis, clericis laiciſque ſanctiſſimam Euchariſtiam proxime etiam percepturis interdicere velimus, adjecta praeſertim in tranſgreſſores cenſurarum poena. Aequum enim eſt, ut ſapientiſſimi Benedicti XIV. judicio (f) noſtrum qualecumque ſubjiciamus, & notam inſuper nimii rigoris viremus. Eo itaque tantorum virorum ſenſa vobis ſignificare opportunum duximus, ut ſcilicet paternis ſuaſionibus Noſtris dociles vos invenire in Domino gloriemur. Mirabatur quidem & merito Haroldus = *quod ſacerdotes ita vincant Venerem, ut virgines longaevi moriantur: ita*

(a) Geoffroy, de medicam. ſimpl. hiſt. virt. delectu & uſu, tom. 1. par. 2. tit. 1. cap. 6. art. 7.

(b) Ludov. Ramirez, Medic. praeſtantiſs. tract. de potione chocol. Bened. Stella, lib. de tabaco, cap. 33. Antonius a Leone Pinellus, lib. de chocol. part. 2. §. 4. Lezzana in ſumm. qq. Regular. verbo, *Eucbar. quod Regular.* n. 18. Praepoſit. par. 3. qu. 8. art. 8. num. 39. cit. Hurtad. ubi ſupra cap. 6. reſol. 2. &c.

(c) Auct. hiſt. gener. omn. plantar. quae abſoluta fuit an. 1575.

(d) Ramazzin. opere de morbis artific. Denatus ſub finem ſaeculi 17. unde Ettmulerus in Commentar. Scroederi ſcribit = *Vitium hoc familiare Italis* . =

(e) Anton. a Leon. Pinell. loc. cit. edito an. 1636.

(f) Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. II. cap. 13.

vincant gulam, ut nobili loco nati, vel alioquin delicate nutriti, ſic contemnunt cupedia, ut de iis ne cogitent quidem; voluntaria paupertate vincant avaritiam, humilitate ſuperbiam, tolerant famem, ſitim, frigora, & calores, Miſſam quotidie, vel quandoque tardius, & procul celebrent, & alia ejuſmodi multa, ut religioſe ſibi, & aliis exemplariter vivant; unicum tamen pruritum narium, ne quidem per parum temporis tolerare aut nec valeant, aut nolint, qui nec intra nos natus eſt, ut alia vitia, nec neceſſarius eſt, ſed vana curioſitate vel communis abuſus conſuetudine retentus. = (a) In Domino itaque univerſos cum Presbyteros, tum clericos ac laicos ſpiritualis noſtrae ditionis per viſcera divinae miſericordiae rogamus, exhortamur, omnique niſu monemus, ut ante Dominici eorporis ſacramentalem perceptionem a tabaco mandendo, vel ejus fumo excipiendo prorſus abſtineant, & per ſemihoram ſaltem poſt Euchariſticam communionem: quod ſemihorae tempus tum ante, tum & poſt ejuſdem ſacramenti ſuſceprionem, ab omnibus ſervari vehementer cupimus, pro ejuſmodi Nicotiano pulvere per nares aeeipiendo. Monitionibus vero iſtis hoc ſuperaddere ducimus praeceptum, nimirum, quod pallae, corporalia, aut purificatoria, ubi e ſacerdotis celebrantis naribus tabacus deciderit, minime in ſacrificii uſum, niſi prius dealbata, adhibeantur. Illa enim illico ac inquinata foedataque fuerint, interdicta eſſe volumus, & pro interdictis haberi, etiamſi leviter tantum ita conſpurcari contigerit, abſque alia declaratione edicimus (b).

XIX. Sacerdotes Miſſam celebraturi, in ſacriſtia, & antequam ad Altare accedant, ea quae legenda ſunt, in miſſali adinveniant, & convenientibus ſignacula paginis diſtribuant, ut in rubricis praecipitur.

XX. Tempus etiam ab Eceleſia praefinitum ſervetur, ut nempe ab aurora ad meridiem uſque celebretur (c) quod Nos ita ſervandum ſtatuimus, ut tertiam horae partem ante auroram pro miſſis inchoandis, ac tertiam ſimiliter horae partem poſt meridiem pro illis abſol-

(a) Haroldus loc. cit. Nota in action. 3. Concil. Provinc. Limani I. cap. 24.

(b) C. fin. de cuſtod. Euchar. Synod. Aeſina Petrucci an. 1695. pag. 49. n. 15. Baptiſtell. in Synodo, cap. 20. num. 12.

(c) Cap. *Neceſſe eſt.* cap *Nocte ſancta* de conſecr. diſt. 1. rubric. miſſal. 15., & in tit. de defect. x. num. 1.

ſolvendis nullus omnino praetergrediatur (a), niſi adſit vel Apoſtolicae Sedis privilegium, vel licentia noſtra pro peculiari aliquo caſu forte conceſſa. Ab hac regula excipitur Dominicae Nativitatis nox, in qua ſolemnis miſſa celebratur; non inchoanda tamen, niſi ſeptima pulſata noctis hora. Privatae miſſae interdicuntur in ea ipſa nocte; in qua nec ſolemniter celebrari poteſt ſecunda, & tertia miſſa, in craſtinum omnino reſervanda (b), & vetita quoque eſt Euchariſtiae adminiſtratio (c). Ab eadem excipiuntur regula feria v. vi. & ſabbatho hebdomadae majoris, quibus diebus unica tantum, iis in eccleſiis, in quibus SS. Euchariſtiae Sacramentum adſervatur miſſa celebrabitur. Feria autem vi. in Paraſceve miſſa praeſanctificatorum erit (d). In eccleſiis vero, in quibus non adſervatur SS. Sacramentum, celebrari in Anniverſario Nativitatis Dominicae nocturnam miſſam, & aſſervari SS. Sacramentum in ſepulcro feria v. majoris hebdomadae, prohibemus, deciſioni obſequentes ſac. Rituum Congregationis in Neapolitana XXIV. Januarii MDCLIX. In Cathedrali, & Collegiatis eccleſiis omnino non deſit miſſa in aurora, & altera circa meridiem. In minoribus eccleſiis, ubi paucae ſunt miſſae (& hoc maxime in dioeceſis oppidis) numquam duae ſimul celebrentur, ſed una alteri ſuccedat. Hanc curam Vicariis noſtris commendamus, & qui conſtitutum hunc ordinem interverterint, ad Nos nominatim deferantur, ut debitis pro arbitrio poenis coerceantur. Parochi praeſertim diebus Dominicis, & aliis feſtis hora commodiori univerſo populo, celebrent: ſacerdotes omnes, ac nobiles viros, qui domeſtici Oratorii jus habent, hortamur, atque admonemus, ne umquam extra praefatum tempus (ab aurora nempe ad meridiem, juxta ſuperius dictam permiſſionem anticipationis, vel poſticipationis, minutorum tantummodo viginti) celebrationes miſſarum vel permittant, vel peragant, vel jubeant; ſecus, in ſacerdotes ſuſpenſione, in laicos vero praefiniti temporis anticipationem, vel tranſgreſſionem praecipientes gravi alia arbitrio noſtro poena animadvertemus. Lanuc.

(a) Bened. XIII., & Clemens XII. apud Bened. XIV. inſtit. 13. num. 4. & 5. In Synod. Bufalini part. 2. tit. 4. art. 2. in Synod. Oddi 1762. tit. 2. cap. 2. n. 43. In Synod. Aſſiſienſi 1763. tit. 29. n. 4.

(b) S. Rit. Congr. 7. Septemb. 1641. & 20. Arilis 1664.

(c) S. Congr. Concilii 7. Dec. 1641. 9. Auguſti 1633. 20. Aprilis 1664. decret. Viſitat. Apoſt. 7. Decembris 1702.

(d) S. R. Cong. 14. Junii 1659. in Neapolitana.

nuc. in Synod. tit. III. cap. VII. num. XI. & XII. Oddi in Synod. tit. II. cap. II. num. XLIII.

XXI. Exequentes decretum ſacrae Rituum Congregationis in Fulginatenſi XXVII. Julii MDCCLXX. , & aliud ejuſdem S. Congregationis in Senen. XX. Julii MDCLXXXVI. datum in appendice hujus Synodi num XXXI mandamus , ne dignitates , Canonici , vel alius quilibet Sacerdos Epiſcopo inferior in miſſae privatae celebratione plures duobus in altari candelas adhibeat , vel miniſtro inſervienti permittat , quod miſſali aſſiſtat , & folia vertat , calicem mundet , vinum , & aquam infundat , ipſumque calicem infra actionem palla cooperiat , vel diſcooperiat juxta opportunitatem , nec non eumdem calicem tergat poſt communionem , ſuiſque ornamentis inſtruat . Omnis enim Sacerdos praeter Epiſcopum , a ſemetipſo , & non ope miniſtri praedicta , quae enunciavimus peragere tenetur .

XXII. Diſponente rubrica , miſſam regulariter celebrandam eſſe concordantem cum officio etiam feriali , (a) abſque rationabili cauſa rejecto communi , brevitatis gratia potius quam pietatis inducto abuſu , vetamus , ne frequenter diebus feſto duplici non impeditis celebretur miſſa *de requiem* , vel votiva ; decernentes illam celebrari , quam illo die Kalendarium praeſcribit .

XXIII. Durante miſſa ſolemni in nullo alio ejuſdem eccleſiae altari alia celebretur (b) ; ſi tamen aliquando ex aliqua urgenti cauſa in alio remotiori altari celebretur , omittatur ſonus campanulae (c). In ea eccleſia , ubi publice expoſita manet Sanctiſſima Euchariſtia , non celebrentur miſſae de *requiem* (d) ; in altari autem ubi ſacra Pixis aſſervatur maxime decens eſt , ut miſſae ſive privatae , ſive ſolemnes praeſertim defunctorum , non celebrentur (e) . In illo praeterea altari , ubi Epiſcopus ea die celebraverit , eo inſcio alii ne celebrent (f) . Privatim quoque Epiſcopo in eccleſia aliqua celebrante , durante ejus miſſa nullus omnino in eadem eccleſia celebrare audeat , niſi

(a) Rubr. Miſs. cap. 2. de celebr. miſ. ibique Gavantus part. 3. tit. 12. cap. 12. num. 22. pag. 159. , & prius c. *Quidam* 2. & Gloſſ. in cap. *Te referente* 12. Verbo *Digne* de celebr. miſſae .

(b) Cap. *Et hoc attendum* de conſecr. diſt. 1.

(c) Gavant. rubric. Miſſ. part. 2. tit. 13. cap. 13. pag. 134.

(d) Rituum Congr. ap. Mattheucci cap. 10. §. 2. num. 67.

(e) Caerem. Epiſcop. lib. 1. cap. 12. pag. 59.

(f) Cap. *In alt.* de conſec. diſtinct. 2.

niſi ex rationabili cauſa eidem Epiſcopo hoc permittere viſum fuerit (a).

XXIV. Ad ſacrificium miſſae celebrandum vel apud regulares, non admittatur ſacerdos ullus ſaecularis ignotus, niſi per Nos ſubſcriptis Ordinarii ſui dimiſſorialibus, non ultra duos menſes obtentis; & ſi ultramontanus fuerit, juxta Urbani VIII. praeſcriptum in conſtitutione incipiente *A ſecretis*, emanata die XXVIII. Septembris §. IIL etiam ab Apoſtolico illarum partium Nuncio recognitis omni prorſus vitio, & ſuſpicione carentibus; alias ſi ſacerdotes admiſſi abſque illis vere fuerint, Sacriſtae, & eccleſiarum Rectores poenam dabunt pecuniariam, aliaſque graviores pro modo tranſgreſſionis arbitrio noſtro; ſi vero non fuerint reapſe ſacerdotes, longe graviores ſubibunt arbitrio ſupraemae Inquiſitionis urbis, prout in encyclicis ſtatuitur ab eadem memorata Congregatione Epiſcopis datis hac de re ſemel, iterum, & tertio, nempe ſub die XX. Februarii MDCXLIX., & XXVI. Januarii MDCXCII, & XII. Octobris MDCCIX Pertranſeuntes autem ſacerdotes, tum ſaeculares, tum regulares a celebratione in eccleſiis noſtrae jurisdictioni ſubjectis pariter arcendi ſunt, niſi obedientiales vel reſpective dimiſſoriales ſuorum ſuperiorum litteras, vel a Nobis, vel a Vicario noſtro Generali in Civitate, vel a Vicariis Foraneis in dioeceſi probatas exhibeant: iidem Vicarii Foranei, ac Sacriſtae omnes, qui neceſſariae huic ſanctioni non parere praeſumpſerint graviorem arbitrio noſtro poenam ſubibunt (b).

XXV. Ut ſufficienter nobis conſtet, eos, qui presbyteratu recenter initiati fuerint, ritus, & caeremonias perfecte callere, volumus ne prima eorum Miſſam ſive ſolemniter, ſive privatim celebrent, niſi facto prius per Nos, vel per noſtrum caeremoniarum magiſtrum accurato experimento, num in iiſdem apprime ſint inſtructi, atque idonei in eo reperti approbationem, & licentiam a Nobis, gratis in ſcriptis concedendam, obtinuerint (c); a cujus impetratione ſi novi ſacerdotes ultra duos menſes celebrare diſtulerint, ad novum ſimile ſubeundum examen cogentur. Hanc noſtram ſan-

(a) S. Cong. Conc. in Ortonenſi 27. Februarii 1706.

(b) Trid. ſeſſ. 22. de celeb. miſſ., & 23. de reform. cap. 16. S. C. Ep. 12. Octob. 1729. apud Syn. Baptiſtelli cap. 20. n. 13.

(c) Conc. Mediol. III. tit. de iis, quae pert. ad Miſſ. ſacrific. §. *Primum*.

ſanctionem qui violare praeſumpſerit, poenam dabit noſtro arbitrio nec ab ea ſolvetur, niſi praeſenti noſtro decreto paruerit. Diaconum, & ſubdiaconum ſimiliter, ſub poenis arbitrio noſtro infligendis, ad miniſteria ſua prima vice admitti nolumus, niſi ex probatione per nos facta, vel ex atteſtatione ejuſdem caeremoniarum magiſtri de ſua in propriis exercendis officiis peritia nobis ſufficienter conſtiterit.

XXVI. Ne vero quidquam indecorum, praepoſterumve in Miſſis praeſertim novis eveniat, ſtricte inhibemus, ne earum occaſione ludi, immoderata convivia, compotationes, aut quidpiam aliud indevotionem, vanitatem, vel turpem quaeſtum redolens agatur (a). Qui in haec peccaverint, ſciant pro culpae qualitate condignam ſe non evaſuros poenam arbitrio noſtro definiendam. Oblationes, quae novis ſacerdotibus fieri ſolent, non infra Miſſam, vel immediate poſt, non in eccleſia, non in ſacrario exhibeantur, aut acceptentur, ſed in eorum, qui primam celebraverint Miſſam, domibus. In eccleſia autem qui primam jam celebraverint Miſſam populo aſſiſtenti non manus deoſculandas porrigant, ſed Jeſu Chriſti Crucifixi imaginem (b).

XXVII. Statuimus inſuper eis, qui recenter presbyteratu initiati fuerint, non licere Miſſam celebrare abſque aſſiſtentia alicujus ex gravioribus ſacerdotibus rubricarum, & caeremoniarum ſcientia pollentis; & hoc neduni per triduum ſervari volumus, ut communior fert uſus, ſed uſque ad octiduum. Volumus quoque, ut in eccleſiis praeſertim collegiatis, & in noſtra cathedrali ſingulis diebus, & praecipue feſtis de praecepto non una, eodemque tempore Miſſae celebrentur, ut populo diverſis horis ad eccleſiam convenienti fiat ſatis. In omnibus autem diebus ſive profeſtis, ſive feſtis, in quibus in praedictis eccleſiis ſacra concio habebitur, graviter jubemus, ut Miſſa ſaltem una, poſtquam ſacra praedicatio abſoluta fuerit, celebretur. Id ipſum ſervandum eſſe mandamus, quotieſcumque Nos pontificalia peragemus, ne pontificalium ſolemnitate peracta populo deficiat opportunitas divino aſſiſtendi ſacrificio.

XXVIII. His pro novis presbyteris ſalubriter conſtituis, ad uni-

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 22. dec. de obſerv., & evitan. in celeb. Miſſar.

(b) In Synodis Anagninis Viviani, Maſſerii, & Baſſi.

univerſum ſacerdotalem chorum ſermonem convertentes, illorum ſingulos graviter denuo adhortare, ac monere ducimus, ne abſque vera legitima, ac rationabili cauſa conſecrare in Miſſa omittant tot panis particulas, quot fideles fuerint, qui cupiant, & tempeſtive petant victimae portionem in eodem, cui interſunt communi ſacrificio oblato. Ita enim piis juſtiſque deſideriis eorum facient ſatis altaris miniſtri ipſi, qui Chriſti Domini authoritate, ac nomine ſerio adſtantes ſacrificio invitant ad ſacramentalem Euchariſtici ipſius convivii participationem, per haec verba = *Accipite & manducate ex hoc omnes* =. Conſtans haec per plura ſaecula ſervata diſciplina, inſtitutioni, exemploque Servatoris noſtri apprime congruens, omnino obſervanda in Miſſis defunctorum, ſevere indicitur a ſacra Rituum Congregatione. Poſtremo enim declaravit (a), *quod poſt ejuſmodi Miſſas, aut ante eas nullomodo a celebrante miniſtretur Euchariſtia; ſed hoc ſolum permittitur intra Miſſam poſt ipſius celebrantis communionem per particulas non antea, ſed in eodem ſacrificio conſecratas* =. Quo circa fateamur oportet cum maximo juxta, ac ſapientiſſimo Pontifice Benedicto XIV., quod = *nulla res eſt, qua utilius Epiſcopi, Parochi, confeſſarii ſtudium ſuum omnes impendere valeant, quam in excitandis fidelibus ad eam mentis puritatem ſectandam, unde digni reddantur frequenti ad ſacram menſam acceſſu, & non ſpirituali tantum, ſed ſacramentali etiam participatione illa ſacrificii, quod a ſacerdote tanquam publico eccleſiae miniſtro, non pro ſe tantum, ſed pro ipſis, & ipſorum nomine offertur ..... Hinc nunquam vetuit eccleſia, aut modo vetat, ſatisfieri ab ipſo ſacerdote pietati, & juſtae eorum petitioni, qui Miſſae adſtantes ad conſortium admitti poſtulant ejuſdem ſacrificii, quod & ipſi pariter offerunt, ea ratione, quae ipſos decere poteſt: imo probat, atque cupit, ne id omittatur: eoſque ſacerdotes increparet, quorum culpa, & negligentia fidelibus participatio illa denegaretur* = (b). Hucuſque Benedictus XIV. in percelebri ſua Conſtitutione incip. *Certiores*, quam in hujus Synodi appendice num. XLVIII. damus; quamque attente, ac frequenter legi a noſtrae dioeceſis ſacerdotibus, iiſdem injungimus.

Aſt,

(a) In Aquen. 2. Septemb. 1741. *res* 13. Nov. 1742.
(b) Bened. XIV. Conſt. incip. *Certio-*

Aſt, licet jam dudum praefinitum ſacerdotibus tempus ſit, quo eccleſiaſticum cibum diſtribuere debeant, tot nihilominus abuſus irrepſerunt, quot eliminare cupimus, & ſynodalibus hiſce ſanctionibus iterum atque iterum e medio tollere nitimur. Primo quidem ex praeſcripto Ritualis Romani = *Communio populi intra Miſſam ſtatim poſt communionem ſacerdotis celebrantis fieri debet (niſi quandoque ex rationabili cauſa poſt Miſſam ſit facienda) cum orationes, quae in Miſſa poſt communionem dicuntur, non ſolum ad ſacerdotes*, ſed ad alios *communicantes ſpectent* = (a). Hinc = *non pro libito celebrantis*, (ait in ſua eruditiſſima Synodo Eminentiſſimus Bufalinus Anconitanus Epiſcopus) *ad finem Miſſae communio populi eſt protrahenda; ſed aliqua honeſta & rationabilis cauſa concurrat neceſſe eſt; qualis profecto non adeſt, cum ſacerdos a parvo adſtantium numero ſtatim poſt ipſius communionem communicare volentium requiſitus, eorum tam juſtae petitioni renuit ſatisfacere* = (b). Sapientiſſimae itaque praeceptioni huic merito inhaerentes, ſactum in hac noſtra dioeceſi facientibus praecipimus, ut nonniſi urgentiſſima impediente cauſa ſacramentalem communionem petentibus, illam denegare audeant, nec niſi infra Miſſae actionem, ſtatim ſcilicet poſt celebratam communionem, Euchariſtiam diſtribuant, quoties juſta ac rationabilis cauſa ejuſmodi diſtributionem ad Miſſae finem protrahi non expoſcat.

Secundo alterum erga tempus Euchariſticae communionis abuſum evellere cupientes, ad praeſcripta ſacrarum Congregationum (c) edicimus, ut nocturno tempore, nec ipſa excepta Dominicae nativitatis nocte Euchariſticus panis diſpenſetur (d), niſi forte per modum Viatici aegrotis in mortis diſcrimine conſtitutis (e).

Deinde cum a ſacris canonibus, noſtrae paſtorali ſollicitudini commiſſum ſit, etiam ſub interminatione divini judicii, ut quam diligenter attendamus, ne in adimplendis Miſſarum oneribus, quae ex defunctorum voluntate, vel ex aliorum piorum benefactorum elee-

(a) Rituale Roman. de ordine miniſtrandi S. Commun.

(b) Synod. Card. Bufalini par2.tit.4. pag.114.

(c) S.Rit.Congr. 20.Apr.1641. in Piſaur., & aliis, apud Meratum in Ind. decretor. tum.I. num.282. praeter illas ſupra num.20. citatas.

(d) Synod. Card.Bufalini par.2. tit.4. pag.114.cit., & ſac.Congr. in reſolutionibus ſupra num.20. laudatis.

(e) Synod. de Aſte, decr.4.

eleemoſynis impoſita ſunt, quidquam fidelitati, integritati, aut juſtitiae adverſum irrepere contingat (a), omnibus, qui ad hujuſmodi Miſſarum onera implenda tenentur, ſtricte praecipimus, ut in iis dumtaxat eccleſiis, altaribus, & diebus ab immemorabili conſuetudine, vel a piis teſtatoribus, vel benefactoribus praeſcriptis eaſdem Miſſas exacte, integreque celebrent, ſeu celebrandas committant (b), ſibique ne arrogent umquam onera praedicta in alias eccleſias, vel altaria, aut dies, vel anticipando, vel differendo pro ſuo arbitrio transferre, niſi Apoſtolica ad id muniti fuerint facultate (c), aut noſtra proviſionali; eo in eventu ſolummodo concedenda, quo locus deſignatus aliquo detineatur impedimento, & duratura tantum quouſque illud perduraverit (d); multoque minus ſub quovis etiam tenuitatis eleemoſynae, ſeu redditnum pretextu eadem reduci praeſumant; quod, niſi in ipſa fundatione aliter fuerit cautum, ſolius Sedis Apoſtolicae authoritati reſervatum noſcant (e). Qui huic noſtrae ſanctioni non paruerint, praeter ſuorum beneficiorum, ſeu eccleſiarum, aut cappellaniarum redditnum ſequeſtrationem, dabunt poenam dupli, & in ſubſidium etiam ſuſpenſionis a divinis; Miſſas inſuper aliter quam decrevimus celebratas, perinde habebimus ac ſi celebratae non fuiſſent (f). Noverint praeterea ſacerdotes, Miſſas a piis fidelibus demandatas, quamvis eccleſiam expreſſe non deſignaverint, ex tacita eorum mente in illa potius eccleſia eſſe celebrandas, apud quam eleemoſynas contulerunt, ſeu in qua proprium delegere ſepulchrum (g).

XXX. Neque Miſſarum onere gravati piae offerentium voluntati ſe defuturos exiſtiment, ſi his diebus, quibus ad implendum opus urgentur in altari privilegiato per eoſdem offerentes deſignato, Miſſas *de Requiem* non celebraverint, ſed de feſto occurrente, in quo juxta rubricas Miſſae *de Requiem* vetantur: hoc enim in caſu,

(a) C. *Tua nos* de Teſtam. Conc. Trid. ſeſſ. 22. de reform. cap. 8., & in decreto de Purgatorio.

(b) S.CC. in Bergomen. 10. Jul. 1728. ad 2. dub. Theſaur. reſol. tom. 4. pag. 199.

(c) S.C.C. in Brixien. 1. Dec. 1680., & in Reterthonen. 4. Jun. 1701. ap. Monacel. tom. 2. tit. 13. form. 2. n. 58., & 60.

(d) Conc. Trid. ſeſſ. 22. de reform. cap. 6.

(e) Dec. S.C.C. authorit. Urbani VIII. edit. 1. Junii 1625., & innovat. ab Innocent. XII. in Conſtit. *Nuper* decimo Kalendas Jan. 107.

(f) Edictum ur bis de mandato Clemen. XI. 15. Jan. 1708.

(g) Bened. XIV. Conſtit. *Quanta cura* 20. ſui Bullar. tom. 1. §. 2.

& ad debitum celebrationis ſolvendum, & ad lucrandas indulgentias perinde eſſe, ac ſi Miſſae *de Requiem* celebratae fuiſſent, ſive breve altaris privilegiati fuerit perpetuo conceſſum, vel ad tempus, aut quotidie, vel certis determinatis infra hebdomadam diebus, ſacra Rituum Congregatio, & Pontifices ſummi pluries declararunt, atque ita obſervari mandarunt (a).

XXXI. Eos inſuper omnes, quibus eſt onus quocumque titulo, etiam ex commiſſione, ſacra faciendi (ut cujuſcumque fraudis in re tam gravi avertatur periculum) ſub poena dupli, & iterandae celebrationis, aliiſque etiam gravioribus obſtrictos volumus, ut eadem die, & ſtatim ac ex obligatione ſibi debita Miſſas celebraverint, in libro ad hunc finem deſignato propria manu, & charactere eas fideliter adnotent cum altaris expreſſione, diei, menſis, & anni (b); qui vero duas Miſſas pro diverſis oneribus eodem die, vel non dictas, malitioſe aut dedita opera falſo adnotaverint, praeter poenam in crimen falſi, aliaſque graviſſimas, peccatum Nobis reſervatum committent, & ſuſpenſionis cenſuram Nobis pariter reſervatam ipſo facto incurrent (c).

XXXII. Eccleſiarum rectoribus, & ſocietatum adminiſtratoribus ſevere praecipimus, ut ſedulo perquiſitis, & ſi fieri poſſit, inſpectis omnibus ſcripturis, quibus Miſſarum onera ſuis eccleſiis, oratoriis, aut privatis ſacerdotibus impoſita continentur, ſuam quiſque tabellam per Nos ſubſcribendam, & approbandam, ac in ſacriſtia publice exponendam, vocatis etiam quorum intereſt, diligenter conficiant (d); in qua dilucide, & diſtincte eadem onera adnotata habeantur cum ſuis qualitatibus; an, videlicet, beneficii titulo fundata, aut pia diſpoſitione ſint inſtituta; an ad tempus, an perpetuo; quo die, & quoties in hebdomada, menſe, vel anno adimplenda; nomina quoque, & cognomina fundatorum, vel benefactorum, & rogitus notariorum accurate deſcribantur; illique hac ſervata forma, nova addantur onera, quae temporis ſucceſſu obve-

(a) S.Rit.Cong.5.Aug.1662. relat. a Merat. tit.1. in Indic. decr. n.396. Alexand.VII., Clem.IX., Clem.XI. ap.Merat. tom.1. in Indic. decr. n.622.,623., 624., & 625.

(b) In Syn.Farfen. Barberini cap.10. n.20. In Syn.Ferentina Toſi par.2. cap. 5. n.42. In caſibus reſerv. Sermatthaei in Syn. 1763. tit.10. pag.39.

(c) S.C.C. 15. Dec. 1663.

(d) Innoc.XII. Conſt. *Nuper* §. *Cumque*.

obvenient ; ejus vero authenticum exemplar in noſtra cancellaria aſſervandum , ſub poena unius aurei , per eos , ad quos ſpectat , quamprimum ad Nos deferri mandamus .

XXXIII. Ad hujus tabellae , & inſtructionis normam a ſan. mem. Clem. XI. anno MDCCIV. hac de re datae , & in calce hujus Synodi imprimendae numero XLIX. (quam & in recipiendis Miſſarum ſtipendiis , & in adimplendis earumdem obligationibus , ſub poenis ibidem contentis etiam in noſtra dioeceſi ab omnibus , quorum intereſt exacte , & integre obſervari decernimus) plures fiant libri ſive ſeparatim , ſive conjunctim in unum grandiorem compacti , ita tamen diſtincte , ut quilibet ſuo proprio reſpondeat oneri , & in illius principio ad tabellae praeſcriptum titulus praefigatur oneris . In hoc libro , ſeu libris ſacerdotes (ut ſupra ſancivimus) Miſſas deſcribant , nedum fixas , ſed etiam adventitias ; acceptas autem eleemoſynas (ſi a piis beneſactoribus eccleſis forte offerantur) & numerum in eodem libro ab eccleſiarum rectoribus , ſeu aliis ad id deputatis ſtatim diligenter adnotari praecipimus . Id ipſum ab iis etiam ſervari volumus , qui noſtra muniti facultate eleemoſynas a fidelibus colligunt , in ſacra peragenda ex eorum mente vertendas . Eos vero , qui ex libris his ſacra ſe feciſſe non probaverint , ad iteratam celebrationem compellemus , debitiſque poenis punicmus .

XXXIV. Libros autem hujuſmodi , ne malitioſorum fraudibus exponantur , ab aedituis ſeu aliis , ad quos jure , vel conſuetudine ſpectat , ſub diligenti cura in ſacriſtia retineri jubemus , quos Vicarii foranei , & Parochi ſaepiſſime inſpiciant , ut videant qui in adimplendis oneribus deficiant ; atque de his praedicti Vicarii foranei rationem ab omnibus quotannis accurate exigant , & quos infideles deprehenderint , Nobis ſollicite denuntiare non omittant ; Nobis ceteroquin reſervato jure ſemper , & quandocumque eoſdem ſimilibus oneribus gravatos ad reddendam rationem coram Nobis vacandi (a) . Libri autem ipſi , poſtquam fuerint integre ſcripti , & completi , in archivio eccleſiae ab iis , ad quos jure pertinet , fideliter cuſtodiendi aſſervemur .

XXXV. Praeterea eccleſiarum rectores , capitula , & ſacerdo-

(a) In Syn. Farſen. Barberin., & Fulginat. 1722. cap. 4. n. 13., & Ferentina 1767. par. 2. cap. 5. n. 45.

tes ſedulo advertant, Miſſas, pro quibus ſtipendia utcumque incongrua ſuſceperint, vel in poſterum recipient, a ſe non poſſe ſine gravi peccato, & reſtitutionis onere diminui; ſed tot celebrare tenentur, quot ad rationem attributae eleemoſynae fuerint ab eo praeſcriptae, qui eleemoſynam obtulit (a); nec ſibi licere intelligant ab uno eleemoſynam percipere, & ab altero aliam, huic ſpecialem applicando ſacrificii fructum ipſimet celebranti debitum (b); nec Miſſas, quae ſibi celebrandae traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, ſibique retenta ejuſdem ſtipendii parte, licet alter hac de re certior factus minori ſit contentus ſtipe, probe intelligens, aliter a primo ſacerdote celebrationem ſibi non committendam, ac proinde vel ipſa minori eleemoſyna ſe carituram (c).

XXXVI. Ne quidquam vel minimum, utenſiliorum etiam nomine, ex Miſſarum manualium eleemoſynis detrahendum; bene vero ex Miſſis perpetuis, vel ad longum tempus protrahendis, ſi eccleſiae ſacrarium redditibus ad comparanda utenſilia ſit deſtitutum (d); & tunc unum dumtaxat ad ſummum aſſem cum dimidio monetae Romanae pro qualibet Miſſa (e) eidem ſacrario ſolvendum eſſe ſciant.

XXXVII. Nefas quoque ſit cuique ſacerdoti, & eccleſiarum etiam regularium rectoribus manuales eleemoſynas pro Miſſis celebrandis expreſſe non obtento offerentis conſenſu, denuo recipere, niſi oneribus jam acceptis ſatisfecerint, vel infra modicum tempus, unius videlicet menſis ſatisfacere valeant (f); neque eis ex reprobata ab Eccleſia ſententia omnino liceat pro incerta eleemoſyna offerenda Miſſas anticipate celebrare (g).

XXXVIII. Summorum Pontificum Urbani VIII., & Innocentii XII. Conſtitutionibus innixi, capitulis, parochis, eccleſiarum recto-

(a) S.C.C. in decr. 25.Jan.1659., & in Conſt. *Nuper* Innoc.XII.

(b) Propoſitio 8. inter damnat. ab Alexand.VII. 24.Sept.1665.

(c) Prop.9. int.damnat.ab Alex.VII. Bened.XIV.Conſt. *Quanta cura* §.3.

(d) Dec.Urban.VIII. ann.1625.S.C. C.1659. in reſp.ad ſeptim. ead.S.Cong. in Derthonen. 6.Jul., & 28.Sept.1726. ad 2. dub.

(e) S.C.C.14.Apr.1685.

(f) S.C.C.de mand.Clem.VIII., & Pauli V. ap.Bened.XIV.Inſtit.canon.92. num.1.

(g) Urban.VIII. in Conſt. *Nuper* Innocent.XII.S.C.C.in una regul.17.Julii 1655.

rectoribus, confraternitatibus, aliisque locis piis, & eorum administratoribus nobis subjectis districte vetamus, quod sine nostra, vel Vicarii nostri generalis licentia in scriptis obtinenda nova onera perpetua Missarum celebrandarum recipiant (a); quin immo sub poenis arbitrio nostro infligendis, nec quae ad tempus fuerint relicta, sine nostro permissu acceptent, ut rite, matureque expendamus, num assignati redditus adjunctis Missarum oneribus aeque respondeant.

XXXIX. Demum, ut sacris altaris ministris omnis avaritiae aditus praecludatur, & perpetuorum Missarum onerum securitati consultum sit, decernimus, & declaramus, nova onera perpetua Missarum a quoquam praedictorum minime acceptari in posterum, nisi cuilibet Missae lectae sexdecim cum dimidio respondeant asses monetae Romanae, Missae solemni, julii decem, & simplici cantatae, quinque ejusdem monetae; Missarum vero manualium eleemosynam ad unum julium simili monetae pro qualibet Missa lecta taxamus; cuilibet sacerdotum etiam regularium vetantes, quod pro Missis celebrandis majus ultra mox a Nobis taxatum praesumant exigere, aut quovis praetextu extorquere stipendium (b). Permissum tamen eis non ambigimus majorem etiam stipem a sponte omnino, & liberaliter dantibus accipere (c); modo hic fraus omnis absit, & quodcumque etiam implicitum pactum.

§. XIII.

(a) Ap. Bened. XIV. Instit. canon. 36. n. 14. Const. *Nuper* in decr. Urban. VIII. §. *Praeterea*.

(b) Conc. Rom. tit. 15. cap. 8. S. Cong. Conc. in Romana 15. Jan. 1639. ap. Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 5. cap. 4. n. 2.

(c) Idem Bened. XIV. loc. mox cit.

§. XIII.

De ſacris Proceſſionibus.

Turbae autem, quae praecedebant, & quae ſubſequebantur, clamabant, dicentes, Hoſanna Fili David: Benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in Altiſſimis. Matthaei cap. XXI.

I. LEgenti primi Regum caput ſeptimum, & ſecundi Regum caput ſextum, & univerſa ſacrae Scripturae loca, in quibus de veteris Teſtamenti arca huc, illucque aſportata mentio fit, & ea omnia mente conſideranti, quae tum Baronius retulit in notis ad Martyrologium Romanum (a), tum Concilium Bracharenſe tertium celebratum anno Chriſti DCLXXV., docuit, atque ſancivit, manifeſtum profecto erit, ſolemnem ſupplicationum, Litaniarum, ac proceſſionum uſum, quem catholica ſervat Eccleſia, ſatis antiquae, & venerabilis originis ritum eſſe (b), & propterea nedum retinendum, ſed & Epiſcoporum zelo, & vigilantia a cujuſcumque ſive deſidiae torpore vindicandum, ſive corruptelae labe purgandum.

II. Hinc magnopere cupientes Nos harum celebritatum piam conſuetudinem, devotamque praxim ad illum perfectionis gradum attollere, quem Chriſtianis aemulandum exhibuerunt Hebraeorum turbae Salvatori noſtro Jeroſolymis appropinquanti, triumphali pompa, & comitatu plaudentes, nonnulla de iis edicere deliberamus: & primo, nullas publicas ſupplicationes, vel generales proceſſiones, niſi authoritate, juſſuve noſtro fieri volumus, atque indici ram in civitate, quam in dioeceſi, ſub poenis arbitrio noſtro (c), quas ad eos etiam extendimus, qui horam a Nobis pariter conſtitutam auſerint immutare (d).

III. Or-

(a) Die 25. April., & in Annalib. ad an. Chr. 58.

(b) Vide Nicol. Serarium, peculiari ſuo opere de Proceſſionibus, & Haroldum Notis in Conc. Provinc. I. Limanum ad. 4. cap. 11.

(c) S. Rit. Cong. in plur., ſignanter In Alboren. 14. Jan. 1617., & 28. Mar. 1618. & in Squillacen. Proceſſ. 9. Maii 1693.

(d) S. Rit. Congr. in Urbevetana 17. Jun. 1608.

III. Ordinarias vero particulares proceſſiones, vel capituli in cathedrali, vel parochorum in ſui paraeciis, vel regularium in ſuis eccleſiarum ſeptis, conſuetiſque non clauſurae ſubjectis (a) locis, etſi vel praeſenti conſtitutione conceſſas (b) velimus, extraordinarias tamen per quemcumque ipſorum quavis cauſa, vel praetextu cogi prohibemus abſque noſtro aſſenſu (c), tunc pariter obtinendo, cum proceſſio conſueta, viis tamen, ſeu itinere fuerit alio extra proprium diſtrictum dirigenda (d), aut in tempus a priori diverſum transferri contingat (e).

IV. Pueri, vel puellae in proceſſionibus ne admiſceantur confratribus, nec regularibus, aut aliis de clero (f), nihilque vanum, ac ſpectaculum faciens, vel curioſitatem alliciens in proceſſione deferatur, aut ea, qua procedendum eſt via conſpicuum reddatur (g); cuncta immo religionem, devotionem, cordiſque compunctionem redoleant, ingerantque:

V. Mulieres pariter proceſſionibus intereſſentes a viris ſejunctae (h), & ſub communi (i) vexillo (quod cunctis proceſſionibus maxime generalibus praeire volumus) praecedant; homines vero poſtremum locum poſt clerum teneant: utrique autem coronam, ſive roſarium beatae Mariae Virginis, ejuſque laudes ſubmiſſa potius voce recitabunt; id quod a confratribus etiam ſervandum eſt, clareque eas preces, quae pro tempore indicentur, cum cantu, vel abſque, & ad eam eccleſiam uſque, in qua proceſſio deſinit, proſequentes (k).

VI. Caveant autem laici, ne ſacras induant veſtes in proceſſionibus; neque confratres ſacerdotali alba pro ſacco utantur; & qui diaconi, vel ſubdiaconi non ſunt, aut presbyteri, ne ſibi incompetentia paramenta ſumant (l); ac poſtremo abſtineant omnes a quovis indevoto actu, riſu, colloquio mutuo, vagoque oculorum aſpe-

(a) Bened. XIV. Conſt. 39. Regularis Diſciplinae.
(b) Servetur ſolitum S.C. Epiſc. 12. Maii 1696.
(c) S.C.C. 12. Jul. 1636.
(d) S.C.Rit. in Quiten. 1. Sept. 1696.
(e) S. C. Rit. in Hiſpalen. 3. Sept. 1695., & 21. Jul. 1696., & in Aſten. 21. Jan. 1696.
(f) Ritual. Roman. tit. 9. de Proceſſ. cap. 1. n. 4.
(g) Caeremon. Epiſcop. lib. 2. cap. 32. n. 2., & cap. 33. num. 12.
(h) Ritual. Roman. loc. cit., & Concil. Provinc. Liman. 1. act. 2. cap. 23.
(i) Ritual. Roman. loc. cit. n. 5.
(k) Ritual. cap. 4. n. 4., & 5.
(l) Caerem. Epiſco. cap. 33. cit. n. 5.

aſpectu (a), ut ſcilicet compoſiti ipſi, Deoque intenti populum etiam ad pie, devoteque precandum invitent (b). Quare caeremoniarum magiſtro, aliiſque clericis, quos ille ad proceſſionis regimen cooptandos viderit, necnon mazzeriis, a ſuis reſpective confraternitatibus electis, plenam facultatem ineſſe volumus indevotos quoſcumque modeſte corrigendi, eaque omnia jubendi, quae rectum, ac religioſum proceſſionis ordinem inducant; cum onere denuntiandi Nobis quos monitis, juſſionibuſve ſuis haud ſteriſſe compererint. Statuta hora qui publicis proceſſionibus intervenire tenentur, ad majorem eccleſiam omnes conveniant, neque huc, illucque per civitatem diſcurrant, ut per vias proceſſioni ſe adjungant.

VII. Antequam ſupplicationes progredi incipiant, viae omnes, per quas erit incedendum, a vicinis eas incolentibus diligenter verrantur, & a ſordibus expurgentur (c). Dum ſacrae habebuntur proceſſiones, per vias, ad quas divertent, omnes opificum tabernae, & mercatorum officinae claudantur, ab artis enim ſuae exercitiis, profeſtis etiam diebus tamdiu ceſſare volumus, quamdiu (d) proceſſio e conſpectu non abierit.

VIII. Publicis ſupplicationibus, quae ex Eccleſiae Romanae more, ut in majoribus Litaniis, in Rogationibus, & in feſto ſanctiſſimi Corporis Chriſti, vel ex veteri hujus civitatis, vel dioeceſis noſtrae conſuetudine fiunt, aut ex publica cauſa a Nobis data occaſione indicentur, ſub poenis arbitrio noſtro reſervatis, clericos omnes convenire volumus tam in majoribus, quam in minoribus ordinum gradibus conſtitutos talari veſte & mundo ſuperpelliceo amictos (e), & cum bireto; numquam vero cum pileo, vel pallio, ni forte ex pluvia, aut ventorum vi, aeriſque intemperie aliter fieri neceſſitas compulerit.

IX. Regulares quoque Apoſtolico privilegio opportuno haud gaudentes, ſub interdicti, aliiſque canonicis poenis juxta Tridentini ſanctionem (f), & conſuetudinem legitime hic invaleſcentem, eiſdem

(a) Ritual. Roman. cit. n. 2., & 3.
(b) Ibidem.
(c) Caerem. Epiſc. lib. 2. cap. 32. n. 4., & cap. 33. n. 2.
(d) In Synod. Farſen. 1685. cap. 20. n. 7., & in Syn. Ferentina 1767. pag. 4. cap. 9. pag. 266.
(e) S. Thurib. Archiep. Limanus, Synod. 1. dioeceſ. cap. 7.
(f) Seſſ. 25. de reform. cap. 13. Dec. Gen. fac. Congregationis particularis juſſu Urbani VIII. 27. Jul. 1628., & 21. Auguſti, & 19. Septembris ejuſdem anni.

dem interſint proceſſionibus, propria elevata cruce cum velo ab ea pendente, ut a clero ſaeculari ſecernantur (a), itidemque ſodalitatum confratres ſaccos talares geſtantes cum ſuis reſpective crucibus, & vexillis (b); graves, niſi acceſſerint, daturi poenas noſtro arbitrio ſtatuendas.

X. Porro autem, ne in hac re dubitationi relinquatur locus, eas declaramus proceſſiones ex cauſa publica indictas, quibus, praeter ſupra enunciatos, etiam regulares intervenire tenentur, quaeque ex opportunitate pro gratiarum actione de re gravi, pro pace exemp. cauſa inter catholicos Principes, vel victoria impetranda contra infideles, pro electione Romani Pontificis, pro lucrando Jubilaeo, pro placando Deo, graſſante peſte, aut fame premente, ſterilitate, bello, terraemotu, & his ſimilia fieri, ac indici (c) contigerit.

XI. Iis omnibus, qui ad has ſupplicationes conveniunt, grave non ſit orationibus aſſiſtere, cum quibus clerus proceſſionibus dat initium, & quibus factas jam proceſſiones complet, & abſolvit.

XII. Vehementer improbamus tepeſcentem populi fervorem in ſupplicationibus Rogationum, & graviter hortamur omnes laicos, ne illis intereſſe negligant; quod ut facilius aſſequamur, in eorum deducimus notitiam inſtructionem conſcriptam a Benedicto XIV. in tertia inſtitutione eccleſiaſtica numero quarto, quinto, & ſexto his verbis = *Mirabitur ſane, ac merito, qui in mentem revocaverit pietatem egregiam, qua olim Chriſtifideles ſolemnes hujuſmodi dies* (Rogationum nempe) *proſequebantur. In Moguntino Concilio praecipitur, ut nulla utantur veſtium pompa, nullumque eo tempore praeferant ornamentum: Concilio autem Arelatenſi jejunium religioſe obſervandum proponitur. Ex antiquiſſimis Rituum libris a Martene editis intelligimus, in more poſitum fuiſſe, ut ſacro cinere (quod nos primo Quadrageſimae die facere conſuevimus) ſingulorum capita adſpergerentur. Illud poſtremo memoria dignum, quod a ſancto Caeſario Arelatenſi traditur in ea concione; cujus auctor* S. Auguſtinus *ab aliquibus nuncupatur, nempe divinum*

(a) S. Rit. Congr. in Neapolitana 14. Jan. 1617.

(b) S. Rit. Congr. in Nucerina Paganorum 12. Sept. 1699.

(c) Pax Jordan. lucubrat. tom. 2. lib. 11. tit. 2. n. 4. Palſerinus de ſtatu hominis tom. 3. qu. 189. aum. 996., & alii paſſim.

officium, quod in hiſce diebus perſolvebatur, in variis templis recitari ſolitum fuiſſe, in quibus per ſex horas ſtationes Chriſtiani producebant: „ *Qui* in iſtis ſex horis *de conventu eccleſiae non ſubducit ſe, magnum remedium animae ſuae noſcitur providere* „; *Haec autem in medio non ideo protulimus, ut aſpergendi ſuper capita fidelium ſacri cineris uſum, vel jejunii per hoc triduum conſuetudinem renovemus, quod in ordinem religionis S. Johannis Hieroſolymitani cooptatis ſingulari lege praeſcribitur . . . Ea igitur de cauſa priſca eccleſiae inſtituta in memoriam adduximus, ut ſanctiſſimis majorum exemplis, qui nos longe virtute, ac meritis ſuperarunt, concitati omnes curae noſtrae commendati ad pietatem vehementius incenderentur* =.

XIII. Innovandas denique ducimus conſtitutiones emanatas in praecedenti hujus dioeceſis Synodo congregata anno MDCCXIII. ab Illuſtriſſimo Praeſule Johanne Baptiſta Baſſo, quibus debitae religioſiori, & inſigniori pompae in proceſſione ſanctiſſimi Sacramenti in ejus celeberrima ſolemnitate nimis laudabiliter proviſum fuit. Mandamus igitur, quod viae tunc praeſertim, quam diligentiſſime expurgentur, floribus, ac viridantibus foliis contegantur, laterales parietes, ac feneſtrae tapetibus, aulaeis, picturatiſque tabulis, atque imaginibus, non tamen gentilitatem, ſeu inhoneſtatem redolentibus, exornentur; campanae in exitu, tranſitu, ac reditu ſingulis in eccleſiis pulſentur; haſtae baldacchini ab ara majori uſque ad januam eccleſiae tam in exitu, quam in reditu a ſacerdotibus, & clericis ſuſtineantur, ſucceſſive a magiſtratu, & nobilioribus, deinde ab officialibus ſocietatis ſanctiſſimi Sacramenti, & reliquarum fodalitatum, ita ut haſtae anteriores dignoribus aſſignentur; mandamus inſuper quod auguſta illa proceſſione perdurante, eademque tranſeunte eſculenta, & poculenta non vendantur, nec venui publice ſubjiciantur. Quod nemo, ut par eſt, e feneſtris ſpectator pendeat (a), ad domus oſtia unuſquiſque deſcendat, ibique genuflexus Angelorum panem adoret; quod demum, ex praeſcripto ſac. Congreg. Epiſcop., & Regul. tormenta, ſeu alia inſtrumenta bellica non explodantur (b). At memoratis, confirmatiſque iſtis ſanctio-

(a) Concil. Provinc. Liman. 1. act. 2. (b) In Vintimil. 2. Jul. 1613. cap. 23.

ctionibus addendum ſupereſt, non eſſe amplius permittendum, regulares in dicta fauſtiſſima proceſſione incedere ſine cereo. Hinc graviter jubemus, ut deinceps ſinguli tum regularium, tum confratrum in praecellenti, de qua loquimur, proceſſione accenſam candelam manu geſtent (a): & ne deficiat regularibus candelarum ſubminiſtratio, ſocieratem a ſanctiſſimo Sacramento nuncupatam huic oneri ſubjicimus; cum id ejus inſtituto ſatis congruere arbitremur; datiſque occaſionibus quod in hoc erogare debebit memorata ſocietas, aliarum obventionum emolumentis illi abunde compenſare in animo habemus.

XIV. Haec eadem, quantum attentis locorum circumſtantiis fieri poterit, in univerſa dioeceſi ſervari mandamus, cupientes, quod tam in civitate, quam extra parochi, & animarum rectores die feſto praecedente ſolemnitatem Corporis Chriſti ſalutaribus monitis, opportuniſque inſtructionibus in plebibus ſuis ferventem devotionem excitent erga divina myſteria, quae in publica illius diei ſupplicatione circumferuntur. Et ut ad hoc utiliter praeſtandum apti ſint, plurimum eis conferre poſſe arbitramur lectionem inſtitutionis eccleſiaſticae numero v. Benedicti XIV., ubi populum, & clerum Bononienſem edocens, caeleſtes revelationes & miracula refert, quibus ad celebritatem illam indicendam adductus fuit Urbanus IV.: & quod inde poſtea Clemens V., Martinus V., & Eugenius IV., ut fideles ad feſtivitatem eamdem ſummo ſtudio ac pietatem recolendam inflammarent, magna ſpiritualium munerum copia eos liberaliter cumularunt; & quod etiam a ſacro Tridentino Concilio celebritas iſta velut annuus debellatae haereſis triumphus Chriſtianis orthodoxis propoſita fuit; narrationemque confirmat teſtimoniis Honufrii Panvinii, Johannis Tritemii, Sancti Antonini, Guglielmi Lindani, Chriſtiani Lupi, Henſchenii, Capeavilli, Bartholomaei Fiſei, Martene, & Theophyli Raynaudi.

XV. In quibuſcumque tam confinetis, quam extraordinariis a Nobis vel probatis, vel permittendis proceſſionibus praecipimus ſeparationem virorum a mulieribus. Quod ſi aliquando ex ſpeciali noſtra licentia poſt ſolis occaſum, & nocturno tempore ſupplicatio publica fieri contingat, tunc expreſſe veramus muliebris ſexus acceſſum, & interventum.

(a) In Caeremoniali Epiſcoporum lib. 2. cap. 33.

§. XIV.

De Parochis, & eorum muneribus, juribus, & obligationibus.

Vae Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos: nonne Greges a Paſtoribus paſcuntur? Ezechielis cap. xxxiv. verſ. ii.

I. ANtequam congruentibus adhortationibus dioeceſis noſtrae parochos ad impoſita ſibi munia ſedulo explenda impellamus, gravis momenti res inſinuanda illis occurrit, quam licet a quibuſdam penitus ſuperfluam, ab aliis nimis gravem ſciamus exiſtimandam, ideoque ſive quaerimoniis, ſive etiam conviciis forſan excipiendam, paſtoralis tamen officii noſtri debitum non ſinit, ut ab ejus inſinuatione abſtineamus.

Cupimus vehementer, a parochis, in quorum paraeciis animae eorumdem curae commiſſae millenarium numerum excedunt, ſacerdotem in ſui adjutorium deputari non pro incidente aliqua temporis, aut neceſſitatis circumſtantia, ſed ſtabilem, & continuum, ad nutum vero amovibilem, & a Nobis praevio examine approbandum. Hoc, quod ardenter optamus, conſtituere, edicere, & ſevere praecipere poſſemus. Etenim ab anno MDCCXLIX pro parochis almae urbis hoc idem ſancitum fuit juſſu Benedicti XIV. tunc regnantis Pontificis, quemadmodum manifeſtiſſime apparet ex edicto Cardinalis Guadagni, Romae eo tempore Generalis Vicarii publicato ſub die XXI. Martii praedicti anni, cujus edicti authenticum exemplar exiſtit in ſecretaria tribunalis ejuſdem Eminentiſſimi Vicarii in volumine inſcripto. = *Notizia pei Parochi* =, illiuſque tranſumptum typis editum extat in libro additionum ad Auguſtinum Barboſa, de officio, & poteſtate Parochi, auctore Ubaldo Giraldi parte prima cap. XI. additione I. pag. XCIV. Memoratum vero edictum, & illi cohaerentiſſimum praeſens deſiderium noſtrum ſolidum, & inconcuſſum fundamentum habet in jure Epiſcopis attributo a Concilio Tridentino ſeſſione XXI. de reformatione cap. IV. his verbis. *Epiſcopi etiam tamquam Apoſtolicae Sedis delegati in omnibus eccleſiis parochialibus, vel baptiſmalibus in quibus populus ita numeroſior ſit, ut unus rector non poſſit ſufficere eccleſiaſticis Sacramen-*

mentis miniſtrandis, & cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, ſibi tot ſacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad ſacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum =. Robur adjicit in hoc auctoritati noſtrae, ſubſidium quo egent turicolae quamplurimi ad numeroſiores paraecias tum civitatis, tum aliorum dioeceſis locorum pertinentes, qui a parochis adjutorem ſacerdotem non habentibus aut parum, aut nihil prorſus ſpiritualis emolumenti percipere poſſunt. Siquidem ratione diſtantiae a matrice eccleſia numquam divinis interſunt officiis, raro conciones & catecheſes audiunt, vix ſemel in anno ſacramentis expiantur, & reficiuntur, & neque etiam morti proximi ſacerdotali aſſiſtentia fulciuntur: in quibus caſibus a praelaudato Tridentino Concilio nedum praecipiendi parochis, ut adjutorium alterius ſacerdotis ſibi advocent, facultas facta fuit, ſed & poteſtas collata conſtituendi novas parochias redditibus originalis parochiae dotandas, invitis quoque rectoribus juxta formam conſtitutionis Alexandri III., quae incipit: = *Ad audientiam* = (a). Accedit, numeroſiores dioeceſis noſtrae paraecias proventus habere non exiguos, ſed potius pingues, & revera ſufficientiſſimos ad ſubminiſtrandam adjutoribus ſacerdotibus congruam ſubſtentationem. Quamquam autem tum operis pretium, & neceſſitas, tum Chriſtianae metropolis lex, praxis, & exemplum, tum a ſacris canonibus facta Epiſcopis poteſtas, tum votum noſtrum adimplendi facilitas ſuadere Nobis debuiſſent, ut praeceptorum vi, ac poenarum minis decerneremus ita prorſus in dioeceſi noſtra in poſterum faciendum eſſe; nihilominus de parochorum noſtrorum probitate nedum bene, ſed optime ſentientes, paciſque ſtudium ad ſcrupulum uſque ſectantes, ſanctionem praeceptivam in paternam tantummodo obſecrationem hic commutare deliberavimus. Hinc parochos cunctos, quibus ultra millenarium numerum animarum cura incumbit, enixe rogamus, & in viſceribus Domini noſtri Jeſu Chriſti iterum, atque iterum precibus, monitiſque omnibus oramus, & obteſtamur, ne tam rationabili voluntati noſtrae obſequi negligant; eorum conſcientias onerantes, ſi avaritiae incitamento illecti, & abducti (quod haud facile timendum) adjunctionem ſibi adjutorum ſacerdotum praetermittere voluerint. II. De-

(a) Trid. ſeſſ. 2. de reform. cap. 4.

II. Deinde non ſolum numeroſiorum plebium rectoribus, ſed parochis univerſis diſtricte imponimus, ut ubi aedes parochiales non deficiunt eas inhabitent. Quod ſi extantes parochiales aedes inſtauratione indigeant, infra ſex menſes ab hujus ſynodi publicatione earum refectionem explendam eſſe jubemus; hoc enim tranſacto temporis ſpatio, poenis in jure ſtatutis aliiſque arbitrio noſtro alibi quam in aedibus parochialibus, etiam intra fines parochiae morantes graviter puniemus. Et ne quis poſſit ſtatutum hoc noſtrum ſive irrationabile, & injuſtum, ſive nimis ſeverum judicare, nota facimus omnibus duo decreta ſacrae Congregationis Concilii ad rem hanc pertinentia, primum in Fulginatenſi MDCCXVI. die XIX. Novembris, & MDCCXX. die XIII. Januarii, quibus ſancitum fuit, Parochum cogendum eſſe ab Epiſcopo ad habitandum in domo eccleſiae, vel ſi eccleſia annexam domum non habeat, in domo eccleſiae propinquori infra limites parochiae. Haec deciſio emanata fuit nulla habita ratione contrariae obſervantiae per annos XLIII. nec aetatis Parochi, quae erat annorum LXX. ſecundum ejuſdem Congregarionis Concilii decretum retulit Garzias, de Beneficiis part. II. cap. II. num. IV., quo docetur, & indicitur, Parochum non habitantem in domo eccleſiae teneri ad reſtitutionem fructuum, de quibus in Concilio Trident. ſeſſ. XXIII. c. I. de Reformatione (a). At neque reticendum hic eſſe cenſemus; declaraſſe, & decreviſſe ſacram Romanam Rotam, in Tarraconenſi *juris reſidendi*. §. VI., & ſeq., &, XI. nec Epiſcopum poſſe Paroco poteſtatem facere extra domum parochialem habirandi (niſi ad breve tempus, & quidem dummodo haec altera domus ſit proxima domui parochiali): idque procedere, etiamſi pro aeris intemperie nequeat Parochus in parochiali domo habitare; nam nec concurrente hac, vel alia cauſa poteſt Epiſcopus licentiam Parocho dare extra domum parochialem in perpetuum habitandi (b).

III. Parochis cunctis dioeceſis noſtrae, tertio loco, enixe inculcamus, ut unuſquiſque propriae eccleſiae ſervitio deputatum, & congrua ſubſtentatione proviſum clericum ſaltem unum habeat. Ad hoc ipſos teneri ſtatuit Maticenſe Concilium, de quo in capite *Ut quiſque* de vita, & honeſtate clericorum. Eamdemque eorum obligatio-

(a) In Bibliotheca Lucii Ferraris t. 7. ar. 2. ver. *Paroch.* num. 16.

(b) In eadem Biblioth. t. 7. ver. *Parocus* num. 15.

tionem agnoverunt plures inter celebriores canoniſtas enumerati ab Ubaldo Giraldi (a). Nomine autem clerici parochiali eccleſiae inſervientis non eſt intelligendus puerulus, ſive adoleſcens aliquis vilis, ignarus, pannoſus, diſcalceatus, ſordiduſque, cujus re ipſa furfuris ſunt ii, quos dioeceſis noſtrae Parochi propriarum eccleſiarum cuſtodes & miniſtros non ſine dedecore, & avaritiae ſuſpicione deligere ſaepe ſolent. Clericus itaque ad inſerviendum Parocho, ejuſque eccleſiae aptus, & dignus erit ille, qui minoribus ordinibus, aut ſaltem prima tonſura initiatus, talari veſte nigri coloris decenter indutus, & ſuperpelliceo quoque dum ſacrum peragitur, vel Sacramenta miniſtrantur a Parocho, latini ſermonis peritia, caeremoniarum, & rubricarum ſcientia, chriſtianorum rudimentorum doctrina praeſtet, & morum probitate, & oculorum modeſtia, & zelo decoris domus Dei refulgeat, quique eccleſiae parochialis ſervitio peramanter addictus a Parocho alimenta percipiat, & alia vitae, & ſtatus decentiae neceſſaria. Hujuſmodi ergo clericum haberi ab unoquoque Parochorum noſtrorum volumus, & mandamus.

IV. Abſolutis iis, quae peculiares paraeciarum dioceſis noſtrae indigentiae exigebant, ad alia modo cunctis Parochis generaliter inſinuanda ſermonem noſtrum convertentes, hortamur in primis univerſos animarum rectores, ut pareant eccleſiae legibus, praecipue circa verbi Dei praedicationem. Obedire quippe oportet Tridentinis praeceptis tum in capite VIII. ſeſſionis XXII., ubi legitur = *Ne oves Chriſti eſuriant, neve parvuli panem petant, & non ſit qui frangat eis, mandat ſancta ſynodus Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter miſſarum celebrationem vel per ſe, vel per alios ex iis, quae in miſſa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera ſanctiſſimi hujus ſacrificii myſterium aliquod declarent diebus praeſertim Dominicis, & feſtis ſolemnibus* : = tum in decreto de Reformatione capite II. ſeſſionis V. ubi habetur = *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes eccleſias quocumque modo obtineant, per ſe vel per alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi com-*

(a) Girald. in addict. ad Auguſt. Barboſam de officio Parochi, par. I. cap. II. num. 38.

commissas pro sua, & eorum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, & caelestem gloriam consequi valeant: = Tum demum cap. IV. sess. XXIV. in decreto pariter de Reformatione, ubi indicitur, ut *Episcopi* = ... *per Parochos, sive iis impeditis, per alios ab episcopo, impensis eorum qui eas praestare vel tenentur, vel solent, deputandos in civitate, aut in quacumque parte dioecesis censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus festis; tempore autem jejuniorum Quadragesimae, & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras scripturas, divinamque legem annuntient, & alias quotiescumque id opportune fieri posse judicaverint .... Iidem etiam saltem Dominicis, & aliis festis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, & si opus sit etiam per censuras ecclesiasticas compellent non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus*. = Qui Parochorum relatis Tridentinorum Patrum constitutionibus non obtemperaverint, canonicis poenis, aliisque arbitrariis se a nobis puniendos esse sciant.

V. Nec exiguus auditorum numerus a concione, vel cathechismo Parochos excusat; quod Christi Domini, & Sanctorum exemplo comprobatur, qui evangelicam doctrinam paucis etiam, & non raro malignantibus auditoribus administrabant. Propterea eos monemus, ne unquam omnino praedicationem omittant; quod si propria socordia, vel quid aliud defides ecclesiasticos pusillum auditorum numerum objicere impellat audiant S. Johannem Chrysostomum Homilia VI. sermone V. = *Licet unus auditurus sit, audiat; non enim exiguum est, unam ovem servari, quandoquidem & Pastor ille, qui nonaginta novem reliquerat oves, ad unam cucurrit, quae aberraverat. Hominem non contemno, licet unus sit homo*. = Futilis similiter existimanda erit alia excusatio, quam adducere solemne est quibusdam animarum rectoribus, dum ajunt, ideo ab iis expetendum non esse, ut praedicent, quia praedicandi non habent usum.

Et

Et ſane Deus ipſe, qui ad animarum gerendam curam illos elegit & advocavit, potens eſt de lapidibus ſuſcitare filios Abrahae (a). Ipſe Moyſen impeditioris & tardioris linguae (b), & Jeremiam dicentem = *a a a Domine Deus ecce neſcio loqui* = (c), facundos reddidit, & Iſaiae labia per Seraphim manum mundavit, ut divina verba nuntiaret (d). Quare ſi imperitus quiſque apoſtolico delectus muneri omni adhibita induſtria, nec ulli parcens labori divinam expoſtulabit opem, omni dubio procul verbi donum accipiet ab eo, qui linguas infantium facit diſertas. Dato autem, quoſdam inveniri poſſe, qui propter inſcitiam nullimode praedicationis miniſterium valeant exercere, nec iſtis tamen deſunt remedia excogitata a plurium Conciliorum Patribus; tunc enim vel homilias, vel ſermones auctoris ab Eccleſia recepti in vulgarem linguam converſos, aut memoriter, aut de ſcripto pronunciare & poſſunt, & debent; id quod laudabiliter praeſcriptum fuit in Concilio Remenſi anni DCCCXXIII. cap. XV. in Concilio Valenſenſi anni DXXIX. cap. IX. in Concilio Burdigalenſi MDLXXXIV. tit. III. cap. II. in Concilio Mediolanenſi, de quo Acta illius eccleſiae pag IIII. & noviſſime quoque in Synodo dioeceſana Senenſi. Sed ut nullius penitus excuſationis praeſidio Parochorum ſilentium cohoneſtetur, addimus, minime eos a concionandi exercitio retardandos eſſe motivo parvi fructus, quem reportare ſolent in populum durae cervicis, & incircumciſis auribus: tenentur enim Chryſoſtomum imitari dicentem Homilia V. adverſus Haebreos = *Sive mentem adhibeatis, ſive non, ego dicere non deſinam.* = Aut ergo parochialis ſermo, qui Dei ſermo eſt & quidem vivus, efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti cadat ſecus viam & conculcetur, & volucres caeli comedant illum, aut ſupra petram, & natus areat, quia non habuit humorem, aut inter ſpinas, & ſimul exortae ſpinae ſuffocent eum, Parochi nihilominus ſemen a Patrefamilias acceptum ſpargere debent, & officium quo funguntur adimplere.

VI. Ex debito praedicandi obligatio oritur reſidendi, quae cum omnibus nota ſit *ex Tridentini decretis in ſeſſ.* XXIII. *de Reformatione cap.* I., legibus noſtris ſtabilienda non eſt, ſed tantum in memoriam monitis noſtris revocanda. Itaque continuam Parochi, etiamſi

(a) Matth. 14. verſ. 19.
(b) Exod. cap. 4. 10.
(c) Jerem. cap. 1. verſ. 6.
(d) Iſa. cap. 6. verſ. 6.

Coadjutores habeant, reſidentiam in parochia non praetermittant; alias contumaces per cenſuras eccleſiaſticas, ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaque juris remedia etiam uſque ad privationem, compellentur. Extra pernoctare, vel abeſſe non audeant ex quacumque cauſa, ultra duos dies continuos, vel interpolatos quolibet menſe, & tunc cum licentia *oretenus* impetrata Vicarii noſtri ſive Foranei in locis dioeceſis, ſive Generalis in hac civitate, & in ſimul ſacerdotem aprum, & idoneum relinquant, qui ſuas interim vices gerat. Longioris morae extra parochiam Nobis, vel Vicario noſtro Generali in ſcriptis licentiam reſervamus: cum oeconomo, vel Vicario ſubſtituto approbato, cui debita mercedis aſſignatio fiat, quam licentiam, & quidem cum cauſa juſta & rationabili, gratis concedemus, intra tempus bimeſtre (a): raro tamen & tantum biduo abeant (b), numquam vero ſine noſtro permiſſu diebus feſtis; nequidem occaſione peculiaris feſtivitatis, alio occurrentis.

VII. Et quia tertia hujus ſynodi ſectione de convenienti Sacramentorum adminiſtratione opportunae edicentur ſanctiones, nil modo de hac re Parochis commendandum occurrit. Expedit vero de aliis nonnullis eorum obligationibus hic illos commonere. Ante omnia itaque, onus eis impoſitum ſacrificia pro populis ſuis Deo offerendi commemoramus. Porro cum docente Tridentino Concilio (c), nemo in dubium vertere poſſit, praecepto divino mandatum eſſe omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, & pro his ſacrificium offerre, legis hujus adimpletionem inſinuare, & vigilanti zelo exquirere, nos urget ipſa Epiſcopalis officii noſtri ratio. Idcirco documentis, & regulis inhaerentes Benedicti XIV. (d), ſtatuimus, & ſtrictiſſime jubemus, quod ſacri Paſtores quicumque eorumve Vicarii etiam temporales, & ad nutum amovibiles ad breve tempus ad curam animarum deputati, non omittant miſſae paro-

(a) Trident. cap. 2. ſeſſ. 6. & cap. 1. ſeſſ. 23. de Reform. Concilium Rom. anni 1725. tit. 17. cap. 6. in Syn. Gozzadini 1626. ſeſſ. 2. cap. 12. in Syn. Lanucci 1766. tit. 4. cap. 4. num. 6. & aliis quamplurimis S. Congr. Concilii apud Bened. XIV. Inſtit. 17. num. 11. & 12.

(b) S. Congr. Concilii Archiepiſc. Urbinat. 8. Februar. 1747. ad 2. dubium apud Benedict. XIV. citat. inſtitut. 17. num. 27. Toſi in Syn. part. 3. cap. 4. num. 7.

(c) Conc. Trident. ſeſſ. 23. de Reform. cap. 1.

(d) Bened. XIV. conſt. *Cum ſemper.* 103. tom. 1. ſui Bullar. §§. 2. 3. 4. 5. & 6.

parochialis pro populo applicandae celebrationem diebus ſaltem Dominicis, & feſtis de praecepto, contraria quacumque conſuetudine non obſtante etiam immemorabili, & quamvis ex eorum paraeciis congruos fortaſſe ex ſacrorum canonum diſpoſitione non recipiant proventus. Si vero iiſdem diebus alio Miſſarum onere, vel eccleſiae caetui impoſito, vel ex pio legato, aut quovis alio titulo proveniente ſint fortaſſe gravati, praecipimus nihilominus, parochialis miſſae applicationem pro populo neque differendam, neque negligendam eſſe, ſed eo in eventu volumus, quod alii ſubſtituantur Sacerdotes, qui eorum nomine praefata onera hiſce ipſis diebus valeant implere. Caveant autem attente, ne eleemoſynam pro miſſa celebranda a pio aliquo benefactore eis, dum pro populo ſacrificare tenentur oblatam recipiant, niſi ut priorum fidelium voluntati debita ſervetur fides, ab offerente veniam petierint, & obtinuerint allo die celebrandi, vel niſi concurrente aliquando caſu gravis paupertatis, & inopiae Parochorum a Nobis expendendae, cum eis fuerit per nos ipſos diſpenſatum, ut feſto die occurrente eleemoſynam a piis oblatoribus recipere, & pro eis applicare ſacrum licite poſſint & valeant; modo tamen in eccleſia parochiali pro commoditate populi miſſam celebrent, & miſſam, ſeu miſſas pro populo in diebus feſtis eadem de cauſa omiſſas infra eamdem hebdomadam omnino celebrare, & applicare non praetermittant (a).

VIII. Abs re tamen non erit Parochos admonere de obligatione exquirendi inter oves ipſis creditas, quaenam idoneae ſint, quaenamque teneantur ad euchariſticam Communionem tum in Paſcate, tum in mortis gravi periculo conſtitutae. Cum enim Chriſtifideles divino urgeantur praecepto ad Euchariſticam menſam aliquando accedendi, (b) & etiam eccleſiaſtico, in propria uniuſcujuſque Parochiali eccleſia, ſaltem in Paſchate, & per modum *viatici neceſſarii* (c) imminente morte ſe illo caeleſti pane nutriendi (d), inde conſequitur, penſum minime ſuum Parochos abſolvere, niſi ſedulo inquirant; quibus perſonis, quibuſque in circumſtantiis divinum illum cibum

(a) Toſi in Syn. par. 2. cap. 5. n. 33.
(b) Vide Claud. Fraſſen. de Sacr. Euchar. tract. 2. diſp. 1. art. 3. ſect. 2. qu. 1. Gabr. Antoine de Euch. cap. 2. &c. &c.
(c) Concil. Nicen. I. cap. 12. & Carthagin. IV. cap. 77.
(d) Theologorum communis opinio.

praebere, vel denegare debeant. Notum quidem eſt Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. praeceptum, a Concilio Tridentino inſtauratum (a), quo, nulla pro ſacramentalibus confeſſione & communione aetatis, ſexuſve facta diſtinctione indicitur, ut = *Omnis utriuſque ſexus Chriſtifidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti .... ſuſcipiens reverenter, adminus in Paſcha Euchariſtiae Sacramentum* . = (b) Nota praeterea ſunt Theologorum diſſidia erga puerorum ſufficientem aetatem pro Euchariſtico pane, vi eccleſiaſtici praecepti in Paſchate, vel per modum Viatici ſuſcipiendo. (c) = *Qua vero aetate* reapſe *pueris ſacra myſteria danda ſint, nemo melius poterit conſtituere* (docet Romanus Catechiſmus) *quam pater, & ſacerdos, cui illi confiteantur peccata. Ad illos enim pertinet explorare, & a pueris percontari, ne hujus admirabilis ſacramenti cognitionem acceperint, & guſtum haberent.* = (d) Non autem tantam deſiderari aetatem, ut in mortis articulo divino poſſint & debeant muniri Viatico, communior eſt Theologorum opinio (e), uti animadvertit ſapientiſſimus Pontifex Benedictus XIV. Ejuſdem ergo Nos inhaerentes doctrinae, Parochos ſerio adhortamur, & monemus, = *ne patiantur omnes pueros indiſcriminatim interire ſine Chriſti corporis Viatico* : = imo diſtricte praecipimus, ut ſi quos diligenti praemiſſo examine pueros compererint, ea pollere mentis perſpicacia, ut realem Chriſti praeſentiam ſub panis ſpecie latentem firmiter credant, & reverenter adorent, illis Divinum praebeant viaticum (f). Id pariter faciant erga amentes in vitae diſcrimine conſtitutos, quoties poſt peractam ſacramentalem confeſſionem, in inſaniam devenerint, & nullum ſive vomitionis, ſive alterius irreverentiae periculum imminere, prudenter judicaverint. (g). Arceantur tamen a ſacra menſa publici peccatores, puta uſurarii, raptores, adulteri, mereirices &c. S. Cyprianus, demum, indeque Concilia Eliberitanum, Trullanum, & Arelatenſe a divino ipſo convivio

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 9.
(b) C. omnis utriuſque ſexus. de poenit. & remiſſ.
(c) Bened. XIV. de Synodo lib. 7. c. 12. num. 2.
(d) Catech. Rom. de Euchar.
(e) Bened. XIV. de Synodo loc. cit. num. 3.
(f) Bened. XIV. ibid.
(g) Catechiſm. Rom. ibid. ex S. Thom.

vivio repellendos quoque duxerunt, illorum temporum ſcenicos hiſtrioneſque homines (a).

IX. Inſuper, quoniam proprium Parochorum officium eſt verbum Dei miniſtrare populo, & rite tractandae conſcientiae modos tenere, licet operoſam eloquutionem non exigamus, neque amemus, ſed ad populi captum accomodatam, eorum munus eſt attendere lectioni, ſtudio & orationi ut bene meditata proferant. Quamobrem nedum Miſſale, Breviarium, Kalendarium, & ritualem librum Romanum habeant, ſed & probatos libros, qui ſanam fidei, & morum doctrinam docent, & pietatem promovent. Prae ceteris vetus, & novum Teſtamentum, Concilium Tridentinum, noſtram hanc Synodum, Catechiſmum Romanum, doctrinam *majorem* dictam Cardinalis Bellarmini, ſacrarum meditationum, Homiliarum, & Theologiae moralis aliquem probatum auctorem: de quibus inquiſitionem faciemus in ſancta Viſitatione. Si quis autem Parochus his neceſſariis libris careat, tot nummis mulctabitur, quot pro pretio librorum deficientium requiruntur arbitrio noſtro (b). Catalogum vero librorum, quos invenire cuperemus in domo cujuslibet confeſſarii, & Parochi dabit appendix ad hanc Synodum num. XXVIII.

X. Sed & potiſſimum prae oculis habeant Parochi debitum, quo gravantur pauperum indigentiis pro ſuo modo conſulendi, & ad eas levandas eccleſiaſtici cenſus partem conferendi. Concilium Tridentinum (c) Epiſcopis, & quibuſcumque beneficia eccleſiaſtica tam ſaecularia, quam regularia obtinentibus omnino interdicit, ut ex redditibus eccleſiae conſanguineos, familiariaſve ſuos augere ſtudeant, Apoſtolorum quoque canones prohibent ne res eccleſiaſticas, quae Dei ſunt, conſanguineis donent: ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant; eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa: Immo quam maxime poteſt ſancta Synodus monet, ut humanum hunc erga fratres, nepotes, & propinquos alios carnis affectum unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium extat penitus, deponant: quod & Concilia poſt Tridentinum celebrata, ſcilicet Rothomagenſe, Burdigalenſe & Aquenſe repetunt. Serio proinde perpendant

(a) S. Cyprian. epiſt. 60. Concil. Eliberit. cap. 62. Concil. Trullan. cap. 52. Concil. Arelaten. cap. 5.

(b) Lanuecі in ſyn. tit. 4. cap. 4. n. 25.

(c) Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de reform.

dant clerici universi, cujuscumque generis beneficiis ecclesiasticis gaudentes, & praesertim Parochi, quod gravi adstringuntur obligatione, sive ex stricta justitia, sive ex lege caritatis orta (a) erogandi in pauperes aliisve piis operibus applicandi superfluos sibi redditus, quos ab ecclesia ipsi percipiunt. Unde cum ex iis victum, & honestum vestitum delibarunt, si quid residuum est, pauperibus debent. *Conceditur tibi* (inquit S. Bernardus *Clericos omnes in unius Fulloni's persona interpellans*) *conceditur tibi, ut, si bene deservis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi fraena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia grisea que pellicea a collo, & manibus ornatu purpureo diversificata.... Quidquid praeter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est* (b) = Et alibi = *Timeant clerici, timeant ministri ecclesiae, qui in terris Sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quae sufficere debeant, minime contenti, superflua, quibus egeni sustentandi forent, impie, sacrilegeque sibi retineant, & in usus suae superbiae atque luxuriae victum pauperum consumere non vereantur; duplici profecto iniquitate peccantes, quod & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus, & turpitudinibus abutuntur.* (c) = Sibi consonat rursum scribens = *De altario vivat, non superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec contra sancti cujusdam dignam omni acceptione sententiam ex clericatu ditior fiat. Non sibi de bonis ecclesiae ampla palatia aedificet mutans quadrata rotundis, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat. Non extollat de facultatibus ecclesiae consanguineos suos aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum, facultates ecclesiarum sunt & sacrilega eis crudelitate surripitur quidquid sibi Ministri, & dispensatores, ultra victum accipiunt, & vestitum. Nec enim ordinavit Deus his, qui evangelio serviunt, de evangelio quaerere, aut habere de-*

(a) Bened. XIV. de syn. lib. 7. cap. 2. per totum.
(b) S. Bern. epist. 2.
(c) Idem S. Bernard. serm. 18. in Cant.

delicias, vel ornatum, ſed vivere (ait Paulus) ex eo (a), *ut videlicet ſint contenti alimenta corporis, non irritamenta gulae, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere*. (b) = Itaque ſingulos dioeceſis noſtrae clericos beneficia poſſidentes, & ſpeciatim animarum rectores enixe rogamus, & obſecramus in Domino, ut haec meditentur. Nam veritatibus iſtis eis praelucentibus ſobrie vitam tranſigere ſatagent, & pauperum aerumnis opem ferre non cunctabuntur.

XI. Volumus pariter, quod non praetermittant Parochi candelas in feſto Purificationis B. Virginis, cineres in prima die Quadrageſimae, & palmas in Dominica ultima, juxta Miſſalis Romani rubricas benedicere, & diſtribuere populo venienti. Curent autem ejus petulantiam, & inſolentiam compeſcere, ut cum ſilentio, devotione, & modeſtia piae caeremoniae interſint. Caveant candelas, & palmas ad aedes ſaecularium tranſmittere. Si vero aliqui legitimo impedimento ſint detenti accedendi ad eccleſiam, tunc aliis, qui veniant pro illis recepturi, fiat conſignatio, non obſtante quacumque conſuetudine (c). Feſtos dies, & ſacra jejunia ex praecepto Eccleſiae inter miſſarum ſolemnia in praecedenti feſtivitate populo denuntient. Edicta etiam, & ordinationes noſtras, quae rectum dioeceſis regimen concernunt, itemque apoſtolicas conſtitutiones juxta praeceptum noſtrum populo annuncient. Indulgentias a Sede apoſtolica conceſſas, & a nobis recognitas publicent cum brevi ſermone circa valorem, & opera injuncta, ut acquiri poſſint. In praecipuis autem ſolemnitatibus earum myſteria explicent, ut devotio chriſtiana in dies augeatur. Aquae benedictae aſperſionem ſuper populo in miſſa parochiali, vel majori ſingulis quibuſcumque diebus Dominicis juxta ritum, non praetermittant. Devotionem, pietatem, & religionem promoveant erga Deum, B. Virginem Mariam, & Sanctos. Praecipue vero gratiſſimum nobis futurum ſciant, ſi in eccleſia ter in hebdomada ſanctiſſimum Roſarium publice recitaverint. Conſuetas devotiones, & particulares proceſſiones haud negligant. Curabunt omnino ſignum dare ſonitu campanae ſalutandi B. Virginem in aurora, meridie, & veſpe-

(a) 1. Cor. 9.

(b) S. Bernard. Declamat. in illa verba = *Ecce non reliquimus omnia*.

(c) Conc. Mediol. III. part. 3. tit. 1. S. C. Epiſcop. in Fulginatenſi apud Barboſa de Paroch. cap. 12. num. 5.

veſpere ; & circa horam primam noctis pulſetur campana pro precibus erga defunctos (a).

XII. Reliqua tandem Parochorum munia unica , & brevi adhortatione perſtringentes ſuademus eis, ut vigilent, & laborent in omnibus tamquam boni adminiſtratores multiformis gratiae Dei, nec umquam quaerant quae ſua ſunt , ſed quae Jeſu Chriſti : verbo & exemplo arguant , obſecrent , increpent in omni patientia & doctrina , & quemlibet a chriſtianae ſemita juſtitiae aberrantem ſollicite , prudenter ſancteque perſequantur , & comprehendant , nec revertantur , donec deficiant a via iniquitatis , & in cordis compunctionem veniant : virtutem , & fortitudinem regendis plebibus ſuis ab eo , qui dat omnibus affluenter , cum humilitate , & lacrymis depoſcant, & denique in caſibus arduis noſtram advocent , quam ſemper impendere parati ſumus , auctoritatem .

XIII. Nunc de Parochorum juribus dicendnm remanet; non quidem ſigillatim , cum infra propriis locis , quae ſpeciatim aſſerenda , & vindicanda cenſuimus , declaraturi erimus , ſed generatim profitendo , Parochos peculiari quadam ratione colendos eſſe a cunctis tum laicis , tum eccleſiaſticis fidelibus , atque honorandos tamquam Epiſcopi coadjutores , & fratres , eccleſiarum rectores , & dioeceſeos compaſtores . Etenim Parochiae antiquitus non erant diſtinctae , ſed Epiſcopus curam animarum totius dioeceſis per ſacerdotes pro ſuo libitu miſſos , & ad nutum amovibiles adminiſtrabat , aſſignatis cuilibet laboranti ſacerdoti iis ſubſtentationis mediis , quae Epiſcopus pro tali judicabat ſufficientia , ut propterea tota dioeceſis merito diceretur *Parochia* ; quemadmodum facillime colligi poteſt ex cap. *Si quis ordinatus* IV. diſt. XCII. ibi = *Si quis ordinatus Epiſcopus ad parochiam , cujus eſt electus &c.* = Et ex cap. *Si quis Epiſcopus* V. eadem diſt. XCII. ibi = *Si quis Epiſcopus ordinatus ad Parochiam cujus eſt electus &c.* = Et cap. *Si qui Epiſcopi* VI. eadem diſt. ibi = *Si qui Epiſcopi ordinati ſunt , nec recepti ab illa Parochia , in qua fuerant denominati &c.* = Et ex cap. *Ad Apoſtolicae Sedis regimen* XX. *de decimis* = ibi = *De parochia unius Epiſcopi in dioeceſi alterius transferantur &c.* = Succeſſu tamen temporis , cum populus chriſtianus magis magiſque in dies augeretur , Dionyſius Papa ſecatis , & par-

(a) Lanucci in Syn. tit. 4. cap. 4. n. 8. pag. 215.

& partitis dioeceſibus in plures eccleſias parochiales, ſeu parochias, ſingulas has parochias ſingulis ſacerdotibus aſſignavit, ut unuſquiſque proprium haberet territorium, ſeu certum diſtrictum ab hac partitione appellatum *Parochia*, intra cujus fines ac limites populum inibi exiſtentem in ſpiritualibus debite paſceret, ac regeret, nec unus alterius fines, & limites ingrederetur. Ita expreſſe habetur in capite *Eccleſiaſt.* 1. *cauſ.* XIII. *qu.* 1., ubi praelaudatus Pontifex Maximus Dionyſius Severo Epiſcopo epiſt. 2. ſic ait = *Eccleſias ſingulas ſingulis Presbyteris dedimus: parochias, & coemeteria eis diviſimus; & unicuique jus proprium habere ſtatuimus: ita videlicet, ut nullus alterius parochiae terminos, aut jus invadat; ſed ſit unuſquiſque ſuis terminis contentus, & taliter eccleſiam, & plebem ſibi commiſſam cuſtodiat, ut ante tribunal aeterni judicis ex omnibus ſibi commiſſis rationem reddat, & non judicium, ſed gloriam pro ſuis actibus accipiat* (a) = Hinc a quamplurimis canonicarum rerum ſcriptoribus, hodiernae diſciplinae Parochi ſecundae claſſis veluti Epiſcopi non abs re nuncupati fuerunt; & exinde originem habuiſſe conſtat erigendi crucem, deferendi ſtolam, benedicendi, & Sacramenta miniſtrandi, tumulandi, & decimas exigendi privilegia, ac jurisdictionis indicia, & exercitia. Horum jurium protegendorum curam apoſtolicis legibus Nobis demandatam agnoſcentes, in iis defendendis & conſervandis diligentiam, & vigilantiam maximam adhibebimus. Interea Parochis injungimus, ut qui paſtoralis dignitatis gradum in Dei eccleſia renent, boni paſtoris partes adimplere contendant, neque de illorum numero ſint, quos prophetici Ezechielis vocibus improperabat, & minabatur Deus dicens = *Vae paſtoribus, qui paſcebant ſemetipſos .... lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod aegrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum erat, non reduxiſtis, & quod perierat, non quaeſiſtis, ſed cum auſteritate improperabatis eis, & cum potentia ...* Propterea *Paſtores audite verbum Domini ... Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant amplius*

(a) Ap. de Ferrar. in Bibliotheca tom. 7. pag. 130. n. 7., & 8. 2. columnae.

paſtores ſemetipſos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam = (a) Ut autem facilius valeant dioeceſis noſtrae Parochi ea, quae proprii muneris ſunt, in omnibus adimplere; praecipuas eorum obligationes admodum accurato examine deſcriptas a clar. mem. Cardinali d'Aſte Epiſcopo Anconitano *in Appendice hujus Synodi apponemus num.* XIII.

Deſcribuntur paraeciae dioeceſis noſtrae, in quibus animarum multitudo millenarium excedit numerum.

In Paraecia S. Pancratii, ac SS. Coſmae, & Damiani Civitatis Anagniae.

Numerus Animarum 1203

In Paraecia S. Angeli ejuſdem Civitatis.

Numerus Animarum 1379

In Paraecia S. Johannis de Duce ejuſdem Civitatis.

Numerus Animarum 1745

In Dioecesi.

In Paraecia Collegiatae Inſignis S. Mariae Terrae Moroli, cujus Archipresbyter Parochus habet jam in Cura animarum duos Canonicos coadjutores, quorum beneficio annexum eſt onus coadjutoriae Paraecialis tum ex diſpoſitione ſalubriter facta in ſancta Viſitatione ſub die XIV. Maji Anni MDCCLV. ab Illmo Praedeceſſore noſtro Dominico Monti (nunc emeritiſſimo Urbinatenſi Archiepiſcopo) tum ex Bulla erectionis illius in inſignem collegiatam, inibi exiſtente, tum ex decretis ab hac Anagnina Curia emanatis ſub immediato praedeceſſore noſtro Johanne Baptiſta Filipponi,

Numerus Animarum 1860

In Paraecia Archipresbyteralis Eccleſiae S. Mariae Terrae Pilei.

Numerus Animarum 1593

In Paraecia S. Nicolai Terrae Carpineti.

Numerus Animarum. 1445

In Paraecia S. Mariae Terrae Filectini.

Numerus Animarum 2168

§. XV.

(a) Ezechielis 34. verſ. 3., & 4. & verſ. 9., & 10.

§. XV.

De Regularibus, aliiſque exemptis.

En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael; omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi; uniuſcujuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Canticorum cap. III. verſ. XVII., & VIII.

I. QUis non illos miretur & praedicet, qui contemptis atque deſertis mundi hujus illecebris in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimamque congregati ſimul aetatem agunt, viventes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus; nulla ſuperbia tumidi, nulla pervicacia turbolenti, nulla invidentia lividi, ſed modeſti, vetecundi, pacati, concordiſſimam vitam agunt, & qua par eſt, in Deum intenſum, gratiſſimumque ipſi munus offerunt, a quo iſta poſſe meruerunt? = *Nemo profecto quidquam poſſidet proprium, nemo cuiquam oneroſus eſt... Rationem ipſi reddunt uni, quem patrem appellant. Hi vero patres non modo ſanctiſſimis moribus, ſed etiam divina doctrina excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia conſulunt iis, quos filios vocant, magna ſua in jubendo auctoritate, magna illorum in obtemperando voluntate..... Caritas in his praecipue cuſtoditur; caritati victus, caritati ſermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur. Coitur in unam, conſpiraturque caritatem: hanc violare tamquam Deum nefas ducitur: huic ſi quid reſiſtit, expugnatur, atque ejicitur; hanc ſi quid offendit, unum diem durare non ſinitur. Sciunt ita commendatam eſſe a Chriſto, & Apoſtolis, ut ſi haec una deſit, inania, ſi haec adſit, plena ſint omnia.* = Laudibus iſtis, quibus S. Auguſtinus in libro de moribus Eccleſiae catholicae capite XXXII. aevi ſui Monachos proſequtus fuit, libenter & Nos regulates ordines commendamus, quorum profeſſores ſive in civitate, ſive in dioeceſi noſtra commorantur. Probe ſcientes, ex eorum religioſis agminibus innumera prodiiſſe in catholicae Eccleſiae ſubſidium, aedificationem, tutamen, & gloriam totius ſanctitatis, atque doctrinae portenta, magna animi noſtri voluptate & cordis laetitia typice illos deſignatos agnoſcimus in for-

tiſſimis lectuli Regis Salomonis cuſtodibus. Etenim ad repellendos timores nocturnos, id eſt ad impedienda quaecumque ſacroſanctae Religionis noſtrae damna ob tenebroſas incurſiones errorum in fide, aut vitiorum in actione, ſapientiae, & probitatis gladios paratos ſemper habent, & quandocumque opus fuerit, geſtiunt impugnare. Propterea erga venerabiles, & a Nobis ex animo dilectos ordines omnes regulares, & exemptos a noſtra jurisdictione privilegia Apoſtolica illibata volumus, & percupimus; remittentes vigilantiae, et providentiae eorum Superiorum curam, ut ad regulae, quam profeſſi ſunt, normam ipſi vitam inſtituant & componant. Quod ad Nos vero pertinet, in praeſenti Synodo ad memoriam revocamus aliqua principaliora capita in quibus a Concilio Tridentino, conſtitutionibus apoſtolicis, aliiſque ſacris canonibus nobis commiſſa eſt jurisdictio delegata coercendi, ubi opus fuerit, regulares, alioſve exemptos clericos ſaeculares.

II. Nulla ergo monaſteria regularium in noſtra dioeceſi erigantur ſine noſtra facultate; quam numquam ſumus conceſſuri, niſi ſaltem duodecim religioſi viri in his habitare, & ſuſtentari valeant, cauſa cognita, & vocatis auditiſque regularibus, qui ad quatuor millia paſſuum alibi commorantur, & aliis, quorum intereſt, ex praeſcripto Conſtitutionum Apoſtolicarum (a).

III. Omnes, & ſinguli conventus regularium non ſuppreſſi, in quibus non aluntur ſaltem ſex religioſi, quorum ad minus quatuor ſint ſacerdotes maturae aetatis, annorum nempe quadraginta completorum, viſitationi, correctioni, & omnimodae noſtrae jurisdictioni delegatae in omnibus ſubſint. Conventus cum pauciori numero, quam duodecim religioſorum erecti poſt diem XXI. Junii MDCXXV. noſtrae pariter jurisdictioni ſubjiciantur juxta decretum Urbani VIII. In conventibus vero ſuppreſſis in conſtitutione Innocentii X. *Inſtaurandae*, ac deinde ex rationabilibus cauſis reſtitutis, viſitatio, correctio, & omnimoda jurisdictio locum inveniat, donec ipſorum redditus adaucti ita fuerint, ut in eis commode duodecim religioſi ſuſtententur. Interea vero, niſi alantur ſex ſaltem religioſi probatae vitae, ex quibus quatuor ad minus ſint ſacerdotes, gratia reſti-

(a) Clem. VIII. conſt. 1603., Gregorius XV. in conſt. 1604., Urban. VIII. in conſt. 1625.

reſtitutionis nulla ſit & invalida, adeo ut noſtrum ſemper ſit jus, & facultas in illis conventibus exequendi ea omnia, quae in aliis conventibus itidem ſuppreſſis demandantur, perinde ac ſi gratia reſtitutionis non emanaſſet; declarationes vero ſuper his juſſu Alexandri VII. ſervari volumus, & mandamus (a).

IV. Nulla, & irrita habeatur quaelibet novitiorum obligatio, vel renunciatio bonorum, niſi accedente noſtra facultate, ſive Vicarii noſtri generalis & niſi fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem; aliterque facta nullum habeat effectum (b).

V. Religioſi exempti extra clauſuram, etiam cum ſuperiorum obedientia, vel licentia degentes, qui deliquerint, pro modo culpae a Nobis plectentur, nullo obſtante exemptionis privilegio (c). In clauſtris autem habitantes, ſi extra, vel in eccleſia publica ita notorie peccaverint, ut populo ſcandalo fuerint, intra tempus a Nobis conſtituendum per ſuperiores ſevere puniantur, & de poena irrogata certiores ipſi Nos faciant (d); neque antea criminoſi extra noſtram dioeceſim amandentur, vel tranſmiſſi revocentur; alias, pro gravitate delicti in foro Epiſcopali poenas luent (e).

VI. Cum ſactis virginibus, ceteriſque quibuſcumque feminis in monaſterio degentibus caveant regulares, ne loquantur etiam ad modicum quodcumque tempus, vel praetextu concionandi, ſpiritualia colloquia habendi, vel ſacrum in eorum eccleſia peragendi, aut alia quavis de cauſa, quaeſitoque colore, ſub poena privationis officiorum, ac vocis activae, & paſſivae ipſo facto incurrenda, atque etiam excommunicationis in ſubſidium (f). Si vero regulares auſi fuerint cum monialibus, aliiſque feminis in monaſteriis degentibus per litteras tractare, vel ſpirituales inſtructiones, & conſilia mittere ſine noſtra facultate ſcripto expreſſa, (quae omnia ad clauſuram monialium ſpectant) a Nobis tamquam Sedis Apoſtolicae Delegatis pro modo culpae punientur. Facultate tamen Nobis tributa ab Urbano VIII., arbitrio noſtro reſervamus, licentias concedere

(a) Decr. Innoc. X. 10. Febr. 1654. *Ut in paucis*. Decr. Alex. VII. 27. Jul. 1655.

(b) Trid. cap. 16. ſeſſ. 25. de Regul.

(c) Trid. cap. 3. ſeſſ. 6. de reform., cap. 24. ſeſſ. 25. de Regul., cap. final. *Si vero* de ſtatu Monach.

(d) Conc. Trid. c. 14. ſeſſ. 25. de Regul.

(e) Clem. VIII. in conſt. *Suſcepti muneris* 30.

(f) S. C. Epiſc. in decr. juſſu Urb. VIII. edito 19. Nov. 1633., & dubiis declarat. 7. Jun. 1664., & 12. Maii 1678. approb. a Clem. VIII. Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 41. n. 7.

dere regularibus colloquendi cum monialibus in primo, & ſecundo tantum conſanguinitatis gradu conjunctis, per quatuor ad ſummum vices in unoquoque anno (dummodo colloquium non fiat diebus feſtis, in Adventu, Quadrageſima, feria ſexta, ſabbatho, & vigiliis) pro die, & hora certa in ſcriptis deſignata, praeſentibus auſcultatricibus de more (a).

VII. Generatim ſciant regulares, noſtrae juriſdictioni, & correctioni etiam per cenſuras ſe eſſe ſubjectos in his omnibus, quae concernunt cuſtodiam venerabilis Sacramenti Euchariſtiae, ejuſque expoſitionem, & prohibitam adminiſtrationem ſolemni die Paſchatis Reſurrectionis. Circa celebrationem Miſſarum in eccleſiis etiam regularium Nobis competere inſpectionem, & curam, vago, & ignoto ſacerdoti in eccleſiis regularium non eſſe permiſſam celebrationem, nec ipſos regulares fieri poſſe conniventes. Quoad ſacramenti Poenitentiae adminiſtrationem, regulares audire non poſſe ſaecularium confeſſiones abſque noſtra approbatione, exceptis ordinis alumnis; quoad conciones & ſpirituales collocutiones in quibuſcumque eccleſiis, & locis publicis, regulares abſque noſtra benedictione, vel reſpective licentia concionari, vel ſermones habere non poſſe; praeſertim interim, quo Nos praedicationis munus exercemus in qualibet eccleſia etiam regulari & circa expoſitionem inſolitae imaginis, vel novae reliquiae, vel indulgentiae a Nobis non recognitae in eccleſiis regularibus (b).

VIII. Si quis regularium ſacramenta adminiſtrare, benedicere, vel functiones peragere praeſumpſerit, quae privative ad jus pertinent parochiorum, facultate Nobis tradita a ſacris canonibus, Concilio Tridentino, & Apoſtolicis decretis, poenis & cenſuris, ſervatis ſervandis ſubjicietur. Similiter ſi exorcizandi munus exercuerit abſque noſtra facultate, & approbatione poenis graviſſimis plectetur (c). Sciant etiam regulares decretis ſacrarum Congregationum tum Concilii in Antuerpien. XVIII. Novembris MDCLXII., tum Rituum, urbis, & orbis jurium parochialium X. Decembris MDCCIII. inhibitas ipſis fuiſſe puerperarum benedictiones, quas impartiri ad parochos tantummodo ſpectat. IX. Re-

(a) Decr. Urb. VIII. 19. Nov. 1623.
(b) Cap. 1. de Cuſtod. Euchar. Trid. de obſerv., & vitan. Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 41., cum ſeq.
(c) Gregor. XV. in conſt. 18. *Inſcrutabilis*. Sac. Congr. Epiſc. in Florentin. 22. Febr. 1625.

IX. Regularium ſuperiores, in quorum monaſteriis ſacrae Scripturae lectio, & caſuum moralium explicatio a Tridentino, & Conſtitutionibus Apoſtolicis praeſcripta eſt, monemus, ubi commode fieri poteſt, ut habendam omnino curent, ne corrigendam Nobis tamquam Sedis Apoſtolicae Delegatis negligentiam ſuam relinquant (a).

X. De ſacris ordinationibus regularium primum evulgamus decretum Clementis Papae VIII., juxta cujus diſpoſitionem meminerint ſuperiores quicumque, ſe dimiſſorias ad ordines nullatenus alteri Epiſcopo dirigere poſſe pro ordinatione eorum ſubditorum regularium commorantium de familia in monaſterio, vel conventu in noſtra dioeceſi exiſtente, niſi Nobis annuentibus. Ceterum ſi Nos abeſſe contigerit, vel ordinationes non habere, recepto hoc in ſcriptis documento, etiam pro ordinationibus extra tempora, eoſdem ſuperiores poſſe ad quemcumque Catholicum Antiſtitem ordinandum regularem mittere, qui ab ipſo ordinante quoad ſcientiam examinabitur. Quare ſervari haec omnino debent ſub poena in ſuperiores contravenientes privationis vocis activae, & paſſivae, in ordinatum ſuſpenſionis ab ordine aliter ſuſcepto, & irregularitatis, ſi miniſtraverit: in ordinatores vero, ſub poenis adverſus alienos ſubditos ordinantes abſque ſufficientibus dimiſſoriis; non obſtantibus privilegiis quibuſcumque ante Concilium Tridentinum conceſſis; quae vero poſt idem Concilium obtenta fuerunt ab aliquibus regularibus per generalem privilegiorum communicationem non acquiruntur (b).

XI. Regulares mendicantes, vel alii quicumque, qui vera & ſubſiſtentia indulta, & diſpenſationem habent, ut extra conſueta ordinationum tempora a quocumque maluerint Catholico Antiſtite promoveri poſſint ad ordines (de quibus mentio ſit in Concilio Romano tit. v. cap. II) manifeſte ſciant, clauſulam iſtam in ipſis indultis ſubintelligi = *Servata formula decreti Clementis VIII.* =, & ita ab Epiſcopis eſſe ea executioni mandanda (c).

XII. Re-

(a) Trid. cap. 1. ſeſſ. 5. Concil. Rom. cap 9. tit. 1.

(b) Clem. VIII. in decr. 15. Maii 1566. Bened. XIV. in conſt. *Impoſiti nobis* 27. tom. 2. Bullar. Conc. Rom. tit. 21. cap. 2.

(c) Vide Honorant. de ordin. cap. 12. n. 4. circa praxim Romanam, & Bened. XIV. tom. 1. notif. 23., & cit. Concil. Rom. tit. 15. cap. 1.

XII. Regulares omnes, qui ad ordinem ſubdiaconatus promoveri cupiunt, teſtimonium authenticum de ſolemni emiſſa profeſſione exhibeant; ſicut etiam pro ſacris ordinibus, de praeviis ſpiritualibus exercitiis peractis (a).

XIII. Cum a lege interſtitiorum etiam pro regularibus Nobis competat diſpenſatio, ſi in litteris dimiſſorialibus ſuorum ſuperiorum de cauſa legittima diſpenſandi teſtimonium habeamus, hujuſmodi cauſae cognitionem non aſſumemus (b).

XIV. Non tantum in cauſis piis, atque mercedum, verum etiam in aliis quibuſcumque civilibus monaſteria, & religioſi homines in noſtro tribunali poſtulandi ſunt, donec praecipuos judices, quos conſervatores appellant, non habeant; non aliter autem ipſi ſunt deligendi, quam ad praeſcriptum Conſtitutionum Apoſtolicarum, & cum requiſitis in ipſis deſignatis (c).

XV. Poſt reſtauratam a Benedicto XIV. monaſteriorum, ſive conventuum regularium virorum clauſuram, feminae cujuſcumque conditionis, & dignitatis ſedulo caveant ingredi clauſtra, ſepta, officinas, & cubicula ſub quocumque etiam pietatis, & religionis praetextu, nempe quo tempore proceſſiones a regularibus fiunt per clauſtra, vel alia clauſurae loca cum ſanctiſſimae Euchariſtiae Sacramento, ſacriſve reliquiis, ſtatuis, & imaginibus, etiam cauſa lucrandi indulgentias; ſub poena excommunicationis majoris ipſo facto incurrendae, ſeu latae ſententiae (d).

XVI. Et quoniam abuſiva conſuetudine inductum ſcimus morem deligendi mulieres pro manualibus operibus, ac laboribus, dum aedificium aliquod aut conſtruitur, aut reficitur in regularium conventibus ea de cauſa, quod merces feminis danda minor eſt, ac illa, quae tribui deberetur viris, Nos irrationabilem, & abuſivam hanc conſuetudinem improbamus, abolemus, condemnamus, graviter praecipientes, ne umquam in poſterum mulierum miniſterio artificia quaecumque, & opificia fiant intra clauſurae regularium fines; non obſtante quocumque gravioris diſpendii motivo; ſub poenis in Apoſtolicis Conſtitutionibus denunciatis contra violantes

(a) Con.Rom. tit.21. cap.1.
(b) Bened.XIV. in notif. 23. tom.1.
(c) Cap. *Statutum* de reſcriptis in 6. Gregor.XV. in conſt.9. *Sanctiſſimus*.
(d) Bened. XIV. in Bulla *Regularis diſciplinae* 39. tom.1.

lantes regularium clauſurae leges tam pro regularibus jubentibus, uel permittentibus, quam pro feminis in praedictis caſibus ingredientibus.

XVII. Praecipuis officii noſtri curis, & juribus in rebus ad regulares ſpectantibus ſummatim recenſitis, non eſt, cur dedignemur eorum orationum adjumenta expoſcere, & illos inſuper in Domino obſecrare, ut in animarum Nobis commiſſarum ſalute promovenda manus porrigant pro viribus adjutrices (a): fratres praeſertim Praedicatores, qui in plurimis Apoſtolicis diplomatibus *Epiſcoporum coadjutores* nuncupantur, enixe rogamus, ut in eccleſia S. Jacobi hujus civitatis conciones ad populum habeant ſingulis diebus feſtis de praecepto poſt publicam ſacratiſſimi Roſarii B. Virginis Mariae recitationem, nedum ad augendum adhortationibus ſuis Matris Dei cultum, ſed etiam ad explicanda evangelicae legis, & chriſtianae moralis potiora capita, & debito zelo oppoſita vitia profliganda. Non ignoramus, nuſquam eos ab hoc Apoſtolici muneris exercitio deſtitiſſe; verum & in hoc ipſo, quod ſemper praeſtiterunt, adhuc ferventiores illos eſſe cupimus; & cum ad aures noſtras pervenerit, non raro evenire, quod ob concurrentiam aliarum ſacrarum exercitationum in aliis eccleſiis feſtis diebus praedicationi in eccleſia S. Jacobi auditorum ſolita deficiat frequentia, rectores cujuſcumque alterius eccleſiae civitatis noſtrae monemus, ne (ulla interveniente rationabili cauſa) pias quaſcumque functiones in propriis inſtituant eccleſiis, ſeu oratoriis, anteaquam ſolita, & convenienti hora expleta fuerit in eccleſia S. Jacobi divini Verbi praedicatio, & ſolemnis ſanctiſſimi Roſarii recitatio.

XVIII. Exempti omnes ſaeculares clerici, aliique, qui privilegiis, officiis, & litteris patentibus ſunt muniti, id unum ſciant, nulla ſe exemptione juvari in his, quae morum correctionem, & diſciplinam eccleſiaſticam concernunt, & quominus hujus Synodi decretis ad duplicem hujuſmodi effectum compilatis ligentur, & poenis etiam cenſurarum plectantur (non obſtantibus his praetenſis clypeis) juxta ſacri Concilii Tridentini diſpoſitionem, & particulares ſacrarum Congregationum reſolutiones (b).

(a) Can. *Ex authoritate* cauſa 16. q. 1.
(b) Trid. cap. 4. ſeſſ. 14., cap. 1. ſeſſ. 22., cap. 10. ſeſſ. 24., cap. 14. ſeſſ. 25. de ſyndicis conſervatoribus regularium, de ſub-

§. XVI.

De Monialibus, & Oblatis in Conſervatoriis.

Columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae . . . . . Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Canticorum cap. II. verſ. XIV., XV., & XVI.

I. SAncto Auguſtino docente = *Virginalis integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas angelica portio eſt, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio*(a). *Virginum ſtatus* (inquit S. Cyprianus) *flos eſt eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiae ſpiritualis, laeta indoles, laudis, & honoris opus integrum, atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti. Angelorum aemula virginitas eſt, Angeliſque cognata: nam in carne praeter carnem vivere non terrena vita eſt, ſed caeleſtis* (b). = *Differunt* (addit S. Bernardus) *inter ſe homo pudicus, & Angelus; ſed felicitate, non virtute. Sed etſi illius caſtitas felicior, hujus tamen fortior eſſe cogniſcitur* (c): = *Sola caſtitas* (ſcribebat S. Auguſtinus) *in hoc mortalitatis & loco, & tempore ſtatum quemdam immortalitatis repraeſentat. Sola inter nuptiarum ſolemnia morem beatae illius vindicat regionis, in qua neque nubent, neque nubentur; praebens quodammodo in terris caeleſtis jam illius converſationis experientiam. Vas interim fragile, quod portamus, in quo & crebro periclitamur, tenet caſtitas* (ut monet Apoſtolus) *in ſanctificationem, & inſtar odoriferi balſami, quo condita cadavera incorrupta ſervantur, ſenſus ipſa, & artus cuntinet & conſtringit, ne diſſolvantur otiis, ne cor-*

ſubcollectoribus ſpoliorum, & aliis officialibus R.C. Apoſtolicae: de patentatibus S.Officii, Almae Domus Lauretanae, Lateranenſibus, & R. Fabricae, aliiſque, viden. reſol. partic. ap. Monacell. in formul. tom. 1. pag. 304., tom. 2. pag. 58., & 65., tom. 3. pag. 105., tom. 4. pag. 98., & in Syn. Fulginat. 1722. cap. 13. in fine; Lanuceci in Syn. tit. 4. cap. 5. a n. 1. uſque ad n. 16.

(a) S. Auguſt. lib. de S. Virginit. c. 13.

(b) S. Cyprian. tract. de diſcipl., & habitu virginum.

(c) S. Bernard. tract. de morib., & officio Epiſcopor. alias epiſt. 42.

corrumpantur deſideriis, ne carnis voluptatibus computreſcant. Primum in virginum ordine locum tenent honoris, & meriti ſanctimoniales. Perhibet enim praeclariſſimum teſtimonium eccleſiaſtica authoritas, in qua fidelibus notum eſt, quo loco Martyres, & quo defunctae ſanctimoniales ad altaris ſacramenta recipiantur ..... Ubi ponimus, quod multi, ac multae ita taſtodiunt continentiam virginalem, ut tamen non faciant, quod Dominus ait: „ Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quae habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in caelo, & veni ſequere me „ nec audeant eorum cohabitationi ſociari, in quibus nemo dicit aliquid proprium, ſed ſunt eis omnia communia; nihil ne putamus fructificationis accedere virginibus Dei, cum hoc faciunt = (a) ?

II. Cum igitur aliorum fidelium ſtatibus virginitas antecellat, & virgines quaſcumque ſanctimoniales honore, & merito praecedant, non eſt in dubium revocandum, quod monialibus praecipue paſtoralis officii noſtri ſollicitudines, & curae debeantur. Neque in hac potiſſima muneris noſtri parte credimus Nos defeciſſe. Siquidem licet ſanctam viſitationem perficientes in dilectiſſimo unico dioeceſis noſtrae monaſterio a glorioſiſſima ſancta Virgine Clara nuncupato nihil deprehendere potuerimus, quod terrenum ſaperet, & mundum redoleret, ad excutiendas tamen cujuſvis humani pulveris fordes, & religioſam perfectionem deturpantes maculas detergendas multa conſtituimus, & ediximus pro majori voluntariae paupertatis cuſtodia, diligentiori puellarum educatione, ferventiori divini cultus religione, & uberiori regularis incremento diſciplinae, quae ſtatuta italico ſermone exarata chariſſimis illis filiabus noſtris legenda pluries in anno tradidimus, & ut reverenter ab omnibus exciperentur, ac fideliter executione complerentur, enixe praecepimus. Nunc autem memoratis ſanctionibus noſtris ſynodali hoc decreto perpetuae firmitatis robur adjicimus.

III. Cum itaque in relatis Cantici Canticorum verbis nedum mentio fiat vulpeculorum devaſtantium vineas, verum & foraminum petrae, & cavernae maceriae, ubi columbinae innocentiae ſponſa ſuum tutum invenit domicilium, & ſecum converſantem, & blan-

(a) S. Auguſt. proxime citato libro, cap. 45., & 46.

& blandientem habet dilectum cordis ſui, qui paſcitur inter lilia, ideo poſt abrogatos quoſdam abuſus circa votorum obſervantiam, novitiarum inſtitutionem, chori horarium, qui horum Domini virentem, atque florentem diripere minabantur; poſt hujuſmodi inquam fugatas vulpeculas, opus eſt, ut opportunis datis legibus, myſticis Chriſti Salvatoris columbis imperturbatam, atque inacceſſibilem ſervemus maceriae cavernam, & in foraminibus petrae manſionem: id quod praeſtabimus ſequentibus decretis ſuper ſolitaria monialium vita, & habitationis earum clauſura.

IV. Hinc ab omnibus, ad quos ſpectat exacte cuſtodiri, & inviolabiliter adimpleri praecipimus arctam clauſurae legem a ſacris canonibus, & conſtitutionibus Apoſtolicis pro monialium aſceteriis ſancitam, & Nobis ſub obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis aeternae commendatam, ut ſacrae virgines a ſaecularium conſuetudine penitus ſegregatae, ad vota, & conſtitutiones ſuas liberius & ferventius ſervandas animum intendant (a). Quo circa ſtricte jubemus ſub poena excommunicationis ipſo facto incurrendae atque Apoſtolicae Sedi reſervatae, quod, exceptis caſibus a jure permiſſis, nulla monialis extra ſacras aedes, ſeu clauſurae limites, vel per minimum temporis ſpatium, aut minimam loci diſtantiam egredi, nullaque alia perſona ipſos clauſurae limites tranſgredi, intraque clauſuram ipſam ingredi auſu temerario praeſumant. Neutrum enim ſine urgente neceſſitate, & ſine noſtra in ſcriptis licentia a culpa, & poena illis excuſare ſciant; = *aliter autem egredientes* (verba ſunt S. Pii PP. V.) *ſeu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices perſonas, ſive laicas, aut ſaeculares, vel eccleſiaſticas, conſanguineas, vel non, excommunicationis majoris latae ſententiae vinculo, ſtatim, eo ipſo, abſque alia declaratione ſubjacere, a quo praeterquam a Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, abſolvi nequeant. Et inſuper tam egreſſas, quam Praeſidentes, & alios ſuperiores praedictos eis licentiam concedentes dignitatibus, officiis, & adminiſtrationibus per eas, & eos tunc obtenſ-*

(a) C. *Periculoſo* un. de ſtat. Regul. in 6. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul., & Monial. cap. 5. S. Pius V. conſt. *Circa Paſtor. officii*, & conſt. *Decori, & honeſt.* Gregor. XIII. conſt. *Deo ſacris*, & Bened. XIV. conſt. *Salutare* 3. Jan. 1742. ubi omnia ſuper hac re decreta confirmat.

obtentis privamus, & illos ad obtenta, & alia in poſterum obtinenda inhabiles . . . . . decernimus = (a). His alias ſubituras, & ſubituros arbitrio noſtro poenas addere ſtatuimus. Sub iiſdem quoque poenis puer s, puellaſve cujuſcumque aetatis in clauſuram invehi (b) ſtricte inhibemus.

V. Qui noſtra muniti licentia, cogente neceſſitate, ſacra ingredientur clauſtra, ut medici, & chirurgi, coementarii, lignarii, & ceteri fabri, bajuli, coloni, aliique id genus operarii per Nos approbati diligentiſſime caveant, ne ſibi data licentia abutantur, nec eam ultra tempus neceſſarium protrahant. Clauſuram vero ne ingrediantur (niſi alias praeciſa urgeat neceſſitas) ante ſolis ortum, vel poſt ejus occaſum. Ingreſſi, ne pro libito divagentur per cellas, officinas, aliaque monaſterii loca, ſed recta via pergant ad locum deſtinatum, praecedente campanulae ſigno, ut ceterae moniales, ad quas ex officio non pertinet illos aſſociare, illico ſecedant; nec cuique earum eoſdem alloqui liceat praeter eas, quibus ex proprio munere, vel neceſſitate permiſſum fuerit (c). Opere demum expleto, eadem via, eodemque modo, quo fuerint ingreſſi, revertantur, & quamprimum e monaſterio egrediantur; ibique poſt ſolis occaſum (modo urgentiſſima cauſa infirmitatis praecipue aliud non ſuaſerit) nec morentur; nec intra clauſtri ſepta cibum ſumant. Qui noſtram hanc ſanctionem aliquo modo infregerint poenas dabunt a ſacris canonibus inflictas.

VI. Ne etiam quiſque ſive laicus, ſive clericus cujuſcumque gradus, conditionis, & dignitatis noſtra, vel Vicarii noſtri non obtenta in ſcriptis licentia ad monaſteria, collocutoria, crates, & totas moniales allocuturus accedere praeſumat (d), ſub poenis Nobis arbitrariis, & etiam, ſi opus fuerit, excommunicationis; exceptis earumdem monialium conſanguineis, & affinibus in primo, & ſe-

(a) S. Pius V. cit. conſt. *Decori, & honeſtati*.

(b) Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 5. cit. S. C. Epiſc. 1. Apr. 1667. Edictum almae Urbis 1676. 19. Nov. Bened. XIV. inſt. canonica 29. n. 24. Vide Criſpin. viſit. Paſtoral. p. 2. §. 42. n. 155.

(c) Cit. edictum almae Urbis. Conc. Mediol. 4. p. 3. tit. de Monial. §. *Miniſtris*, & in Syn. Farfen. Card. Barberini anni 1681. Fulginat. anni 1722. Ferent. Antonelli, Borgiae, & Toſi. Civitatis Caſtellanae. Lanucci 1756. in titulis, & capitibus ubi de Monaſteriis, vel Monialibus.

(d) Cap. *Monaſteria* 8. de vit., & honeſt. Cler. Bened. XIV. Encyclica, quae incip.: *Non ſenza*, ſui Bullar. to. 3. n. 12.

& ſecundo gradu, quibus cum eiſdem conſanguineis colloquium habere permiſſum edicimus (a); modo id non contingat in ſolemnioribus anni feſtivitatibus, nec toto ſacri Adventus, & Quadrageſimae tempore, ſingulis ſextis feriis, & communionis generalis diebus, ante chori, orationis mentalis, Miſſae conventualis, expoſiti in earum eccleſia venerabilis Sacramenti, aut prandii tempore, vel cum moniales de more ſpirituales peragent exercitationes. Hiſce enim temporibus acceſſus ad moniales ſine noſtra ſpeciali, & expreſſa licentia cuique ſaecularium penitus interdicimus, niſi ii fuerint, qui ſervitia monaſterio ſint neceſſario exhibituri.

VII. Quam indiximus prohibitionem viris, ne moniales alloquantur, hanc & monialibus annunciamus, ne colloquia cum viris habeant. Sed in hac prohibitione colloquendi cum viris non comprehendimus Abbatiſſam, Vicariam, & Cameràriam, ſive Procuratricem monaſterii pro ipſius negotiis, vel neceſſitatibus.

VIII. Sciant ſanctimoniales, ipſis permiſſum non eſſe juxta Benedicti XIV. decretoriam Conſtitutionem (b) alloqui, vel excipere Gubernatores, vel etiam Praeſules, & Epiſcopos alterius dioeceſis tranſeuntes, vel commorantes in noſtra dioeceſi Nobis inſciis, & non annuentibus.

IX. Caveant moniales ſub ſtrictiſsima prohibitione, ſine noſtra vel Vicarii noſtri ſpeciali licentia portas aperire occaſione emendi, vel vendendi, ſive colloquia habendi etiam cum feminis conjunctis ad januas apertas, utpote quae dumtaxat factae ſunt ad ingrediendum, & egrediendum, vel ad intromittenda quae per rotas intrare nequeunt; alias parati ſumus adhibere ſanctae obedientiae formalia praecepta ad extirpandum graviſſimum hujuſmodi abuſum (c).

X. Monialibus non liceat epiſtolas mittere, nec recipere niſi prius legendas Abbatiſſae exhibuerint; exceptis litteris, quae ad Epiſcopum, ad confeſſarium, vel ad conſanguineos primi, & ſecundi gradus mittuntur, aut ab aliis excipiuntur; de iis ſatis erit ſupe-

(a) S.C.Epiſc.,& Conc.ap.Monacell. tom.1.tit.11. Formul.19. n.3. Cit. edictum almae Urbis anni 1676.Conc.Mediol.1.p.3.tit.de clauſur. §. *Non eſt ferendum*.

(b) In Bulla *Graviſſimo* 12. tom: 1. ſui Bullarii.

(c) S.C. Epiſc.in Neapolit. 21.Aprilis 1593., & in Bononien. 20. Jan. 1603. S.C.Concilii in Caeſenaten. Synodi 26. Mart.1595.

ſuperioriſſae oſtendere inſcriptionem earum, quae mittuntur, & ſubſcriptionem earum, quae excipiuntur. Si quis ſecreto epiſtolas monialibus dederint, vel ab ipſis receperint mittendas, graviter punientur; & ſi de iis fuerint, qui monaſterio inſerviunt, ab officio amovebuntur.

XI. Confeſſarios extraordinarios duabus, vel tribus vicibus in ſingulos annos exhibere monialibus non praetermittemus, obſequentes diſpoſitioni ſacri Concilii Tridentini (a). Ipſas autem non adſtringimus ſacramentaliter confiteri; verumtamen ſub praecepto ſanctae obedientiae volumus omnes coram ipſis confeſſariis extraordinariis ſiſtere, ut ſalutaria monita audiant, vel benedictionem recipiant. Confeſſarii extraordinarii tempore ceſſet prorſus officium confeſſarii ordinarii (b). His dumtaxat ordinario, & extraordinario confeſſariis contentae ſint moniales noſtrae, nec ſingulae, vel aliquae praetendant peculiarem confeſſarium ſibi aſſumere; non tamen deſperent in poſterum facultatem noſtram arcana conſcientiae aperiendi alicui Nobis beneviſo confeſſario extraordinario particulari in aliquo caſu, quem judicabimus ad internam tranquillitatem, non vero in deſtructionem diſciplinae monaſticae quaeſitum; praecipue faciliter indulgentes erimus in caſu periculi mortis: ſicque moniales noverint, quod earum poſtulationes neque temere exaudire, nec inconſulto rejicere conſtituimus (c). = *Quibuſcumque autem confeſſariis*, (ita Benedictus XIV.) *qui vel alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui perſonae in monaſterio degenti, conceſſi, ac deputati fuerint, diſtricte inhibemus, ſub poenis adverſus accedentes ad monaſteria monialium, & cum ipſis converſantes, praeſertim regulares a praedeceſſoribus noſtris quandocumque ſtatutis, ... ne poſtquam ſuum officium impleverunt, ad idem monaſterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipſum quomodocumque continuare, & fovere, etiam ſub ſpiritualis cauſae, aut neceſſitatis obtentu, & colore audeant, aut praeſumant* = (d). Spirituales alios directores praeter confeſſarios a Nobis cum divino lumine, quod enixe praeſtolamur, deſi-

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regul. c. 10.
(b) Edict. Clem. II. in 2. par. Bullar., & conſt. Bened. XIV. *Paſtoralis curae* 16. tom. 2. Bullarii.
(c) Bened. XIV. laud. conſt. *Paſtoralis curae* 16. tomo 2.
(d) In cit. conſt. Bened. XIV. ibidem.

deſignatos monialibus quaerere non liceat ſine noſtra cognitione, & expreſſa facultate, quam certe ſine urgente cauſa non concedemus.

XII. Confeſſarii monialium ſpecialiter a Nobis deputati, quamvis ad triennium electi, ſemper cenſeantur ad nutum noſtrum amovibiles. Confeſſiones excipiant cum ſtola, numquam vero poſt ſolis crepuſculum; nec praeſumantur approbati pro valida abſolutione in cratibus, collocutoriis, rotis, communicatoriis, aut intra monaſterium, excepto infirmitatis caſu. Approbantur enim a Nobis pro ſacramentalibus excipiendis confeſſionibus, in ſede confeſſionali exterioris eccleſiae: expreſſa tamen licentia noſtra alibi etiam poterunt monialium confeſſiones audire.

XIII. Aquam, cineres, palmas, candelas confeſſarii ordinarii benedicant, & monialibus diſtribuant; Miſſas, & veſpertinas horas juxta morem approbatum celebrent: ſacramenta Euchariſtiae, & extremae unctionis miniſtrent; exequias, & anniverſaria perſolvant. Vera autem neceſſitate urgente, infirmis, videlicet, adminiſtrandi ſacramenta, vel eis morti proximis aſſiſtendi, ſuperpelliceo, & ſtola ornati intra clauſuram incedent; & ſi poenitentiae ſacramentum erunt adminiſtraturi, ita ſe gerant, ut moniales aſſiſtentes per apertas cellae fores infirmam, & confeſſarium videre quidem valeant, non tamen quidquam audire (a). Caveant praeſertim confeſſarii, ne intra clauſuram cibum ſumant, aut prandium, aut coenam, neque ad quieſcendum lecto decumbant (b); ſub poenis a canonibus ſtatutis, & Nobis beneviſis aliis.

XIV. Cum denique non ſine magna, & rationabili admiratione deprehenderimus, monialibus noſtris ignotum uſque nunc extitiſſe chirographum Clementis XIII. ſub die XIII. Februarii MDCCLIX., quo ſancitum fuit, deputationem dotis pro puellis, quae ad noviciatum in monaſterio excipiendae ſunt, fieri non poſſe in bonis ſtabilibus cujuſcumque generis, ſed unice numerata pecunia in depoſito ſervanda, de memorata Apoſtolica diſpoſitione moniales noſtras certiores facimus, & laudati Pontificis maximi decretum in appendice hujus Synodi n. XXI. apponendum eſſe jubemus, ut notum ſit tum monialibus, tum ſaecularibus quibuſcumque noſtrae dioeceſis, quod

(a) Encyclica Innoc. XI. 21. Martii 1682. (b) In dicta Encyclica Innoc. XI. an. 1682.

quod ſi alio modo dotis aſſicuratio praeberetur, Abbatiſſa poenam incurreret ſuſpenſionis ab officio ſummo Pontifici reſervatae, & monaſterium jus amitteret coercendi dotantem ad integram promiſſae quantitatis pecuniae compenſationem. Quamobrem, niſi ita in hoc negotio agatur, quomodo in praedicto chirographo jubetur, numquam in poſterum a Nobis licentia impertietur convocandi capitulum pro receptione ad habitum, & ad probationis annum.

XV. Praeter monaſterium veri nominis, ſtrictique juris, de quo hucuſque locuti ſumus, duas alias religioſas, ſeu devotas familias muliebris ſexus in hac dioeceſi providentiis noſtris fovendas, protegendas, gubernandaſque dignoſcimus inveniri; collegium nempe, ſeu latae appellationis coenobium *Caritatis* titulo inſignitum, & in civitate erectum, & domum ſcholarum piarum, ſive conſervatorium aedificatum in Terra Anticoli. Indigent profecto utriuſque conventus ſorores proprii inſtituti regulis, quae profitentibus activam ſimul, & contemplativam vitam ſint accommodatae. Sed virgines Deo ſacratae in Anagnino *Caritatis* domicilio opportunis hujuſmodi morum, exercitiorumque legibus deſtitutas prorſus eſſe jure merito cenſuit immediatus praedeceſſor noſter Johannes Baptiſta Filipponi, cui neceſſarium omnino viſum fuit, convictricibus in praedicta religioſa domo commorantibus aequiores, clarioreſque praeſcribere ſanctiones, quibus perſpicue etiam conſtaret qualitas voti, quod emittunt, illudque obſervandi ratio. Hinc opus ſatis laudabiliter ab illo jam intentatum perficere Nos volentes, Praepoſito noſtrae cathedralis, noſtroque Theologo, ac Vicario noſtro generali injungimus, ut conſtitutiones in dicto collegio nunc temporis vigentes maturae diſcutiant, & collatis inter ſe conſiliis quaecumque incongruentia invenerint, corrigant, quaecumque obſcura, dilucident, quaecumque immutanda deleant, & abrogent: cumque hoc ipſis demandatum opus abſolutum fuerit, & approbatione noſtra dignum conſpexerimus, tum conſtitutionibus hiſce in novam formam redactis praedictum coenobium in poſterum dirigendum tantummodo eſſe praecipiemus. Quae autem mulieres Deo dicatae in ſacro Anticolano hoſpitio degunt, conſtitutionum integrum quoddam corpus ex ſtatutis ipſis praefixis a noſtris anteceſſoribus, & ex aliis juſſu noſtro recenter additis coaleſcens nuper a Nobis executioni mandandum

desumpserunt; & ut his dirigantur legibus, futuris etiam temporibus, synodali hoc decreto intendimus stabilire.

XVI. Religiosis virginibus & isthic, & illic conviventibus graviter commendamus peculiatis vocationis exercitia, & humilitatis, obedientiae, patientiae, aliarumque christianarum virtutum studium; sed in primis virginalis castitatis diligentissimam custodiam. Meminerint sedulo thesaurum se habere in vasis fictilibus. Jejuniis propterea, vigiliis, sacris meditationibus, piis lectionibus circumspecte illum servare in se ipsis attendant. Sensus exteriores, unde mala hauriuntur, a vanis & curiosis objectis cohibeant: quarumcumque saecularium personarum aspectum moleste ferant: earum inanes locutiones, familiaritatesque devitent, visitationes, colloquia, munuscula rejiciant, contendantque se virgines castas exhibere Christo.

XVII. Hinc ne virginibus Christo Jesu desponsatis evagationis, tentationis, & tepiditatis occasionem praebeant corrupti secularium mores, diebus praesertim execrabilium bacchanaliorum, laicis quibuscumque utriusque sexus etiam, illis, qui strictioribus sive affinitatis, sive consanguinitatis vinculis monialibus juncti fuerint, graviter inhibemus, ne personati, seu larvati accedere audeant ad collocutoria, sive crates, aut rotas nostrarum monialium sub poena decem aureorum pauperum usibus applicandorum, & insuper carceris, aliisque Nobis beneviſis. Quo in loco opportunum quoque esse arbitramur monialibus, & dictis virginibus inhibere repraesentationes quascumque, vel per saeculares puellas earum educationi concreditas quoquomodo peragere. Vetamus insuper tam monialibus, quam quibuscumque vel in monasterio, vel in conservatoriis degentibus usum indumentorum virilium, etiam ad breve tempus, vel jocandi gratia. Hac vero prohibitione nostra interdicimus quoque vestes masculini sexus nedum saeculares, sed & sacerdotales, aut cujusvis ordinis religiosi (a); quo pacto innovamus, & confirmamus quae jam statuta fuerunt in praecedenti Anagnina Synodo ab Illustriss. Praedecessore nostro Johanne Baptista Basso, & quae pariter plurimis sacrae Congregationis Episcoporum decretis jamdiu sancita inveniuntur, & in va-

(a) Bened. XIV. Notific. 37.

variis dioeceſanis ſynodis, praeſertim Ferrarienſi ſub Eminentiſs. Cardinali Creſcentio diſtrictae mandata perleguntur (a).

XVIII. Nonnulla denique tum a ſummis Pontificibus ſtatuta, pro monaſteriorum Viſitatoribus, tum a S. Poenitentiaria Apoſtolica pro monialibus impetrantibus indultum eligendi ſibi confeſſarium reſoluta ac deciſa (quorum notitiam in praxi multoties profuturam exiſtimamus) appendici num. LVI. inſerere ſatagemus.

XIX. Sed Paſtoralis officii noſtri vigilantia expoſcit, ut etiam pro illis puellis, quae in ſuprad. dioeceſis noſtrae coenobiis degunt, ea omnia ſervanda mandemus, quae de earum muliebri cultu, ac veſtibus praeſcripta fuerunt in Concilio Romano anni MDCCXV. tit. XXI. de Regularibus cap. IV. Hinc eis graviter prohibemus indumenta ſerica, lanceas quoque veſtes, quae nigri, aut fuſci, ſive albi, aut violacei coloris non ſint, ſive quae aureis, vel argenteis fulgeant ornamentis; injungimus etiam coloris uniformitatem in unoquoque collegio, & monaſterio, & ſemel in uſum inducti coloris mutationem in alterum omnino vetamus. Denique appoſitis in Appendice num. LXIV. edictis primum Benedicti XIII. juſſu, deinde Clementis XIV. mandato in alma urbe hac de re promulgatis, iiſque adjecta inſuper inſtructione die VII. Junii MDCCXX. Romae edita Cardinalis Vicarii cura indigitandum modum, quo memoratis Pontificiis ſanctionibus, & Romani Concilii ſtatutis parendum eſſet, in collegio, & monaſterio ditionis noſtrae quaemadmodum ibi legitur praeſcriptum, ita fieri ac ſub eisdem poenis modo edicimus, ac diſtricte jubemus.

(a) In cit. Anagnina ſyn. par. 3. c. 4. num. 17. S. C. Epiſc. in Urbevetana 13. Mart. 1618., & in Regien. 23. Julii 1662., & in Ferrarien. 27. Apr. 1622. & in Syn. Ferrarien. Emi Creſcentii par. 3. cap. 10. §. repraeſentationes.

§. XVII.

De Tertiariis, & Eremitis.

Veſtient ſe veſtimentis aliis, & non ſanctificabunt populum in veſtibus ſuis. Ezechielis cap. XLIV. verſ. XIX.

Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in ſpeluncis, & in cavernis terrae = Ad Hebraeos cap. XI. verſ. XXXVII., & XXXVIII.

I. EX allato Prophetae teſtimonio aperte colligitur, quod ſacerdotes veteris legis divino cogebantur mandato ad deponendas profanas, ſeu conſuetas veſtes, & aſſumendas ſacras, quoties ſacerdotalibus debuiſſent actionibus incumbere. Sunt itaque religioſa veſtimenta religioſis operibus copulanda. Neque ſolum ſacrilegae temeritati tribuendum erit vulgari, & indecenti habitu ſancta peragere, ſed etiam peſtiferae ſimulationi impurandum, quod induant pietatis indicia male viventes homines, a quibus penitus declinandum eſſe, monuit Chriſtus Dominus (a), eo quia *veniunt in veſtimentis ovium, cum intrinſecus ſint lupi rapaces*. Idcirco paſtoralis officii noſtri vigilantia expoſtulat, ut legum providentia impediamus, ne virgines, vel viduae in privatis domibus degentes in religioſo habitu moribus cum ſcandalo commaculent piam quamdam vitae inſtitutionem, quam hominum oculis oſtendunt.

II. Quicumque ſint regulares etiam apoſtolica facultate ſuffulti, nullatenus admittant ad habitum religioſum, vel tertiarium virgines, & viduas in privatis domibus degentes, niſi cum ſequentibus requiſitis a Nobis recognoſcendis, & approbandis accedente noſtra facultate, & licentia; I. Mulieres ſint probatae vitae, & bonis moribus praeditae: II. In aetate quadraginta annorum: III. De proprio tantum habeant, unde ſufficienter vivere poſſint: IV. Cum aliis viris non cohabitent, praeterquam cum propriis conſanguineis, vel affinibus in primo dumtaxat gradu ſibi conjunctis: V. Abſtineant omnino a delatione veli ſupra caput, quod *ſuperjectum* vocant, & a pectora-

(a) Matth. cap. 7.

ctorali vulgo dicto *fubbarbio*, ſicut etiam ſcapulare *patientiam* nuncupatum non induant (a).

III. Frequentes virorum acceſſus devitent tertiariae, & praeſertim regularium, cujus ordinem profitentur, ſub graviſſimis arbitrio noſtro poenis tam in ipſas, quam in viros contravenientes.

IV. Regulares non audiant confeſſiones tertiariarum niſi fuerint adprobati ad abſolutionem perſonis ſaecularibus in foro poenitentiali impertiendam (b). Sacroſanctum Euchariſtiae Sacramentum ipſis non adminiſtrent in die Paſchatis Reſurrectionis Domini; neque Sacramentum per modum viatici, & extremae Unctionis: earum cadavera non levent ad ſepulturam abſque Parocho (c).

V. Equidem ſi noſtris temporibus conſtitutio Leonis X. felicis memoriae in tota ſua latitudine vigeret (d), tertiariae in propriis domibus habitantes exemptae forent ab omni jurisdictione Ordinarii, & parochiali, veluti Regularium privilegiis fruentes. At quia ex ſequentibus apoſtolicis conſtitutionibus privilegia Leonina ſunt coarctata, nullo modo tertiariae ab Epiſcopi, & Parochi jurisdictione exemptionem praetendant, ſed fori privilegio tantum gaudeant (e).

VI. Tertiarios viros ita demum privilegiis ordinis, cujus tertiae regulae habitum aſſumpſerunt, potiri, & ab Ordinarii jurisdictione exemptos eſſe delaramus, ſi ipſi viri collegialiter vivant, ſeu cum clauſtralibus habitent; alias in privatis domibus commorantes neque fori privilegio gaudeant (f).

VII. Si contingat, ut tertiarii utriuſque ſexus ſine ſepulturae electione decedant, tunc rite admiſſi, ſi vixerint cum omnibus requiſitis conſtitutionum apoſtolicarum, defuncti tumulentur in eccleſiis ſui ordinis, ſi in ipſis communis pro eis ſepultura reperiatur; ſin minus, in eccleſiis parochialibus (g).

VIII. Quae mulieres conſueto ritu ab iis, qui facultatem habent cum parvo ſcapulari, vel cordigerarum ſodalitati ſunt adſcriptae, ſuis indulgentiis, & gratiis apoſtolicis fruantur; nomen tamen

(a) Leo X. in Conc. Lateranenſi ſeſſ. 22. in fine, & in conſtit. 1. Mart. 1518. Sac. Congr. Epiſc. 20. Decembr. 1616. & in Hidren. 4. Auguſt. 1625.

(b) Ex cit. Decreto Congr. Epiſc. 20. Decemb. 1616.

(c) S. C. Epiſc. in Mutinen. 17. Jun. 1639.

(d) In Bulla ex Leon. X.

(e) Bened. XIV. in notific. 105. n. 66. cum ſeq. tom. 2.

(f) S. Cong. Immunit. 13. Maii 1727. Bened. XIV. in notific. 105. num. 68.

(g) Excit. Decret. Cong. Epiſc. 1616.

men tertiariarum non assumant, nec aliae quaecumque mulieres, quae requisitis memoratis destituantur. Interea ne de praedictis sanctionibus Nostris ulla possit oriri quaestio ad earum retardandam executionem, in Appendice n. LXI. Decretum apponemus sacrae Congregationis Episcoporum, & regularium negotiis praepositae, quo id totum, quod jussimus, extat definitum.

IX. Postremo districte vetamus, ne ullus laicorum hominum septennio major extra clausuram degens religiosum cujusvis ordinis habitum assumat; si quis aliter fecerit, punietur (a).

X. De iis nunc verba facturi, qui eremiticam vitam ducere cupiunt, regulas illis proponimus, & praescribimus ex Concilio Romano desumptas (b). I. Eremitoria non erigantur, nisi expresse interveniat nostra facultas, & approbatio, quam non concedemus, nisi invicem distent spatio saltem unius milliarii.

XI. Insuper nemo sit, qui compareat cum habitu eremitico in nostra dioecesi, nisi cum licentia proprii Ordinarii. Nullus consistat in aliquo eremitorio dioecesis absque nostra assignatione litterisque patentalibus: quae non expedientur, nisi cum diligenti scrutatione nominis, patriae, vitae, morum, conversationis, status liberi, & animi, quo vitam eremiticam assumat, sine his litteris patentalibus inventi in nostris eremitoriis, carcerentur (c). Si plusquam duo simul eremitae cohabitare velint, nostram expressam exquirant licentiam.

XII. Solitariam vitam eremitae assidue colant, orationibus, & piis meditationibus, aliisque pietatis officiis incumbant: sacrificio Missae interesse quotidie curent: singulis mensibus saltem, & in festivitatibus solemnioribus reficiantur Sacramentis poenitentiae, & Eucharistiae in propria ecclesia parochiali, in eaque omnibus Dominicis diebus doctrinae christianae intersint: ecclesiasticis functionibus, & missis ad Parochi requisitionem inserviant: in processionibus, & concionibus conveniens servitutis ministerium exhibeant, & praesent, precationis coronam cum litaniis B. V. Mariae quotidie pie reci-

(a) Ex litteris S. C. Episc. jussu Urbani VIII. 1627. V. Lanucci in Syn. tit.4. cap.5. num.15., & cap.7. a n.1. usque ad 7.

(b) Conc. Rom. sub Benedict. XIII. in Appendice ad tit.22. de statu monach. & eremit.

(c) Lanucci in Syn.tit.4. cap.8. n.2. Gozzadini in Syn.1626.de eremitis c.9.

recitent: erga ipſam peculiarem foveant devotionem & cultum; ac veſpere cujuslibet diei propriam excutiant conſcientiam.

XIII. Sacellum, ſeu cappellam, & tuguriola eremitorii cum nitore, & munditia eremitae conſervent, ut in paupertate etiam ſplendorem oſtendant ſacram ſupellectilem curent; & ſi quae defecerit, mandamus, ut de quaeſtibus, & eleemoſynis rationem ſingulis menſibus reddant, ut quod ſupereſt de quotidiano victu in cultum ſacelli convertatur.

XIV. Hoſpitem nullum ipſi admittant, niſi pro una die, & non de nocte ſine licentia Vicarii noſtri. Si facinoroſi homines, inquiſiti, vel banniti etiam in curia laicali ſe ſe in eremitoria intrudant, ſtatim nobis vel Vicario noſtro generali notitiam deferant pro opportuna proviſione.

XV. Mulieres nullatenus recipiantur in eremitoriis quacumque etiam allegata honeſta cauſa; & ſi quae mulier poſt primam noctis horam permanſiſſe probetur, etiam per inquiſitionem, & extrajudicialem veritatis informationem, ipſo facto dimittatur eremita, & poenis arbitrio noſtro ſubjaceat.

XVI. Eremitae habitum religioſum induant diſformem ab illo cujuſvis ordinis regularis, abſque capucio, ſcilicet & ſcapulari (a): vitam coelibem, religioſam, & poenitentem eremitico ſtatui non diſſonam ducant. Saecularium converſationem, multoque magis mulierum effugiant: choraeis, & profanis quibuſvis ſpectaculis nullo praetextu interſint; ludis etiam licitis non incumbant, a tabernis vinariis longe ſint; in his omnibus ſi delinquent, poenam ſubibunt ejectionis ab eremitorio, aliaſque pro arbitratu graviores. Quoties autem ab iis omnibus, quae illis prohibuimus abſtineant, neque ceteris ſuperius enunciatis requiſitis careant, declaramus, privilegio fori, & canonis eos gaudere. Gloſs. in cap. *Qui vere* v. *Sacro* cauſa 16. quaeſt. 1. Sac. Congr. & D.D. apud Petr. ad conſtit. Apoſt. tom. 1. pag. 299. ſect. 2. num. 14. & 18.

XVII. Qui ſe, ſuaque omnia acquiſita, vel acquirenda bona perpetuo, atque irrevocabili actu ſacris, piiſque locis donaverit habitumque ob id mutaverit, non modo fori privilegio, verum etiam immu-

(a) Edictum Clem. XI. 6. Octob. 1702. in Bullar. pag. 308.

immunitate a vectigalibus universis gaudere debet ex sanctione Lateranensis Concilii (a).

XVIII. Si haec, quae mandavimus, cremitae servaverint, erigi in spem poterimus, ut hujus etiam temporis solitudini addicti homines, Deo accepti, & mundo indigni reddantur, & fidei, quae per caritatem operatur, irrefragabili testimonio probati inveniantur, = *exutam mentem habentes a terrenis cunctis, eamque, quantum humana imbecillitas finit, unitam cum Christo*; = id quod de ascetis actatis suae testatum reliquit Cassianus (b).

§. XVIII.

De Confraternitatibus laicorum, aliorumque locorum, & operum piorum administratoribus.

Dico vobis, quod si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in Caelis est: Matthaei cap. XVIII. vers. XIX. & XX.

I. COmplures hujus saeculi homines certis quibusdam temporibus saecularem veluti vitam, ac speciem obliti, totos se ecclesiasticis rebus, ac officiis dedunt poenitentiali plerumque habitu assumpto. Horum sodalitia, *Confraternitates* dicimus. Quas & apud nos rite, sancteque institutas quoniam reniteri justum est, ut ad majora quotidie christianae pietatis officia succendantur, pro ipsarum temporalibus, ac spiritualibus bonis tutandis, augendisque nonnulla necessarium ducimus in hac Synodo decernere. Atque in primis nulla censeatur legitima Confraternitas, societas, vel congregatio virorum, vel mulierum in quacumque ecclesia etiam regularium, vel in quolibet loco exempto, etiam in solo Lateranensi, quae non sit erecta, vel approbata ab Ordinario servata forma constitutionis Clementis VIII. Si quis sit coetus hominum absque dicta approbatione, sciat nullis se indulgentiis, aut privilegiis gaudere (c), neque ex speciali hoc nostro interdicto, usum sacrorum assumere posse.

II. Quae-

(a) S. G. Immunitatis in Oppiden. 6. Mart. 1635., & Bononien. 29. Apr. 1704.
(b) Cassian. cap. 8. collation. 19.
(c) Clem. VIII. in const. *Quaecumque* 115. Paulus V. in const. *Quae salubriter* 68.

II. Quaecumque Confrarernitas aliquibus pietatis notis ſpiritualibus exercitiis, & caritatis officiis ab aliis ſit diſtincta. Quapropter mandamus, ut propria ſtatuta, ac regulas ſcriptas habeat: & ſi quae legitime inſtituta his uſquedum careat approbatis, intra terminum ſex menſium a publicatione hujus ſynodalis legis aſſumat, & ſibi adoptet ſtatuta alicujus Confraternitatis Urbis; vel ſibi compilari curet convenientia, & apta proprio inſtituto; ſi vero aſſumpta ſint ſtatuta, vel noviter compilata intra dictum tempus, Nobis, vel Vicario noſtro generali exhibeantur pro approbatione; ſin minus obtemperaverint, ad ſuppreſſionem procedere ſumus parati. Tranſacto pariter indicto ſex menſium tempore Confraternitates illae ſupprimentur; quae vel oratorium non habuerint, vel in eo, quod habent, convenire neglexerint aliquot in unoquoque menſe diebus ad recitandum ibi ſive ſanctiſſimum Roſarium, ſive ſacrum officium Beatiſſimae Virginis Mariae, ſive alias ab eccleſia approbatas Dei laudes, aut Deiparae, aut Sanctorum, & catholici Ritus chriſtianas orationes, & ad frequentandum poenitentiae, & Euchariſtiae Sacramenta, audiendumque morales ſermones, ſpirituales lectiones, & ad meditandum fidei myſteria, & evangelicam doctrinam. Quaecumque igitur Confraternitates nulla colant pietatis erga Deum, vel caritatis in proximos officia, ſive quae ab erectione habebant, intermiſerint, veluti otioſae, & inutiles ſupprimentur, ſi taxato ſex menſium decurſu oratorium ſibi aedificandi, aut parandi curam omiſerint, & in oratorio conveniendi, & ibi piis exercitationibus vacandi praxim amplexati non fuerint; earumque bona, & onera aliis locis, vel operibus piis arbitrio noſtro attribuemus (a).

III. Ut indulgentiis, gratiis, & privilegiis frui poſſit Confraternitas, curet cum noſtra approbatione & litteris teſtimonialibus aggregari alicui Archiconfraternitati, juxta formam ſupradictae conſtitutionis Clementis VIII. Aggregatio vero ſubinde in noſtra Cancellaria exhibeatur. Ejuſmodi aggregationes in participatione indulgentiarum, & ſpiritualium gratiarum conſiſtunt; aſt non ex hoc non eximuntur ab Ordinarii juriſdictione, viſitatione, & ratione ad-

(a) Acta Mediol. Eccleſ. de Confrater. §. *Si quae* S. C. C. in Fulginaten. Synod. 25. Jul. 1723. ad 1.

miniſtrationis, etiamſi Confraternitas ſit erecta in eccleſiis Regularium (a).

IV. Rectorem, ſive cappellanum habeat quaelibet Confraternitas in ſpiritualibus exercitiis Presbyterum integrae vitae, & probitatis a Nobis approbandum (b), qui confratres pio colloquio ad religionis, & caritatis ſtudium identidem accendat. Conveniens ſtipendium ipſi ſolvatur; nullatenus vero augendum, vel imminuendum nobis inconſultis. Hujus autem rectoris, ſeu cappellani electio ad Nos dumtaxat pertinebit. Si quae vero ſunt Confraternitates, quae legitimo potiantur jure proprium eligendi ejuſmodi cappellanum, electione ipſa a confratribus peracta, accedente inde noſtra approbatione, Rector, ſive cappellanus electus dimitti, vel removeri nequeat quacumque ex cauſa, niſi per Nos admiſſa; ſi in his defecerint confratres, decidant a jure eligendi, & Nobis depurationem reſervamus (c). Quae vero ſunt ſodalitates ob pauperem cenſum abſque ſpeciali Rectore, vel in locis ubi idonei cappellani deficiunt, eas commendamus curae, & vigilantiae Parochorum, vel Rectorum eccleſiarum, in quibus ſunt erectae.

V. Quia vero ſaepe dubia ſuboriri ſolent circa functiones, quae per confratres, vel eorum cappellanos quandoque fiunt, Parochis reclamantibus, ex quo parochialia jura per eoſdem laedi arbitrantur, unde gravia interdum diſſidia prodire, experientia docuit, idcirco ad hujuſmodi dubia de medio tollenda, & ſcandala inde oritura procul amandanda, in hujus Synodi Appendice n. v. adnectentur decreta generalia urbis, & orbis ſub die x. Decembris MDCCIII. Congregationis ſacrorum Rituum circa jura Parochialia, functiones, & praeeminentias inter Parochos, & Confraternitates laicorum eorumque cappellanos, & officiales: Quae decreta ſervanda mandamus in noſtra dioeceſi juxta eruditam explicationem Benedicti XIV. inſtitutione eccleſiaſtica CV. num. LXXXIII. uſque ad CXXXIII.

VI. In Confraternitates, earumque Rectores, ſeu cappellanos jura

(a) Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. S. C. C. in Nucerina Pagina 23. Jun. 1629., & in Comen. 15. Feb. 1642. in Peruſina 2. April. 1650. & in Firmana 5. Jun. 1700. S.C. Epiſc. in Ventimilien. 20. Jul. 1663. & in Hieracen. 14. Novemb. 1698.

(b) S. C. C. in Fulginaten. Synod. 25. Jul. 1723. ad 4.

(c) S.C.C. Ap. Alte de Viſit. pag. 203. num. 13., & pag. 205. num. 1.

jura Parochialia attentantes mulctam toties quoties ſolvendam infligemus trium ſcutorum; & ſi regulares ſint cappellani, prout juris erit procedemus. Nocturnas tum proceſſiones, tum alias quaſcumque ſacras functiones confratribus univerſis interdictas volumus, ſine ſpeciali noſtra licentia; quam ſi aliquando dabimus, declaramus, quod ſemper intelligenda erit cum clauſula = *excluſis foeminis* (a).

VII. Ad proceſſiones generales ſocietates omnes, ſub poenis ad arbitrium, accedere teneantur: & ne de primatu loci ſodalitates inter ſe contendant, tranſcribimus hic Gregorii XIII. definitionem in conſtitutione LXXXIV. ſui Bullarii tom. II. = Qui (nempe confratres) *in quaſi poſſeſſione praecedendi, ac juris praecedendi ſunt, ii (quibuſcumque reclamationibus, proteſtationibus, appellationibus, & aliis ſubterfugiis prorſus remotis ceſſantibus, & poſtpoſitis) in proceſſionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant*, = Sed quia incertum foret, quodnam ſodalitium hunc loci primatum prius habuerit, idem Pontifex ſtatuit, ut ii, qui prius ſaccis uſi ſunt, in proceſſionibus tam publicis, quam privatis praecedere debeant. Nulli umquam limites huic conſtitutioni poſiti fuerunt, niſi ratione ſodalitatum, quae a *Sanctiſſimo Sacramento* nuncupantur, quibus ſemper praeire reliquis conceditur in his proceſſionibus, quibus ſacroſancta Euchariſtia defertur; ea tamen conditione, ut ſacco utantur, & aliis quoque proceſſionibus intereſſe conſueverint. Tunc autem parere debent iis, quae a Gregorio XIII. praeſcribuntur; uti ſacrae Congregationes Romae, & tribunal Romanae Rotae conſtituerunt. Has autem ſententias, ac decreta fuſe recenſet Baſſus (b).

VIII. Illi tantum in confratrum numero adſcribantur, quos pietas, & bonae famae exiſtimatio commendat. Prorſus excludantur, qui fidei rudimenta ignorant, infames, criminoſi, ebrioſi, perjuri, blaſphaemi, indolis rixoſae, & inquietae (c). Adſcripti ſi in pravos dictos mores degenerent, a confratrum albo expungantur, poſtquam tertio moniti ab officialibus, vel cappellanis non reſipuerint: ita pariter, qui ipſis legitime jubentibus non parent, & qui raro admodum, & fere numquam ad oratorium conveniunt, & pia inſti-

(a) Clem. XI. in edicto urbis pag. 308. In Bullar. S. C. C. in Fulginaten. Syn. 25. Jul. 1723. ad 5.

(b) In Conſil. impreſs. tom. 2. Op. manualium ad vocabul. *Confraternitas.* a num. 18. ſub finem.

(c) Gavant. in manual. verbo Confraternitas num. 16. & ſeq.

tuti opera frequentare negligunt ; ſuper quibus omnibus Nobis reſervamus arbitrium procedendi extrajudicialiter , & ex informata conſcientia ad expulſionem , & expunctionem a catalogo, vel ad ſuſpenſionem ab officio , & ſacco , auditis duobus, vel pluribus teſtibus ſaltem auricularibus fide dignis .

IX. Ne confuſiones , quas ex indeterminato ſodalium numero in Confraternitatibus ſaepius oriri deprehendimus, ultra progrediantur , ſtricte mandamus , ut in qualibet ſodalitate certus ſit confratrum numerus ; quem ſi alicubi adhuc non fuerit conſtitutus , infra duos menſes ab hujus noſtrae Synodi publicatione inchoandos , per eos , ad quos ſpectat auctoritate noſtra comprobandum praefigi omnino volumus .

X. In Confraternitatum oratoriis, ſive eccleſiis ſub poena interdicti Sanctiſſimum Euchariſtiae Sacramentum ſine apoſtolico indulto ne retineant ſodales nec eorum cappellani, nec ſine noſtra licentia illud publice adorandum exponant (a). Id ſi eis a Nobis datum fuerit , unus ad minus Sacerdos ſuperpelliceo , & ſtola ornatus, & duo ſodales ſacco induti ante Auguſtiſſimum Sacramentum proni adorantes continuo extent .

XI. Qui fuerint ad officia Confraternitatum electi , antequam adminiſtrent , ſi nihil eis obſtet , quin eligi potuerint , erunt per Nos ſcripto adprobandi (b), ac praeterea Sacramenti religione coram Nobis , vel Vicario generali in civitate , & in dioeceſi coram Vicariis Foraneis noſtris ſpondebunt , ſe munus ſuum rite obituros , & in bonorum procuratione diligenter , fideliterque ſe verſaturos atque rationes de adminiſtratione a ſe acta ſuo tempore reddituros (c) . Officia vero , ad quae quiſque fuerit delectus , ſine legitima cauſa per Nos cognoſcenda ſub poena a ſtatutis praeſcripta , ſeu alia a Nobis beneviſa ne acceptare detrectet (d) .

XII. Elapſo a ſui electione anno officiales noſtra non obtenta licentia nec in officio confirmentur (e) , nec umquam ultra triennium .

XIII. Ad

(a) Praedictum decret. Urbis , & Orbis S. Congr. Rituum ad 26. & 27 Sac. Congr. Conc. in Novarien. 24. Septemb. 1718. ad 3.

(b) S. Cong. Conc. in Lucianen. 20. Septemb. 1710. ad 5.

(c) Clementina *Quia contingit* de rebig. domib.

(d) In Ferentina Syn. Antonelli 1683.

(e) S. Cong. Conc. in una Civitatis plebis 22. Mart. 1760. ad 5.

XIII. Ad officia, quae in procuranda ſodalitii re verſantur, pater ſimul, & filius ne aſſumantur, neque in officio confirmentur, nec itidem duo fratres, patrui, avunculi, aut nepotes, nec qui adminiſtrationis a ſe praecedenter geſtae prius non reddiderint rationes, vel quod apud ſe retinent ad ſocietatem pertinens non ſolverint, aut ei litem intenderint, quoad uſque dirimatur, ſeu qui notabilem pecuniam, aut rem illi debuerint, bonave ejus conducta tenuerint (a): hos omnes ad memorata officia, ſuperintendentis praecipue, prioris, camerarii, ſeu depoſitarii ineligibiles fore declaramus, atque decernimus.

XIV. Pecuniae, quae ſodalitati quomodolibet advenerint, ſint penes camerarium, ſeu depoſitarium, quem ſodalitas quaelibet ſibi quotannis eligat (b). Is ſit vir idoneus, commendabili vita, & facultatibus ſufficienter inſtructus.

XV. Vinum, frumentum, alteriuſque generis fructus ad Confraternitates ſpectantes retineantur ſub fida cuſtodia eorum officialium, quibus de more id commiſſum fuerit. Iis tamen ſub poena ſcutorum decem, privationis officii, & refectionis damnorum, ne liceat illa vendere non requiſito ceterorum officialium conſenſu.

XVI. Redditus certi, vel incerti ſub quocumque etiam pietatis obtentu ne in alios, quam in deſtinatos uſus convertantur; ne praeterea a quocumque officiali, vel ſodali ulli fiant ſumptus, etiam in deſtinatos uſus, ultra ſummam unius aurei monetae Romanae, niſi accepto prius aſſenſu per vota ſecreta majoris partis fratrum in Concilio congregatorum, & noſtrae inſuper, vel Vicarii noſtri foranei localis obtenta licentia in calce reſolutionis ſcripto apponenda. Camerarius autem, ſeu depoſitarius (cujus tamen erit cujuſcumque generis ſolutiones, & quacumque de cauſa faciendas explere) ſumptus praedictos non ſolvet, niſi adhibita cautela, quam mox praeſcripſimus, illoſque in libro exitus diligenter adnotabit (c), expreſſis die, & anno, ac officialium ordine, & cauſa ſolutionis.

XVII. Hanc ipſam legem de modo ſumptus faciendi latam plene

(a) Conc. Mediol. 1.par.3. de Pior. loc. adminiſtrat. §. *Quia pecuniam* in Syn. Farſen. Barberini 1685. Fulginaten. 1722. Ferentin. Antonelli 1683. Ferent. Toſi 1767.

(b) Clement. *Quia contingit* de Relig. domib.

(c) S. Congr. Epiſc. ex litteris Epiſcopo Ferentino datis, quoad Confraternit. Proxeudi 24. Mart. 1765.

ne ſervari volumus in litibus etiam ſuſcipiendis, cujuſcumque generis hae fuerint, activae, ſive paſſivae (a). Eam vero qui violare auſi fuerint, praeter alias nobis arbitrarias, poenam dabunt de proprio & ſumptus quos fecerint contra mox ſancitam formam in eorum computationibus nullatenus probabuntur.

XVIII. Societatum porro concilia in certo, & determinato loco de more legitime convocentur; quod in illis a majore confratrum parte per vota ſecreta fuerit deliberatum, firmiter teneatur. His tamen publicis conciliis noſter Vicarius generalis, vel alius a Nobis deputatus, (quatenus Nos ipſi eis praeſidere noluerimus) in civitate, Vicarii vero Foranei, iiſque impeditis, archipresbyter, ſeu parochus loci in dioeceſi praeſideant (b), qui proinde per priores, ſeu officiales de concilii convocatione in dicta die, & hora antea moneantur.

XIV. Officiales tamen omnes quotquot ſodalitatum bona quomodolibet adminiſtraverint, rationem accepti, & expenſi coram Nobis, vel noſtro deputato ſive in actu ſacrae viſitationis, ſive extra, ex praeſcripto ſacri Concilii Tridentini, & Romani ſub Benedicto XIII. habiti (c) quotannis reddere omnino teneantur, & ad id juris, & facti remediis, & quatenus opus ſit, etiam cenſuris eos compellemus.

XX. Eleemoſynas, quae a ſodalitatis quaeſtoribus fuerint collectae (eas tamen ſine noſtra in ſcriptis licentia quaeritare illis ſtricte vetamus) (d) diligenter aſſervari volumus in capſa firme, & bene clauſa, duabus munita clavibus inter ſe diverſis, quarum una in civitate ſit penes parochum, intra cujus paraeciae fines eſt ſodalitium; in dioeceſi vero penes Vicarios Foraneos (e), & altera a priore ſocietatis caute retineatur.

XXI. Locationes, affictus, coloniae nullatenus fiant ultra triennium, ſub poena contra alienantes bona eccleſiaſtica in iis, aliiſque contractibus emphyteuſis, melioramentorum, venditionis, & in

(a) In citatis litteris Sac.Cong.Epiſc. & in Syn. Farſen. Barberini cap.35.

(b) S. C. C. in dicta civitatis Plebis 22.Mar.1762. ad 3.

(c) Conc.Trid.ſeſſ.22.de reform.c.9. Conc.Rom.tit.13.cap.2.

(d) Clem.VIII.conſtit.*Quaecumque a Sede Apoſtolica* 23.Dec.1604. §.*Quibus etiam*. Conc.Mediol.5.par.3.tit.quae ad ſcholas §.*Ne cuiquam*. S.C.C.in Lancianen. confraternitatis 20.Septemb.1710. ad 2.

(e) In Syn. Farſen.Barberini cap.35. num.17.

& in quibuſcumque alienationibus ſemper affi gantur edicta, & proclamationes cum ſecretis oblationibus in cancellaria, exhibito vadimonio, ut plus, vel minus offerenti juxta utilitatem res locorum, & operum piorum adjudicentur cum inſtrumentis, & apochis; nullo tamen caſu bona confraternitatum, aliorumque piorum locorum concedantur quocumque titulo vel emptionis, vel emphytheuſis confratribus, vel confratrum conſanguineis, vel affinibus, niſi cum noſtra facultate, & diſpenſatione (a).

XXII. Reſtitutiones ſortium, ſeu capitalium locorum piorum ad effectum inveſtiendi, non fiant in manibus officialium, ſed apud depoſitarium per Nos deputatum. In inveſtionibus autem implicatio fiat cum noſtra licentia impetrata, non vero tantum reſervata.

XXIII. Officiales adminiſtratores, exactores, & depoſitarii Confraternitatum, aliorumque locorum, & operum piorum praeſenti noſtra conſtitutione ſciant, ex ipſo actu officii ſuſcepti tacite ſeſe obligatos in forma Camerae, nedum fideliter adminiſtrandi, rationem reddendi quolibet anno coram Nobis, etiamſi aliis eſſet ratio exhibenda (b), & reliquatus, vel debiti ſolvendi intra menſem a die expirati officii, ſed item renunciaſſe cenſeantur quibuſcumque privilegiis, & exemptionibus, noſtraeque juriſdictioni, & foro ſe ſubjeciſſe, executionibus tam realibus, quam perſonalibus conſenſiſſe *manu regia*, veluti ſi expiraſſet terminus juris cum debiti confeſſione (c).

XXIV. Duo eligantur ſyndici notae probitatis, & induſtriae, qui rationem adminiſtrationum rerum temporalium exigant, & ſcrutentur: nec abſolutionis, vel condemnationis proferant ſententiam, niſi attente omnia ad examen, & calculos revocaverint. Expenſas ratas non habeant, quae ſuis non probentur legitimis documentis: ſolutiones computorum mercatoribus, & operum artificibus abſque ſcriptis ordinibus, & recognitione peritorum, caeca fide non approbent. Si qua credita inexacta ſuperſint, de praeſtitis diligentiis inquirant, & in ſententia norent, officiales munus ſuum expleviſſe, vel

(a) Decreta S.C.C.in Parmen. 7.Oct. 1602.,& Cong.Epiſc. ad Archiepiſc. Januenſ. 12.Febr. 1597. Decretum etiam S.Cong. juſſ. Innoc.XII. 1. Sept.1699. in parvo Bullar.

(b) Con.Rom.tit.23.cap.2.

(c) Trid.cap.9.ſeſſ.22. Syn.Fulginat. 1722.examinata in S.C.C.cap.24.n.10. & cap.25.n.2.

vel defeciſſe in officio. In fine ſindicationis deſcribant catalogum, ſive notam creditorum inexactorum ſive in capitalibus, ſive in annuis redditibus, cum nomine debitorum, tempore, & quantitate ſummae debitae, ne eorum memoria pereat.

XXV. Singulae confraternitates, loca, & opera pia ſua habeant archivia bene clauſa, in quibus reponantur, & conſerventur ſtatuta, & documenta erectionis, aggregationis, indulgentiarum, onerum Miſſarum, aliorumque piorum munerum: item libros, in quibus deſcripti ſint qui confraternitati, loco, & operi pio nomen dederunt, receſſus, reſolutiones, & decreta congregationum, introitus, & exitus adminiſtrationum; inventarium inſuper legale omnium ſtabilium, & annuorum reddituum, jurium, & actionum, cum indicatione inſtrumentorum, ſyngrapharum, & nominum debitorum, mobilium, & ſupellectilium. Haec inventaria, & libri conficiantur juxta methodum, & inſtructionem Concilii Romani (a), Quoniam vero rerum humanarum conditio mutationi ſubjecta eſt, volumus, & mandamus, ut ſingulis ſaltem decenniis hoc idem inventarium renovetur, vel ſaltem recognoſcatur; ſub poena arbitraria etiam comminationis interdicti contra collegia, ſi eccleſiaſtica ſint, ſuſpenſionis contra clericos ſacris ordinibus initiatos, & excommunicationis adverſus laicos, & clericos in minoribus conſtitutos.

XXVI. Demum praedicta legalia inventaria omnium rerum confraternitatum, & piorum locorum, & tam rerum mobilium, quam immobilium, & omnium quoque creditorum ab officialibus exacte conficiantur, & eorum exemplaria infra tres menſes a publicatione hujus noſtrae Synodi ad Nos tranſmittantur, ut in noſtra cancellaria perpetuo adſerventur, ſub poena *gravatoriae* juliorum decem quolibet die. Jubemus pariter, quod cum ex redditibus confraternitatum, aliorumque piorum locorum in fine anni aliquid ſupererit, officiales de eo Nos ſtatim monitos faciant, ut illud conſenſione, & approbatione noſtra in utiles confraternitatis, vel pii loci uſus quamprimum valeat converti (b).

§. XIX.

(a) Conc. Rom. tit. 12. cap. 1., & 2., & in appendice 10. Vide appendicem hujus Syn. n. 6.

(b) In Syn. Farſen. Barberini cap. 35. n. 19. Vide Lanucci in Syn. tit. 4. cap. 9., & Toſi in Syn. par. 3. cap. 9. Clement. *Quia contingit* de religioſ. domib.

§. XIX.

De hoſpitalibus, & montibus frumentariis, & pietatis.

Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum a conſtitutione mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, ſitivi, & dediſtis mihi bibere, hoſpes eram, & collegiſtis me... Infirmus, & viſitaſtis me... Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Matthaei cap. XXV. verſ. XXXIV. XXXV. XXXVI. & XL.

I. HOſpitalium ſive infirmorum, & convaleſcentium, ſive xenodochii pauperum, & peregrinorum vigilem curam commendamus prioribus, aliiſque officialibus, inſtitutiones adamuſſim ſervent, eorumque regiminis, & adminiſtrationis regulas fideliter exequantur, quas Clemens V. in Concilio Viennenſi ſancivit innovatas a ſacro Concilio Tridentino (a): eoſque hortamur, & urgemus, ut in pietate amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem colant. Haec enim ſi adſint, non vacui, & ſine fructu erunt in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione (b). Inferiores miniſtri maturae ſint aetatis, bene morati, & erga pauperes viſcera pietatis habentes. Hoſpitaliorum cuſtos ſupra aetatem XXX. annorum conſtituatur; ſtudeat praecipue munditiem conſervare, ne ſordibus, & foeditate nauſea, & faſtidium provocetur: diu, noctuque vigilet pro excipiendis, & caritative tractandis pauperibus, vel infirmis. Caveat praecipue quidquam etiam ſponte oblatum ſibi recipere, ſub interminatione dimiſſionis ab officio, & reſtitutionis duplicatae; feminas viris, viros feminis famulari (quod eſt indecorum, & periculi occaſio) prohibemus, nihil obſtante contrario quocumque uſu, ſive potius abuſu.

II. Hoſpitalia prima noctis hora claudantur, nec aperiantur, antequam dies eluceſcat, facta tamen prius inquiſitione, an de xenodochii mobilibus aliquid ſubtractum ſit, vel quidquam alicui deſit; alias hoſpitalarius teneatur de proprio reſarcire damnum.

III. Dividantur viri a feminis, nec ſit inter ipſos aliquis aditus;

(a) Trid. cap. 8. ſeſſ. 25. de reform. (b) 2. Petri.

tus ; numquam permittantur viri cubare cum pueris , nisi constet , filios , fratres , vel nepotes esse . Si quis secum ducat feminam comitem , quam asserat filiam , sororem , vel uxorem , non facile assertori fides habeatur , nisi authenticum exhibeat testimonium , a Vicario generali , vel foraneo recognoscendum , & cum ejus licentia scripta admittatur . Nisi ergo certo constiterit de matrimonio viri , & feminae , non tolerentur in eodem cubiculo manere . Conjugati seorsim a ceteris cubent (a) . Ubi vero mansiones a viris segregatae non adsint , mulieres non recipiantur cum viris .

IV. Excludantur ab hospitalibus blasphaemi , criminosi , circulatores , errones , arma deferentes , qui praeceptum Paschale non impleverunt , aliique hujus furfuris ; homines inquieti , immodesti , scandalosi , ejiciantur , nisi moniti corrigantur : qui resistunt statim carcerentur .

V. Non solum corpori , sed etiam animae in primis saluti in xenodochiis , & hospitalibus consulatur . Quare in singulis non desit sacerdos cappellanus , & ubi vel ex institutione , vel per defectum redditumm spirituali curae non sit provisum , parochi sive per se , sive per alium sacerdotem ad confessiones adprobatum , id officium assumant . Hujus cappellani vigilantia , & onus sit de sero ante quietem , & de mane ante egressum a xenodochio aliquas pias preces in communi recitare ; super cujus pietatis omissione nostra erit gravis animadversio (b) . Cum primum infirmi , vel convalescentes ad hospitalem domum accesserint , confessionem sacramentalem , quae spiritualis est medicina , illico adhibeant , & si gravis sit morbus , etiam Eucharistiae sacramento reficiantur , & extrema unctione tempestive roborentur (c) . Nomina , cognomina , patria , & dies accessus infirmorum in libro describantur ; quemadmodum si convalescant , dies quoque recessus scribantur . Eorum , qui ab hac vita decedunt , dies obitus adnotetur , sicut & in libro parochiali mortuorum . Si quid in aere , aut re a decedentibus in domo hospitali relinquatur , refectis omnibus expensis , quod supererit , haeredibus tradatur ; non obstante quacumque contraria consuetudine ; salvis tamen testamentariis dispositionibus , & voluntatibus .

VI. Bis

(a) Clem. XI. in edicto Bullar. num. 5. pag. 599.

(b) Conc. Provinc. Benevent. 1693. cap. 12., & 13. pag. 71.

(c) S. Pius V. in constit. *Supra gregem* .

VI. Bis saltem quolibet anno Vicarius noster generalis in civitate, & foranei in dioecesi visitationem instituant hospitalium: eorum statum perscrutentur, & quomodo res tam in spiritualibus, quam in temporalibus procedant, Nobis referre non praetermittant.

VII. Improbamus vehementer suppressionem domus hospitalis *S. Mariae Lauretanae* hujus civitatis nullo Ordinarii decreto, sed sodalium confraternitatis praefatae nuncupationis incuria factam. Propterea officialibus dictae societatis graviter injungimus, ut statuta, & consuetudines majorum suorum servantes infra sex menses a publicatione hujus nostrae Synodi antiquarum hospitium iterum parent, seu construant, ibique juxta antiquas proprii sodalitii leges excipiant, & humaniter pertractent peregrinos sacerdotes, & clericos tantum; saeculares autem quoscumque non recipiant absque nostra, seu Vicarii nostri generalis licentia in scriptis, justis de causis, & non passim concedenda. Idem servari mandamus in dioecesi, ubicumque xenodochia fundata invenientur pro ecclesiasticis dumtaxat peregrinis.

VIII. *Montium*, ut dicunt, *Pietatis*, & *Frumentariorum*, ex quibus venit auxilium miseris (a), praecipua cura Nobis est commendata a sacro Concilio Tridentino, & Apostolicis Constitutionibus (b). Quamvis igitur hujusmodi montes erecti fuerint in pauperum subsidium ex publico aerario communitatum, vel laicorum, & ab ipsis administrentur, nostrae visitationi subsunt, ut explorare possimus, an rite, & recte gubernentur, an ve labe usuraria inficiantur.

IX. At quoniam neque in civitate, neque in aliis dioecesis locis, una excepta Terra Acuti, mons ullus pietatis extat, seu pium opus dandi egentibus pecuniam, accepto pignore, in pecuniae mutuandae restitutione reddendo, de istiusmodi montibus nihil est in hac nostra Synodo constituendum: ideo vero horum montium fecimus mentionem, ut exinde Nobis daretur occasio desiderium nostrum aperiendi, quo vehementissime cupimus hujus praecellentissimi pii operis erectionem, quam ad pauperum levamen, & ad foenoris vitium compescendum necessariam adeo credimus esse, ut si justis de causis sodalitium aliquod, sive quodcumque aliud pium

(a) In Bulla Pauli V. *Onerosa*. (b) Trid. cap. 8., & 9. sess. 22. de reformat.

opus ſupprimendum fore cenſebimus, illius bona huic caritatis inſtitutioni prae ceteris deputare in animo firmiter reconditum habeamus. Ad frumentarios montes, quorum auxilio pauperes civitatis, & dioeceſis noſtrae deſtituti omnino non ſunt, dirigentes modo paſtoralis vigilantiae noſtrae providentias, vetamus praeſertim, quod pietatis ſubſidia non in frumenti ſubminiſtrationem, ſed in alios quoſcumque uſus, etiam pios, & ad Dei cultum, erogentur. Meminiſſe debent adminiſtratores Conſtitutionis *Paulinae* interdicentis, ſub poena excommunicationis latae ſententiae ſummo Pontifici reſervatae, frumentum a ſacris montibus praeter, vel contra inſtitutionem amovere, mutuare, vel in proprios, aliorumque uſus convertere, etiam cum animo, & certa ſpe redintegrandi ablata, & frumentum in ſuo loco reponendi (a).

X. Nihil prorſus in montibus frumentariis pro conſervatione, & reſtitutione frumenti aliquid plus, vel in menſura magis coacervata accipiatur. Si vero montes redditus ſufficientes non habent pro eorum manutentione, impenſis, & miniſtrorum convenienter retributione, aliquid plus moderatum juxta neceſſitatem, cum placito ſanctae Sedis recipi poteſt. Nos vero ſedulo curabimus, ne quid vel minimum praeter enunciatam neceſſitatem, vel ad lucrum eorumdem etiam montium acquiratur, ad formam conſtitutionis Leonis X. in Concilio Lateranenſi (b). Si aliquod inveniatur augmentum, pio monti addicabitur cum noſtra cognitione, & approbatione (c).

§. XX.

(a) Paulus V. in Conſt. *Oneroſa* 82.
(b) Leo X. in conſtit. *Inter multiplices* 2. in Conc. Lateranen. ſeſſ. 10. Bened. XIV. de Syn. lib. 7. cap. 48. n. 2., & 3.
(c) S.C.C. in Montis Faliſci 1. Mart. 1704. ad 2.

§. XX.

De Collectoribus eleemoſynarum, & ipſis eleemoſynis.

De collectis quae fiunt,... per unam ſabbathi unuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non, cum venero, tunc collectae fiant. Cum autem praeſens fuero, quos probaveritis per epiſtolas, hos mittam perferre gratiam veſtram in Jeruſalem. Quod ſi dignum fuerit, ut & ego eam, mecum ibunt. I. ad Corinth. cap. XVI. verſic. I. II. III., & IV.

I. ELeemoſynarum collectio, Pauli Apoſtoli monitis, & legibus inter primaevos Chriſtianae religionis noſtrae alumnos, & profeſſores, ab omni turpis quaeſtus ſuſpicione vindicata, ſynodalibus etiam ſanctionibus noſtris a cujuſcumque ſive imprudentiae, ſive avaritiae, ſive ſuperſtitionis, & culpa, & infamia eſt protegenda.

II. Idcirco nemo ſit in noſtra dioeceſi, qui pro eccleſiis, locis, & operibus piis, ſive etiam pro animabus Purgatorii, vel pauperibus in genere, vel alio quocumque praetextu, & cauſa audeat quaeſtuare ſine noſtra, vel Vicarii noſtri generalis licentia in ſcriptis retinenda, ſive eccleſiaſticus, ſive eremita, ſive ſaecularis cum cappa, vel indutus veſte communi; ſub poena carceris, aliiſque arbitrio noſtro, atque amiſſionis collectarum eleemoſynarum; quae a Nobis pauperibus, vel piis uſibus applicabuntur (a). Sub hac prohibitione comprehendimus quaeſtuantes cum licentia, & litteris patentibus magiſtratuum ſaecularium, vel alterius perſonae cujuſcumque ordinis, vel conditionis, excepta dumtaxat facultate Apoſtolicae Sedis (b).

III. Confraternitates, aliaeque piae congregationes fidelium jus quaeſtuandi ſine licentia noſtra, vel Vicarii noſtri generalis ſibi ipſis aſſerere, vel exercere non poſſint (c). Si aliquae ſint in quaſi poſſeſ-

(a) S.Cong. ap.Nicol. in Floſc. verbo *Quaeſtor* n. 1. cap. *Cum extra* de poenit., & remiſſ. ibique Fagnanus n. 1., & ſeq. Clement. 2. eod. tit. Conc. Trid. ſeſſ. 21. de reform. cap. 9.

(b) S.C.Epiſc. in Averſana 22. Febr. 1620.

(c) Clem. VIII. in conſtit. 115. §. 8.

poſſeſſione colligendi eleemoſynas, manutentionem pretendere nequeant, niſi pro arbitrio, prudentia, & paſtorali ſollicitudine conſenſum, & authoritatem noſtram hujuſmodi quaſi poſſeſſioni adjungamus (a). Si confraternitates ſint inſtitutae ad hujuſmodi pietatis officium exercendum, nihilominus ſervare debent modum a Nobis praeſcribendum tum in collectione, tum etiam in diſtributione eleemoſynarum (b).

IV. Vere mendicantes, qui nec bona in communi, nec in privato poſſident, quorumque monaſteria in noſtra dioeceſi ſunt ſita, non cenſeantur ſub hac prohibitione quaeſtuandi comprehendi; cum eis tacita cenſeatur licentia in erectione monaſterii conceſſa: dummodo expreſſe non fuerit inhibita; ita tamen quod eleemoſynas non quaerant per alios, quam per religioſos ſui ordinis, & oblatos (c). Regulares vero in communi poſſidentes, qui mendicitatem non profitentur, ſi eleemoſynas quaerant cum licentia ſuperiorum, eam Nobis, vel Vicariis noſtris oſtendere debeant, ut dicta licentia recognita cum *viſa* libere valeant quaeſtum exercere.

V. Quicumque colligunt eleemoſynas cum noſtra licentia ſciant, his conditionibus ſervandis ſe eſſe obnoxios: nullus audeat velata facie eleemoſynam petere, etiam in eccleſiarum foribus, niſi gravi cauſa urgente id fieri aliquando permittamus. Quaeſtores de eleemoſynis non participent, ſed potius illis ſtipendium aliquod honeſtum conſtitui poterit, quatenus aliquis non inveniatur, qui amore Dei gratis hoc caritatis officium impendere velit. Nullas omnino indulgentias divulgent, non concionentur, ſua privilegia non oſtendant, ſed licentiam dumtaxat noſtram; ſacras reliquias, imagines, aliaque his ſimilia non circumferant; animalia non benedicant; numiſmata, aut ſacras imagines deoſculandas non praebeant; campanulas, aut quaevis alia inſtrumenta ad homines excitandos non pulſent; nullo artificio, aut motivo utantur in quaeſtu, nempe recitatione orationis ad aliquem ſanctum, nulloque perverſo more ſtipem extorqueant, ipſis veluti debitam, & elargiri ſolitam; ſed in ea quaeritanda modeſti ſint, & diſcreti, ſicque pie, ſimpliciter, & fide-

(a) Baſſ. de Confratern. quaeſt. 7. n. 2.
(b) Gavant. in Manual. verbo *Quaeſtores* n. 7.
(c) Cap. *Tuarum* de Privil. in Poſnanien. S.C.C. 24. Sept. 1622.

& fideliter ſe gerant. Haec omnia religioſe ſerventur ex formula licentiae praeſcriptae a ſacra Congregatione (a).

VI. Ut collectores eleemoſynarum pro locis, & operibus piis, ſive pro animabus Purgatorii, vel pauperibus in genere, earum collectione non abutantur, immo vero bonam etiam apud homines famam, & opinionem ſibi ipſis concilient, diſtricte mandamus, ut notam in libello ſcribant eleemoſynarum, & diei & anni in quibus eas colligunt. Ita quoque capſulas nummularias bene clauſas circumferant, res in ſpecie quaeſitas, vel nummos diligenter conſignent officialibus electis, vel depoſitariis a Nobis deputandis; qui claves capſularum retinere debeant, nummos, & res in ſpecie recipiant, & cuſtodiant cum nota diei factae conſignationis. Quae omnia exacte ſerventur, ut a Nobis faciliter rationis redditio de eleemoſynis quaeſitis exigi pro noſtro arbitrio poſſit, & juxta piam fidelium voluntatem erogatio omnibus manifeſta fiat.

§. XXI.

De Vicario generali, & foraneis, & de Cancellario, & foro Epiſcopali.

Et praecipiens judicibus, videte, ait, quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiſcum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum. II. Paralipomenon cap. XIX. verſ. VI., & VII.

I. VIcarium noſtrum generalem, omneſque, ac ſingulos in noſtra dioeceſi conſtitutos judices ſynodales, & foraneos in Domino perhortamur, 1. Ut controverſias, & diſſidia inter litigantes, praeſertim conſanguineos pro viribus dirimere, eaque pacifice componere ſtudeant, partes aſſumendo amicabilis compoſitoris, priuſquam judicis. 2. Si id exequi nullatenus ipſi queant, cauſas ſaltem, & lites ſtudioſa ſollicitudine, & majori, qua poterunt, tum brevitate, tum maturitate expedire, callidaſque artes, cavil-

(a) S.C. Epiſc. ap. Nicol. can. lib. 5. tit. 39. n. 107. Conc. Lateran. 4. can. 65.

cavillationes, & verſutias litigantium eludere conentur. 3. Viduas, pupillos, & pauperes artem judicialem ignorantes, praeſertim adverſus verſutos litigatores, & praepotentes, in judicio ſtantes dirigere, & inſtruere curent, & formulas rite exarare doceant omni humano reſpectu poſthabito, ſed caritate dumtaxat animati; ſuper quibus cancellarios noſtros urgemus, & ab ipſis hoc caritatis officium Nos vigiles exigemus (a).

II. Cauſae praecipue miſerabilium perſonarum, eccleſiarum, aliorumque locorum, & operum piorum ſummatim, & ſollicite expediantur, ſicut & cauſae omnes, quae ſummam ſcutorum trium non excedunt, ſummarie, & abſque forma ſolemnis judicii ſola facti veritate inſpecta terminentur.

III. In litibus agendis Vicarius generalis acriter compeſcat detractiones, jurgia, contentiones, rixas, verba turpia, vel mordacia; & ſi quem cognoſcat rabulam incorrigibilem, amandet a curia, et foro prohibeat, vel meritis poenis arbitrariis pro modo culpae, etiam carcerationis in eum animadvertat.

IV. Rei in criminalibus cauſis cum juramento quoad ipſos, et niſi tamquam teſtes quoad alios non interrogentur, ſub poena nullitatis proceſſus, vel actorum, aliiſque contentis in conſtitutione Benedictina, et in Concilio Romano (b).

V. Ne orphani, pauperes, ac miſeri debita defenſione in judiciis deſtituantur, Vicarius noſter generalis pauperum defenſores a Nobis delectos ad gratis non minus, quam diligenter operam ſuam in eorum defenſione ſtrenue ponendam ſedulo extimulet; qui ſi officio ſuo in re tam pia, et Deo gratiſſima defuerint, nec moniti reſipuerint, eos a munere amoveri, et etiam a curiae acceſſu prohiberi jubemus: quam poenam ſubibit et alius quiſpiam curialis, qui oblatam ſibi per Nos, vel Vicarium noſtrum generalem alicujus pauperis cauſam defenſandam, irrationabiliter reſpuat. Si vero curiales contra hujus ſaeculi potentiores miſeris patrocinari perrimeſcant, Vicarius noſter generalis illis adſignet defenſorem, quem ſors dabit; iſque ſi munus ſibi commiſſum exequi abnuerit, a tribunali noſtro perpetuo arceatur. Ne autem pauperes, qui ſolven-

(a) Trid. cap. 10. ſeſſ. 25. de reform. (b) Conc. Rom. tit. 13. cap. 1.

ſolvendo potis non ſunt, quidquam damni in ſuis juribus patiantur, a miniſtris etiam noſtrae curiae acta gratis excipi volumus,

VI. Ut a judiciis qualibet abigatur propenſionis ſuſpicio, Vicarius noſter generalis diligenter caveat, ne ab iis, qui coram ſe cauſas habent, vel agunt, cujuſque generis munera, ſeu dona, vel xenia etiam eſculenta, poculentave accipiat (a).

VII. Pauperes, miſerabileſque perſonas, pupillos, virgines, viduas, illas item mulieres, quae viros habent ad ſibi comparandum victum minime idoneos, fori noſtro electionis jure potiri, et ſuos ad noſtrum tribunal trahere creditores, atque jura ſua coram Nobis ſe tueri poſſe omnes novetint (b). Noſtri etiam juris eſſe edicimus inhibitiones dotales ad impediendas ſubhaſtationes bonorum pro viaticis contra conjuges inquiſitos a curia laica conſequendis mulieribus concedere; illaſque moderari, non ad judices laicos, ſed ad Nos privative ſpectare (c) declaramus, atque decernimus.

VIII. Diebus feriatis, ſeu feſtis, aut nefaſtis Vicarius generalis nulla acta civilia fieri ſinat, ut omnis judicialis ſtrepitus conquieſcat (d); niſi cauſae piae ſint, matrimoniales, vel ſpectantes ad pacem, & concordiam, & in quibus ipſe veretur animarum periculum, vel quae celeri proviſione indigent, ſive alias ſint a jure privilegiatae (e); ſecus, omnia ex nunc irrita, & invalida declaramus (f). Feſtis enim diebus in honorem Dei juramenta nec recipiant, neque a cancellario admitti permittat, niſi in piis, uti praefertur, vel matrimonialibus cauſis, & aliquando etiam in criminalibus, cum videlicet neceſſitas, vel rationabile motivum urgeat. Quinam autem dies ejuſmodi *feriati* ſint, docuit Gregorius PP. IV. C. *Conqueſtus* V. de Feriis.

(a) Conc. Mediol. III. tit. de iis, quae ad Epiſc. Forum pertinent §. *Nullum*. Ex Novell. 8. in fine, & argum. L. 2. ff. de condict., ob turp. cauſ.

(b) Can. 1., & 2. diſt. 87. Conc. Matiſconenſe II. anni 185. can. 12. apud Bened. XIV. de Syn. Dioeceſ. lib. 9. cap. 9. n. 10. cap. *Super quibuſdam* de verborum ſignific. cap. *Ex parte* de Foro competenti idem Benedict. loco citato.

(c) S. Cong. Immunitatis in Senogallien. 29. Maii 1731., & 19. Aug. 1732. in Anagnina *Juriſdictionis* 6. Auguſti 1765.

(d) L. 2. ff. de Feriis. C. fin. eod.

(e) C. fin. cit. lib. 10. C. eod., & arg. lib. 43. ff. de Relig., & ſumpt. fun. C. 17. cauſa 22. quaeſt. 5.

(f) L. 7. C. de Feriis.

IX. Mandatarii tam civitatis, quam aliorum hujus noſtræ dioeceſis locorum in cauſis eccleſiaſticis officio ſuo fungi teneantur, nulla prorſus temporalium dominorum, eorumque miniſtrorum, vel gubernatorum laicorum requiſita licentia; reluctantes vero excommunicationis poenae obnoxios fore ſe ſciant. Quicumque etiam citationum, ſive mandatorum noſtræ curiae executionem directe, vel indirecte in praejudicium juriſdictionis eccleſiaſticae impediunt, cenſuris in Bulla Coenae inflictis ſubjaceant (a).

X. Taxam Innocentianam in rebus ſpiritualibus, vel annexis exacte ſervari praecipimus, quae habetur in appendice n. XXXVII. ad eum videlicet finem, ne ſenſim in curia noſtra deſuefcat: in iis vero, quae Innocentiana regula non diſponit, pro emolumentis nempe cancellariae in actis omnibus tam criminalibus, quam civilibus taxas hucuſque ſervatas, in poſterum etiam inconcuſſe ſervandas eſſe indicimus, donec a Nobis cum conſilio capituli noſtræ cathedralis eccleſiae, ſive antiquam, & conſuetudine firmatam taxam, juxta currentis temporis exigentiam corrigamus, vel novam prorſus aliam efformemus. Vicarii foranei his taxis ſe conforment, ita tamen, ut emolumenta in eiſdem praeſcripta a foraneis curiis, earumque officialibus, nonniſi pro medietate proportionabiliter exigantur, ut in Anagnina Synodo anni MDCCXIII. ſancitum fuit (b). Nemo praeſumat majorem extorquere mercedem, ſub poena duplici, aliiſque arbitrio noſtro. Ut autem de fide ſingulorum conſtet, in calce omnium, & quarumcumque expeditionum, & ſcripturarum quid ab unoquoque ſit perſolutum, adnotandum jubemus (c).

XI. Stricte etiam praecipimus carcerum cuſtodi, ut carceribus mancipatos benigne tractet, eorum ſecuritati, & neceſſitati, quantum fieri poterit, ſtudioſe provideat, ne quidquam illis ad vitam deſit, neve ſacramenta Eccleſiae recipere ultra debitum tempus protrahatur, diligenter procuret; hujuſque rei curam, & vigilantiam Vicario noſtro generali, ceteriſque noſtris officialibus ſummopere commendamus; quibus etiam injungimus, ut reos carcerali cuſtodiæ mancipatos, nedum pro cauſae qualitate ſollicite expediant, ſed etiam

(a) S.C.C. in Narnien. 23. Jun. 1648.
(b) Baſſus in Syn. par. 4. cap. 6. n. 2.
(c) Edictum Innocentii X. die 26. Jun. 1687.

etiam piis, ſanctiſque ſuaſionibus ad meliorem frugem revocare paterna caritate nitantur.

XII. Cancellarius quoque, & actuarii omnes ſuum ſolerter obeant munus, ne juſtitiae officia poſcentibus, eorum culpa, & ſegnitie plus aequo protrahantur, aut negligantur. Aſſidue proinde cancellarius ipſe, & ſubſtitutus (quem, aut ſcribam ſibi aſſumere, noſtro, vel Vicarii noſtri generalis non accedente conſenſu, cancellario vetamus) ſuis horis tam matutinis, quam pomeridianis in cancellaria acta excepturi verſentur. In omnibus fidem ſervent, vigilantiam, aequitatem. Religionis propterea ſacramento coram Nobis, vel Vicario noſtro generali ſpondebunt, ſe in exigendis mercedibus ſtatutas taxas, Innocentianam praecipue ſervaturos, curiae, & cauſarum ſecreta non revelaturos (a), & quacumque fraude, extorſione, colluſione, vel perſonarum acceptione ſemotis, quae muneris ſui erunt, ſedulo, ac fideliter impleturos.

XIII. Statuta pariter ab Illuſtriſſimo praedeceſſore noſtro Johannis Baptiſta Baſſo in Synodo par. IV. cap. VI. n. VI. VII., & VIII. indicta, de non admittendo baroncello, aliiſque lictoribus, & executoribus, niſi data cautione de ſtando ſindicatui, & quibus praeditis curiae officialibus inhibetur retentio pignorum pro civili executione captorum, vel rerum apud carceratos repertarum, executio quaecumque ſive realis, ſive perſonalis abſque praevio mandato, percuſſio cujuſcumque rei in carcere detenti, excepto reſiſtentiae caſu, & ſervato moderamine inculpatae tutelae, expoſtulatio emolumentorum praeter, vel contra formam taxae, ſalutaria haec praeſcripta modo Nos confirmamus ſub poenis expreſſis in reformatione ſanctae memoriae Pauli V., aliiſque arbitrio noſtro infligendis (b).

XIV. Vicariis foraneis, qui a Nobis conſtituuntur, ut univerſo populo paſtorali noſtrae curae concredito, & per varia dioeceſis loca diffuſo provide conſulamus, partiale juriſdictionis noſtrae munus committimus, & delegamus. Volumus autem in omnibus, quae eorum officium reſpiciunt, eos tamquam noſtros viceſgerentes praecedentiam habere, & ab omnibus, & ſingulis reſpective

(a) S. Pius V. conſtit. *Licet* 68. Bullar. tom. 2. Conc. Mediolan. I. par. 2. tit. de Notariis §. *Probato* 5. (b) Tit. de Baroncellis.

archipresbyteris, canonicis, ceteriſque eccleſiaſticis non modo debitum illis honorem deferri, ſed etiam obedientiam exhiberi; non diffidentes Vicarios foraneos morum probitate, & vitae integritatis exemplo, zelo, & vigilantia Nobis profuturos.

XV. Querelas criminales in locis eorum juriſdictionis, quae ſive privative, ſive cumulative ad forum noſtrum ſpectant, Vicarii foranei tam officio, prout de jure, quam ad partis inſtantiam recipere non praetermittant, & coram notario, aut duobus probis viris, ubi notarius prompte haberi non poteſt, illius defectum ſupplentibus, proceſſum informativum dumtaxat compilatum ad Vicarium noſtrum generalem quamprimum tranſmittant; potiſſimum in iis cauſis, quae graviores ſunt, vel quae praeventionem fori admittunt, ſeſe ſollicitos exhibere curent, praefatumque Vicarium noſtrum ſine cunctatione certiorem reddant.

XVI. Cauſas civiles ſummam ſcutorum trium non excedentes Vicarii foranei aſſumere, cognoſcere, & per ſententiam definire valeant (a). In cauſis vero, quae dicuntur *majores*, nullatenus manus imponant, niſi cum expreſſa noſtra licentia, vel ſpeciali delegatione.

XVII. Frequenter Vicarii foranei nos commonere non negligant de iis, quae offendunt Dei cultum, eccleſiarum venerationem, feſtorum obſervantiam, diſciplinam chriſtianam, & eccleſiaſticam; utque omnia paucis verbis complectamur, ipſorum erit officium, ut quae in hac Synodo reſpective, & in SS. Viſitationum decretis ſtatuta ſunt, inviolabiliter ſervari curent; eos in Domino admonentes, ne ipſi perſonas reſpiciant, ſed ante oculos Dei gratiam, & animarum ſalutem habentes, vitia non diſſimulent; Deo, nobiſque rationem reddituri.

XVIII. In cancellaria Epiſcopali, & foranea libri, acta, proceſſus, inſtrumenta, ſcripturae, & quaecumque alia ad forum noſtrum ſpectantia documenta ſuis digeſta locis, & debito ordine diſtributa in pluteis, ſeu armariis a cancellario cuſtodiantur. Libri ſuas habeant rubricas, & indices; litteris etiam a tergo praeſignentur, quibus materiae in ipſis contentae innoteſcant. Singula eorum folia arithmeticis figuris, ſeu arabicis numeris connotentur; ſcriptu-

(a) S.C.C. in Hortana 20.Jun.1698.

ſcripturae etiam ſint bene colligatae cum epigraphis; & cetera ſerventur, quae in Concilio Romano ſunt ſtatuta (a). Archivium etiam Epiſcopale conſtituatur, cujus claves a cuſtode nemini tradantur; in ipſo libri, & ſcripturae cuſtodiantur juxta praeſcriptam legem ejuſdem Romani Concilii. Libri quoque, & ſcripturae ad menſam noſtram Epiſcopalem ſpectantes in archivio diſtincte, & ſeparatim conſerventur. Demum abſolutiſſimum inventarium omnium librorum, & ſcripturarum, quae in cancellaria, & in ipſo archivio ſunt repoſitae, non deſit, ſicut praecipitur in eodem Concilio Romano.

XIX. Sed non eſt hic praetermittendum, quod ſcripturae, & inſtrumenta, quae conficiuntur, & roganrur a cancellario Epiſcopali, ſervari debent in Epiſcopi cancellaria; minime vero ad archivium communitatis transferri. Sane hoc nos jure potiri, & hac cancellariam noſtram praerogativa gaudere, perſpicuum erit cuicumque legenti Scipionem Cardinalem Presbyterum S. Suſannae tomo v. conſultation. ccx. num. iii. referentem decretum ſuper hoc ſac. Congregationis Concilii. Romae xv. Novembris MDCXXV. Ibi enim expoſita controverſia exorta inter Epiſcopum Civitatis Caſtelli, & civitatis ejuſdem communitatem de loco, quo reponendae, & cuſtodiendae eſſent fori Epiſcopalis ſcripturae, litem ceſſaſſe, narratur, judicio Eminentiſſimorum Patrum definientium, ſcripturas, de quibus diſputabatur, aut ſi quae aliae rogatae fuiſſent a cancellario Epiſcopali, tamquam cancellario illius curiae, ad archivium Epiſcopalis cancellariae dumtaxat pertinere. Quinimmo poteſt Epiſcopus per edictum notariis aliis praecipere exportarionem, ac exhibitionem in cancellaria Epiſcopali quorumcumque actuum, & rogitorum, eorumque exemplarium ad ſanctimonialium monaſteria ſpectantium. Ita namque ſancivit ſacra Congregatio Epiſcoporum, & Regularium in una Eugubina XXXI. Jan. MDXCVI. (b)

XX. Vicarii noſtri generalis in cancellaria Epiſcopali, & Vicariorum foraneorum in cancellariis dioeceſis ſit cura viſitandi, & diligenter recognoſcendi, an cuncta ſint bene diſpoſita; & ſi in aliquo deficientes repererint cancellarios, Nobis relationem faciant, arbi-

(a) Conc. Rom. tit. 12. cap. 13. cum ſeq., & in appendice n. 11.

(b) Ferrar. in Bibliothec. in verbo *Cancellarius* n. 20., & 21.

arbitraria poena, vel remotione juſte plectendos. Volumus etiam, quod Vicarii noſtri, & generalis, & foranei prae manibus habeant ſaepe perlegendam Conſtitutionem Benedicti XIV. ſuper damno dato, quae incipit, *Inveterata*, & cujus ſynopſim in appendice deſcribendam eſſe mandavimus *num.* LXIII., eo quia ad diſſentiones impediendas laicale inter, & eccleſiaſticum forum quamplurimum conferre poſſe deprehendimus notitiam, memoriam, ac intelligentiam Apoſtolicarum ſanctionum, quae ibi edicuntur, & declarantur.

XXI. Si qui ſubripere, violare, occultare, lacerare, comburere libros, & cujuſcumque generis ſcripturas, aut proceſſus ad cancellarias noſtras, vel ad menſam Epiſcopalem ſpectantes, vel in archiviis repoſitas auſi fuerint, etiam ſede Epiſcopali vacante, excommunicationi majori Sedi Apoſtolicae reſervatae ipſo facto ſubjaceant. Si qui vero libros, & ſcripturas, ut ſupra, ſubreptas, ſive occultatas habeant, vel ſcientes in aliorum manibus non revelaverint occupatores, ſi poſt elapſos duos menſes a publicatione hujus Synodi infra terminum quindecim dierum, quorum quinque pro primo, alios quinque pro ſecundo, & reliquos pro tertio, & perentorio termino aſſignamus, non reportaverint, vel reſpective non revelaverint, eidem excommunicationi majori ipſo facto ſubſint, tamquam contra alienantes, vel occupantes res eccleſiaſticas: cui excommunicationi etiam ſubſint mandantes, auxilium, conſilium, vel favorem praeſtantes (a).

XXII. Sede Epiſcopali vacante, cancellarius, & archiviſta, quatenus a capitulo non confirmentur, cancellariae, & archivii claves, quae tres diverſae eſſe debent, una cum inventario conſignent primae dignitati, canonico antiquiori, & camerario capituli, donec Vicarius capitularis eligatur, eique hi tres nominati cuſtodes de ipſa cancellaria, & archivio rationem reddant (b).

§. XXII.

(a) Conc. Rom. tit. 12. cap. 5. Trid. cap. 11. ſeſſ. 22. de reform. Bulla Coenae §. 17.

(b) Trid. cap. 16. ſeſſ. 24. S. C. C. in Aſtoricen. Archivii 9. Jan. 1606. ad 2. Lanucci in Syn. tit. 4. cap. 12.

§. XXII.

De Epiſcopo, & juribus Epiſcopalibus.

Obedite Praepoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis = Ad Hebraeos cap. XIII. verſ. XVII.

I. EPiſcoparus eſt apex, & conſummatio ſacerdotii, ſive ſummum, perfectumque ſacerdotium: Quamobrem ſacra Synodus Tridentina (a) declarat = *Praeter ceteros eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad Hierarchicum Ordinem praecipue pertinere, & poſitos, ſicut Apoſtolus ait, a Spiritu Sancto regere eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum confirmationis conferre, miniſtros eccleſiae ordinare, ac alia pleraque peragere ipſos poſſe; quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent* = & pariter (b), = *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbytero ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem, anathema ſit.*

II. Apud veteres quidem eoſdem Presbyteros fuiſſe, quos & Epiſcopos, nomine vero tantum; non ordine, non dignitate, non jurisdictione, certiſſimum eſt. Communia namque primi & ſecundi ordinis ſacerdotibus tunc erant nomina, ut *Epiſcopi* vocabulo Presbyterorum, & *Presbyteri* vocabulo Epiſcoporum ſignificari tunc ſolerent; quamvis magna inter illos eſſet ordinis, ac dignitatis differentia. Duplici autem ratione ſupra Presbyteros eminuerunt ſemper Epiſcopi, poteſtate ſcilicet ordinis, qua Presbyteros, & *Epiſcopos* alios ordinare poſſunt, ſive *Patres eccleſiae gignere*, (ut loquitur S. Ephiphanius): ſecundo poteſtate jurisdictionis, quae in eccleſiae regimine poſita eſt; ratione cujus leges ferre, ſancire diſciplinam, ab eccleſiae limitibus publicos peccatores, & adverſus Eccleſiam perduelles arcere, lapſis poenitentiam imponere, poenitentes communione donare, caſus ſibi reſervare, ab iiſque abſolvere, indulgen-

(a) Conc. Trid. ſeſſ. 23. (b) Conc. Trident. loc. proxime cit. canone 7.

gentias concedere, christianae plebis mores reformare possunt. Quod autem spectat jurisdictionis usum, non eadem fuit ab initio, quae secutis temporibus, Ecclesiae disciplina & Episcoporum supra Presbyteros eminentia. Tunc enim communi Presbyterorum consilio ecclesiae regebantur, & res ecclesiasticae administrabantur; nihilque decernebatur, nisi ex ipsorum suffragiis, & ex communi totius senatus ecclesiastici sententia. Sed haec regiminis forma immutata est occasione schismatum, & ad unum delata omnis sollicitudo est.

III. Ex dictis facile dignosci poterunt ea omnia, quae Episcopalis & juris, & officii sunt. Episcoporum officia Pontificale Romanum explicat his verbis = *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.* = Praecipuum Episcoporum munus est evangelii praedicatio. Unde sacra Synodus Tridentina (a) statuit, & decrevit, = *Omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios ecclesiarum Praelatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Jesu Christi evangelium.* Rursus: (b) =*Praedicationis munus, quod Episcoporum praecipuum est, cupiens sancta Synodus quo frequentius possit ad salutem fidelium exerceri, mandat, quod in ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitime impediti fuerint, per eos, qui praedicationis munus assumunt, in aliis autem ecclesiis per Parochos.... sacram Scripturam, divinamque legem annuncient.*= Dotes vero, quibus praefulgere debent Episcopi, enumeravit Apostolus (c) = *Oportet*, inquit, *Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere* =.

IV. Jurisdictionem ampliſſimam cum in plebem Christianam, tum in ipsum Presbyterorum, clerique totius collegium divinitus Epis-

(a) Conc. Trident. sess. 5. de reform. cap. 2.
(b) Idem Concil. sess. 24. de reform. cap. 4.
(c) Ad Titum cap. 1.

Epiſcopis conceſſam fuiſſe, fidelium neminem latere poteſt. Ad quae autem ſe extendat eorum poteſtas, quoſque limites, & fines habeat tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, Concilia generalia, & ſummi Romani Pontifices Epiſcoporum Epiſcopi, & totius eccleſiaſtici ordinis ſupremi hierarchae, decretis quamplurimis, & conſtitutionibus declaraverunt. Hinc nemini grave videri poſſe arbitramur, ſi ad ſanctae hujus Anagninae Eccleſiae regimen licet immerentes evecti divina providentia, & apoſtolicae Sedis gratia, quas Patrem, Doctorem, Paſtoremque animarum decere nullus dubitat, honoris aliquas, ac reverentiae teſtificationes Nobis vindicemus.

V. Cum nos concionem habemus ad populum, in nulla alia ejus loci eccleſia, etiamſi exempta eadem ſit, aut Regularis eodem tempore concio habeatur, aut divina celebrentur officia.

VI. Cum Pontificio ritu ſolemniter Miſſam celebramus eodem die nemo in eodem altari abſque noſtra licentia ſacra operetur (a).

VII. Quaemadmodum in cathedrali, ita & in alio quolibet etiam regularium templo Epiſcopale ſolium ſi collocandum ſit (b), in eminentiori ſtatuatur loco, & ad illum per tres ſaltem gradus aſcendatur, ut Epiſcopus in conſeſſu Presbyterorum cum iis omnibus dignitate, & poteſtate major ſit, ſublimior quoque ſedeat.

VIII. Quoties ad cathedralem Eccleſiam cappa induti erimus acceſſuri (c), ut vel in miſſa celebranda, vel in divinis peragendis officiis Pontificalia exerceamus, dignitates, canonici, ceterique de capitulo a Nobis moniti ad noſtrae reſidentiae aulam propriis quilibet inſignibus induti capitulariter accedant, ut Nos ad cathedrale Templum deducant; abſolutiſque eccleſiaſticis functionibus eodem comitatu ad januam Eccleſiae, ut hic mos eſt, deducant. Praeterea Nobis Pontificalia exercentibus ii de capitulo, ac de noſtrae dioeceſis clero ſacris ornati indumentis aſſiſtant, qui ad id juxta caeremonialis (d) epiſcoporum praeſcriptum, ac laudabilem noſtrae cathedralis Eccleſiae conſuetudinem, tenentur.

IX. Et quia ad cathedrae Epiſcopalis honorem accedit etiam

(a) Canon. *In Altari.* de conſecr. diſt. 5. Concil. Provinc. Mediolan. 3.

(b) Canon. *Epiſcopus in eccleſia* diſt. 95. & Canon. *Mulier debet* cauſ. 3. qu. 5.

(c) Caerem. Epiſc. lib. 1. cap. 15. S. 8.

Rit. Congr. in Jecenſi anni 1629., & in Ripana 24. Octob. 1609., & S. C. C. Epiſc. in Theleſina 24. Maii 1619.

(d) Caeremon. Epiſc. lib. 1. cap. 7.

penſum illud ab inferioribus Eccleſiis, ſeu beneficiariis Eccleſiae principis moderatori in ſignum ſubjectionis quotannis ſolvendum (a), quod *ſinodaticum*, ſeu *cathedraticum* appellari conſuevit, ab omnibus proinde Eccleſiis ſaecularibus, & quibuſcumque Parochis, & ab obtinentibus beneficia, ſeu eccleſiaſticas perpetuas cappellanias, etiam juriſpatronatus laicalis, nec non ab laicorum confrarernitatibus ordinaria auctoritate erectis, propriamque Eccleſiam poſſidentibus, illud Nobis, ſive Epiſcopali noſtrae cathedrae, quacumque contraria conſuetudine etiam immemorabili non obſtante, in conſueta, ſeu alias a jure praefinita quantitate ſingulis annis ſolvendum omnino jubemus; eos vero, qui hac in re proprio defuerint muneri, unica citatione cum praefixione termini quinque dierum ad ſolvendum monebimus; eoque elapſo termino abſque nova citatione in contumaces mandati executivi expeditionem decernemus, & ad ejuſdem mandati executionem procedemus (b).

X. Quod etiam ex diſpoſitione Concilii Tridentini (c) Epiſcopalis juris ſit tenuitati beneficii, cui animarum adnectatur cura, unione aliorum beneficiorum providere, omnibus notum eſſe volumus, ne umquam iſtius facultatis uſus illegitimus habeatur. Siquidem poteſtas haec ſtatutis praememorarae oecumenicae Synodi, aliorumque ſacrorum canonum ſanctionibus innititur; quibus obſequentes Epiſcopi univerſi, quotieſcumque parochialium reddituum inſufficientia id expoſtulet, beneficia vacantia quolibet anni menſe exiguis paraecialibus proventibus addunt, quaemadmodum & Nos ipſi in ſubſidium Matricis Eccleſiae Terrae Valliſpetrarum, nemine contradicente, ſemel jam fecimus; idem prorſus in conſimilium circumſtantiarum ſerie ubique dioeceſis noſtrae deinceps peracturi.

XI. Ut presbyteri, ceterique Eccleſiae miniſtri populique noſtrae dioeceſis, ac plebes reverentiae, amoris, atque obedientiae proprio debitae Paſtori memoriam animo alte defixam ſervent, audiant ſanctum Clementem Papam (d) = *Qui ſuis Epiſcopis non obediunt, indubitanter rei, & reprobi exiſtunt. Porro ipſi a Deo donum ſummi*

(a) Can. *Placuit* 1. cauſ. 10. qu. 3. cap. *Conquerente*. 15. de offic. jud. ord. Conc. Rom. tit. 8. cap. 4.

(b) Congr. particularis a Clem. XII. deputat. 5. Octob. 1731. relata a Benedict. XIV. de Syn. dioeceſ. lib. 5. cap. 7. num. 9.

(c) Conc. Trid. c. 5. ſeſſ. 20. & c. 13. ſeſſ. 24. de reform.

(d) Can. *Qui ſuis Epiſcopis*. 9. dist. 93.

mi muneris conſequuntur, qui per juſtitiae, & praeceptorum ejus ſemitas incedentes, Doctoribus ſuis, qui recte Epiſcopi intelliguntur, libenter obediunt. = Audiant S. Evariſtum Papam (a) = *Epiſcopum oportet opportune, & importune, atque ſine intermiſſione Eccleſiam ſuam docere, eamque prudenter regere, & amare, ut a vitiis ſe abſtineat, & ſalutem poſſit conſequi aeternam ... Illa vero cum tanta reverentia ejus doctrinam debet ſuſcipere, eumque amare, ac diligere, ut legatum Dei, & praeconem veritatis*: = Audiant Tridentinam Synodum. (b) = *Epiſcopis ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par eſt, eiſque in choro, & in capitulo, in proceſſionibus, & aliis actibus publicis ſit prima ſedes, & locus, quem ipſi elegerint, & praecipua omnium rerum agendarum auctoritas.* = Ut autem populi filiale erga ſuum antiſtitem oſtendant obſequium, a Parochis moneantur (c), ut Epiſcopo ſuo occurrentes, genua reverenter ad terram flectant paſtoralem accepturi benedictionem. Ne quis vero Epiſcopum ſuum (quod abſit) perſequatur, aut perſonaliter laedat, Parochi populis graves poenas edicant in ſacris canonibus (d) adverſus tam grave facinus perpetrantes conſtitutas; ut quos delicti atrocitas non terret, poenarum ſaltem compeſcat acerbitas.

XII. Denique cum in conſtitutionibus Anagninae hujus noſtrae Eccleſiae cap. XXVII. n. 1. ſtatutum ſit, ut Archivium, in quo ſcripturae antiquae, inſtrumenta, privilegia, conſtitutiones ac jura inter Epiſcopum, & capitulum communia ſervantur, juxta immemorabilem uſum duabus clavibus, quarum altera per Epiſcopum, altera per Praepoſitum ſerventur, atque his tertia addatur, quae per Archiviſtam a capitulo deputandum cuſtodiatur, Nos, qui uſque modo praedicti Archivii clavem non habuimus, infra dnos menſes a publicatione hujus Synodi Nobis tradendam eſſe diſtricte mandamus.

XIII. De obſequiis a Magiſtratibus, ſive locorum omnium dioeceſis, ſive etiam hujus civitatis Epiſcopali noſtrae dignitati praeſtandis, quoties ſtatutis recurrentibus diebus Pontificaliter divina agere, ſacriſque intereſſe voluerimus, quid Romano conſtitutum fuerit

Z z 2 decre-

(a) C. *Sicut vir.* 4. [qui S. Evariſto adſcribitur] cauſa 7. quaeſt. 1.
(b) Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 7.
(c) Caerem. Epiſc. lib. 1. cap. 4.
(d) Clement. 1. de poenis cap. *Perve nit.* de ſent. excommun. Bulla in Coena Domini can. 11.

decreto, quaeſtionem movente Fanenſi Magiſtratu adverſus illius civitatis Epiſcopum, in Appendice num. XXVI. exhibebimus.

XIV. Neque reticendum modo eſſe cenſemus, numquam poſſe acta capitularia Epiſcopo denegari; & ne jus hoc Epiſcopale in dubium revocetur, in appendice Synodi, quam celebramus, tranſcripta apponentur ab illa Synodi Fulginatenſis an. MDCCXXII. pag. XLIV. juris iſtius firmiſſima, & perſpicua monumenta num. LII.

§. XXIII.

De Rebus eccleſiae non alienandis, ſed cuſtodiendis.

Omne, quod Domino conſecratur ..... non vendetur, nec redimi poterit: quidquid fuerit ſemel conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino = Levitici cap. XXVII. verſ. 28.

I. CEleberrimum illud Tridentinae Synodi decretum in omnium memoriam revocamus, quo in bonorum eccleſiaſticorum uſurpatores ita ſtatuitur = *Si quem clericorum, vel laicorum, quaeumque is dignitate etiam imperiali, aut regali praefulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus Eccleſiae, ſeu cujuſvis ſaecularis, aut regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, cenſus, ac jura etiam feudalia, & emphiteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſcumque obventiones, quae in miniſtrorum, & pauperum neceſſitates converti debent, per ſe, vel alios, vi, vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas clericorum, aut laicorum, ſeu quocumque arte, aut quocumque quaeſito colore, in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare praeſumpſerit, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu juriſdictiones, bona, res, jura, fructus, & redditus, quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione ſuppoſitae perſonae pervenerint, Eccleſiae, ejuſque adminiſtratori, ſive beneficiato integre reſtituerit, ac deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerit. Quod ſi ejuſdem Eccleſiae Patronus fuerit, etiam jurepatronatus ultra praedictas poenas, eo ipſo privatus exiſtat. Clericus vero, qui neſandae fraudis & uſurpationis hujuſmodi fabricator, ſeu con-*

conſentiens fuerit, eiſdem poenis ſubjaceat, nec non quibuſcumque beneficiis privatus ſit, & ad quaecumque alia beneficia inhabilis efficiatur, & a ſuorum ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, ſui ordinarii arbitrio ſuſpendatur = (a). Haec autem excommunicatio major Romano Pontifici reſervata, & ipſo facto incurrenda, quam adverſus uſurpantes eccleſiaſtica bona Tridentina Synodus inflixit, in Bulla caenae innovata fuit, & ſpeciali modo Romanis Pontificibus iterum reſervata.

II. Praeterea, ii omnes, ad quos pertinet, illud omni vi, ſtudioque contendant (b), ut eccleſiaſticorum bonorum gubernatio viris providis idoneis, ac boni teſtimonii committatur, qui ſciant, velint, & valeant loca, bona eorum, & jura utiliter agere, & eorum proventus, & redditus in perſonarum miſerabilium uſum fideliter diſpenſare & de quibus in uſus alios bona praedicta convertere ipſos velle praeſumptio veriſimilis non exiſtat. Quicumque vero Eccleſiarum, piorumque locorum curam, atque adminiſtrationem ſuſcipiunt, ex decreto Concilii Viennenſis (c) inſtar tutorum, & curatorum juramentum praeſtare de fideliter adminiſtrando, & pariter de locorum ipſorum bonis inventaria conficere, & Ordinariis, ſeu aliis, quibus loca hujuſmodi ſubſunt, vel deputandis ab eis quotannis, de adminiſtratione rationem reddere teneantur.

III. Cum res, & bona eccleſiaſtica, ſacriſque uſibus addicta, *peccatorum pretium*, & *Chriſti*, ac *pauperum patrimonium* in ſacris canonibus nuncupentur, (d) recta ratio ſuadet, ut perpetuo in Chriſti ſerventur aerario, adeoque ſumma religione, integritate, diligentiaque adminiſtrentur. Propterea ſub graviſſimis per ſacros canones, ac Pontificias conſtitutiones ſtatutis poenis diſtricte interdicimus Eccleſiis, beneficiorum, locorumque piorum rectoribus, poſſeſſoribus, adminiſtratoribus eorumdem bona immobilia, aut mobilia pretioſa, quae ſervando ſervari poſſunt, vendere, alienare, vel quomodocumque obligare (e), etiam cum clauſula *reſervato beneplacito*

(a) Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de reform.
(b) Clem. V. in Conc. Viennenſi.
(c) Clem. V. in cit. Conc. Viennenſi relat. in Clementina *Quia contingit.* de relig. domib.
(d) Benedict. XIV. conſt. *Univerſalis* Bullar. tom. 1., & de ſyn. lib. 7. cap. 2. num. 12.
(e) Cap. *Nulli.* de reb. eccleſ. non alien. Paul. II. in extravag. *Ambitioſae* de reb. eccleſ. non alienan. Urb. VIII. conſt. *Romanus Pontifex*.

to apoſtolico, quatenus opus ſit; niſi vere idem beneplacitum prius acceſſerit. Mobilia vero non pretioſa, (a), aut quae ſervando ſervari non poſſunt, aliaque etiam immobilia, ſed modici valoris, cujuſmodi ſunt praediola, & vineolae, quae viginti quinque ducatorum, vel quadraginta circiter Romanorum ſcutorum valorem non excedunt, ac proinde auctoritate ordinaria alienari de jure poſſunt, ſine noſtra, vel Vicarii noſtri generalis licentia in ſcriptis prius obtenta, diſtrahere, permutare, aut quomodolibet obligare ne audeant ſub poenis nullitatis contractus, aliiſque arbitrio noſtro infligendis. Hic autem nolumus auctoritatem noſtram coarctare ſtrictius quam exigant in hac noſtra dioeceſi conſuetudines legitime introductae, & nunc etiam tempotis vigentes.

IV. Bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratores, ipſique beneficiati ex Eccleſiarum, ſeu ſuorum beneficiorum (b) vineis, viridariis, ac ſylvis, vites, quercus, arbores, aut quid ſimile fructiferum quocumque praetextu excidere, aut evellere non audeant, ſub poenis in *extravaganti Ambitioſae* contentis. Excipimus tamen ab hac prohibitione ſylvas (c) caeduas, nemora, arundineta, aliaſque arbores, quarum fructus fere totus in earum exciſione ſitus ſit, & quae exciſae renaſcuntur, & quarum amputatione nulla ratione fundus ſit deterior; quaemadmodum excipiuntur etiam argillae, aut alterius materiae fodinae, quarum ſola effoſſio utilis domino eſt; rerum enim iſtarum caeſio, & effoſſio inter praediorum fructus recenſetur, de quibus diſponere licet. At in iis etiam caſibus, in quibus caedendae ſunt arbores, quas infructiferas eſſe contenditur, licentia noſtra requiratur; quam tamen conceſſuri non erimus niſi nobis conſtiterit, & arbores vere eſſe infructiferas, & nullum ex earum detrunc atione neque tunc, neque in poſterum vel Eccleſiae, vel beneficio vel alteri pio operi detrimentum eſſe obventurum. Quibuſcumque etiam dictorum bonorum colonis interdicimus, ſine rectorum, vel procuratorum licentia fructus colligere, aut collectos triturare, aut ab areis, aliiſve locis, niſi facta prius eorum cum dominis portione, amovere.

V. Cum

(a) Can. *Hoc jus.* cauſ. 10. qu. 2. can. *Terrulas.* cauſ. 12. qu. 25. C. C. 11. Januar. 1596. & in Maſſanen. 14. Dec. 1613.

(b) Extravag. *Ambit.* cit. de reb. eccleſ. non alien. §. *Si Titius.* Inſtit. de rerum diviſione C. *Adeo.* ff. de acquir. rer domin. L. *Aequiſſimum* §. *Uſusfructus* ff. de uſu.

(c) L. *Sylva caedua.* & L. *Divortio.* §. *Si vir.* ff. ſoluto Matrimonio.

V. Cum tranſactiones ſint ſpecies quaedam alienationis, cum in iis ſemper ex utraque parte aliquid detur, & aliquid accipiatur; idcirco ſevere, & ſub poenis nullitatis, aliiſque canonicis poenis, prohibemus, ne jurium, rerumque eccleſiaſticarum, de quibus controverſia oriatur tranſactiones fiant, niſi impetrata prius Apoſtolicae Sedis, aut Noſtra in caſibus a jure permiſſis, facultate, ſervatiſque iis, quae a jure canonico (a) ſervari jubentur; vetamus etiam, ne quis ſine legitima cauſa, nobiſque inconſultis repudiare audeat haereditates, donationes, ac legata, quae piis locis fiunt, etiamſi a conditione futura, &, ut ajunt, *eventuali* pendeant. Si Eccleſiae, aut loci pii rector, ſeu adminiſtrator ſecus egerit, a Nobis cogetur aere ſuo reparare quidquid detrimenti ex hujuſmodi repudiatione in Eccleſiam, vel locum pium redundaverit.

VI. *Sicut Eccleſia perpetuae religionis, & fidei mater eſt, ita decet, ut ejus patrimonium jugiter ſervetur illaeſum*, = ut optime ajebat Leo Auguſtus (b). Quapropter beneficiatis, & quibuſcumque bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratoribus, ſub interminatione divini judicii praecipimus (c), ne ipſorum culpa aut incuria aedificia, quae ad Eccleſias ſeu loca pia ſpectant, ruinam, aut detrimentum patiantur, ſed ſarcta tecta cuſtodiantur; & ſi reparatione indigent, opportune repatentur; praedia vero ſi inculta fuerint, excolantur; enata, vindicentur; poſſeſſa, augeantur; periculo obnoxia, defendantur; deperdita demum, ſi ſpes aliqua recuperationis effulgeat, in judicio inſtructa lite, recuperentur. Si qui ſint moroſi Eccleſiarum, locorumque piorum debitores, adhibitis opportunis juris, factique remediis ad debiti ſolutionem compellantur. Quod ſi decurſu temporis comperiatur, adminiſtratoris alicujus culpa Eccleſiae bona deperiſſe, aut aliqnem Eccleſiae debitorem ſuo quidem tempore fuiſſe ſolvendo, ſed non adhibita tunc adverſus illum opportuna ab adminiſtratore diligentia, ſolvendo imparem mox factum fuiſſe, damna quaecumque Eccleſiis, aliiſve locis piis illata proprio adminiſtratoris aere reſarciantur, quemadmodum tutoribus (d) publiciſque procuratoribus jura diſerte praeſcribunt. VII. Cum

(a) Cap. *Statutum*. de Tranſactionibus.

(b) Leo Imperator in L. *Jubemus*. 14. cod. de ſacroſanctis Eccleſiis.

(c) Can. 1. & ſeq. cauſ. 16. qu. 6. & cap. 1. de praeſcript.

(d) L. *Si Tutor*. ff. de adminiſtr. Tutor, & L. *Miſſi opinatores* cod. de exactribut. lib. 10.

VII. Cum bonorum ecclesiasticorum locatio (a) ultra triennium utile, in jure esse alienatio censeatur, adeoque sine apostolico beneplacito sub poenis in *extravaganti Ambitiosae* contentis fieri nequeat, duo hic declaramus: primum nomine *trienni utilis* tres fructuum annos intelligi; quare si fructus semel dumtaxat biennio quolibet ex fundo locato percipiantur, jam sine apostolico beneplacito ad sex annos locari fundus poterit (b), ut trina fructuum collectio, adeoque triennium utile habeatur. Declaramus deinde illicitam esse, atque invalidam, dolosam illam locationem ad triennium, quae sub ea conditione fit, ut si ultimis mensibus partes quiescant, & nihil innovent, nova locatio ad aliud triennium facta censeatur, & sic deinceps. Quare qui hoc pacto locationis contractum super ecclesiasticis bonis sine apostolico indulto ineunt, poenas procul dubio in eadem constitutione *Ambitiosae* (c) statutas incurrunt. Elapso itaque triennio utili, beneficiati, & Ecclesiarum rectores, seu administratores nullo modo patiantur conductores tacite in conductione perseverare, sed vel a re conducta expellant, vel per publicas scripturas locationem ad aliud triennium stipulent; qui secus fecerint, poenas subibunt arbitrio nostro infligendas.

VIII. Ut Ecclesiis hae bonorum locationes prosint, volumus, ac mandamus, ut ne ad triennium quidem fiant, nisi publicis edictis, dataque omnibus libera conducendi facultate, ut ea offerentis conditio eligi possit, quae melior, atque utilior videatur. Oblationum autem, quae tradentur, schedulae, sive bona ad canonicos, aut beneficiatos nostrae cathedralis, vel aliarum collegiatarum civitatis & dioecesis spectent, sive bona sint vel Parochialis Ecclesiae, vel beneficiorum simplicium, vel confraternitatum, aliorumve piorum locorum, aperiantur coram Vicario nostro generali; plus vero offerenti, ideſt meliorem facienti locorum piorum conditionem, locatio decernatur, qui tamen idoneam dabit fidejussionem, si solvendo minus par esse videatur. Si secus fiat, canonicus, rector, beneficiarius,

(a) Cap. *Nulli licet.* & cap. *Ad audientiam* de rebus eccles. non alienandis.

(b) Rota Romana in Tiburtina *Affictus* 19. Jun. 1648.

(c) Extrav. *Ambitiosae.* cit. Trident. sess. 25. de reform. cap. 11. Clement. I. de rebus eccles. non alien. cap. *Ad audientiam.* eod. titulo cap. *Querelam.* 4. ne Praelati vites suas. cap. *Si gratiosa* de rescriptis in 6. l. 4. ff. locati, & conducti.

rius, ſive adminiſtrator poenam pecuniariam arbitrio noſtro luet, illi applicandam Eccleſiae, cujus bona, non ſervata hac forma, locaverit.

IX. Locationes rerum eccleſiaſticarum ultra triennium utile (idem de earum alienationibus dicendum eſt) factae (a) cum clauſula *reſervato Apoſtolico aſſenſu* nullae ſunt, & invalidae, ſi ante Apoſtolici indulti conceſſionem poſſeſſio earumdem rerum conductori tradatur, aut ſi in locationis contractu clauſula *Conſtituti* ponatur, quae (b) vim habet transferendi in conductorem poſſeſſionem rei locatae. Imo & concedentes, & poſſeſſores tamquam intruſi, excommunicationis poenam in Pontificiis Conſtitutionibus conſtitutam ſubeunt. Nullas etiam, & invalidas Tridentina Synodus (c) eas locationes declaravit, quibus repraeſentata pecunia, & anticipatis ſolutionibus res eccleſiaſticae in ſucceſſorum perniciem privata auctoritate locantur; neque lapſu temporis convalidari eaedem poſſunt, niſi notoria Eccleſiae neceſſitate exigente, praeviaque noſtra licentia initae fuerint.

X. Eccleſiarum, oratoriorum, aliorumve locorum piorum adminiſtratores pecuniam Eccleſiae, ſeu loci pii, cujus adminiſtrationem gerunt, aliave ejuſdem bona in proprios non convertant uſus (d), etiamſi animum habeant omnia integre ſolvendi, aut ſuo tempore reſtituendi; imo ne aliis quidem, quicumque ii ſint, mutuo dent, etiam accepto pignore. Qui ſecus fecerint, gravibus mulctabuntur poenis, atque ab omni eccleſiaſticarum rerum adminiſtratione amovebuntur. Sub nullitatis poena (e), aliiſque gravibus arbitrio noſtro imponendis diſtricte prohibemus, ne res eccleſiaſticae locentur, multoque magis ne dentur in emphyteuſim iis, qui ſunt conſanguinei, aut affines uſque ad tertium gradum incluſive beneficiatorum, rectorum, adminiſtratorum, vel patronorum, etiam per

(a) Extrav. *Ambitioſae* Urban. VIII. conſtit. *Humanae ſalutis* 11. §. 2. decretum Clementis VIII. ad Archiepiſcopum Neapolit. 17. Dec. 1599.

(b) Leg. *Quidam* de rei vindic.

(c) Trid. ſeſſ. 25. de reform. cap. 11., & canon. *De precariis* cauſ. 10. q. 2. ſac. Cong. Conc. in Parmen. 7. Octob. 1602. ad 4.

(d) Cap. *Cum laicis* de reb. eccleſ. non alienan. cap. 2. titulo *Ne clerici, vel monachi*. S. Carolus in Conc. Provin. Mediolan. 11. hoc titulo.

(e) Alexander VII. conſtit. *Superno* 23. Apr. 1657. S. Cong. Conc. in Parmen. 7. Octob. 1602., & de mandato Alexandri VII. 15. Dec. 1663.

ſuppoſitas perſonas, vel nomina, niſi noſtra in ſcriptis acceſſerit licentia; quam ſane largituri non erimus, niſi id in evidentem Eccleſiae, aut loci pii utilitatem cedere deprehenderimus. Bona eccleſiaſtica (a), quae valorem excedunt quadraginta ſcutorum, non dividantur in partes, ut facilius alienationis licentia impetrari poſſit, neque eorum locationes, contractus emphyteutici, & conceſſiones ad meliorandum fiant cum dominis finitimis, ne eorum confundantur confinia, & inde jurgia, ac lites exurgant. Quod ſi id fieri vel neceſſitas cogat, vel ſuadeat utilitas, noſtraque acceſſerit licentia, in contractus inſtrumento agrorum fines exactiſſime deſcribantur.

XI. Bona eccleſiaſtica, quae in emphyteuſim jam dari conſueverunt, ſine novo etiam Apoſtolico indulto in emphyteuſim iterum dari permittimus (b), dummodo tres iſtae ſerventur conditiones: 1. ut vel per duas alienationes cum quadraginta annorum lapſu, vel per unam ſolemniter factam probetur in noſtra curia, dari in emphyteuſim conſueviſſe ea bona, de quibus quaeſtio eſt: 2. Ut dicta bona non ſint iterum Eccleſiae unita, &, ut ajunt, incorporata. 3. Ut non aliter in emphyteuſim dentur, quam dari conſueverunt, meliorata videlicet Eccleſiae conditione. Praeterea ſi bona ejuſmodi eccleſiaſtica in emphyteuſim conceſſa per caducitatem ad Eccleſiam fuerint devoluta, nullo pacto (c) beneficiati, atque adminiſtratores Nobis inconſultis audeant caducitatis poenam remittere, niſi canonicam ſentire velint animadverſionem. Nefas enim eſt, ut etiam in iis acquirendis, quae ipſo jure tranſeunt, ullum Eccleſiae, aut loco pio afferant detrimentum. Nulli pariter liceat, ſive Eccleſiae, aut loci pii rector ſit, ſive adminiſtrator, ſine noſtra in ſcriptis impetrata facultate, mobilia eccleſiae bona, ac praeſertim vaſa ſacra oppignorare; quam tamen facultatem conceſſuri numquam erimus, niſi graviſſima, nec alia ratione reparabilis urgeat neceſſitas.

XII. Ut autem nulla prorſus Eccleſiis, ut locis piis in emphyteuſis

(a) Sac. Cong. Conc. in cit. Parmen. 7. Octob. 1602. ad primum approbante Clemente VIII. in Syn. Oddi 1762. tit. 3. cap. 4. n. 5.

(b) Extrav. *Ambitioſae* cit.

(c) Urban. VIII. in conſt. *Humanae ſalutis* 1. Nov. 1625., & L. final. cod. de ſacroſanctis Eccleſiis.

theuſis conceſſione fraus fiat, obſequentes mandato (a) Concilii Romani habiti ſub Benedicto XIII., praecipimus 1., ut immobilia quaecumque Eccleſiarum, ceterorumque piorum locorum bona, numquam in emphytheuſim etiam non perpetuam concedantur, niſi evidens plane, & quae in noſtra curia probetur, concurrat earumdem Eccleſiarum, vel piorum locorum utilitas, aliaque omnia ſerventur, quae in extravaganti *Ambitioſae* demandantur, ac praeterea, niſi noſtrum emanaverit decretum; cui ſemper haec adjungetur clauſula = *Ut conceſſio in emphytheuſim fiat abſque ſpe renovationis, & ut expleto conceſſionis tempore, bona ipſa cum ſuis membris, juribus, & pertinentiis univerſis, necnon, & melioramentis deſuper pro tempore quomodolibet factis, ad Eccleſias, & loca pia, ad quae ex directo dominio pertinent, ad eorum diſpoſitionem, pleno jure, atque omnino libera, vacua, & expedita relinquantur* =. 2. Ne hujus in emphytheuſim conceſſionis occaſione aliquid pro laudemio, ſeu primo, ut ajunt, ingreſſu a quoquam recipiatur, ex quo Eccleſiae, piiſque locis praejudicium fiat, vel juſtus annui canonis valor decreſcat, aut imminuatur; ſi ſecus fiat, contractus ſit ipſo jure nullus. 3. Ne completo conceſſionis tempore, aut alio adveniente devolutionis caſu, emphytheuſis ad ejuſdem emphytheutae, ſuaeve familiae, vel haeredum favorem renovetur, niſi rite, & recte probata, uti ſuperius diximus, legitima adſit conſuetudo renovandi, aut niſi Apoſtolica ad id indulta, ſeu privilegia expreſſe conceſſa reperiantur. Volumus enim, ut Eccleſiis, lociſque piis liceat bona alias in emphytheuſim conceſſa, & inde devoluta, pro ſe ſi velint libere retinere, propriiſque aliis bonis incorporare; nec ullo jure a quoquam ſub quovis praetextu, ſeu ex quacumque cauſa ad conceſſiones renovandas cogi poſſint; ſalva tamen Alexandri III. Conſtitutione (b), ubi ex acquitate duntaxat terras illas, quae de ſylvis extirpatis ſunt arabiles factae, ſub annuo cenſu iis haereditario jure iterum tradi poſſe indulget, a quibus ipſas ſuo, vel parentum ſuorum labore conſtiterit fuiſſet extirpatas, niſi forte aliis poſſent cum majori utilitate concedi.

(a) Concil. Roman. tit. 19. cap. unic. (b) Cap. *Ad aures* de rebus eccleſ. non alien.

XIII. Inhaerentes Conſtitutioni Sixti V. editae anno MDLXXXVII. ac decreto Concilii Romani tit. II. cap. I. ſub poenis in eodem Concilio Romano ſtatutis, videlicet *interdicti* contra capitula, & collegia, *ſuſpenſionis* contra clericos ſacris ordinibus initiatos, & *excommunicationis* contra laicos, & reliquos clericos in minoribus conſtitutos; capitulis, collegiis, atque Eccleſiarum, ac beneficiorum etiam ſimplicium, & de jure patronatus rectoribus, omnibuſque hoſpitalium, confraternitatum, congregationum, ceterorumque locorum quomodolibet etiam exemptorum adminiſtratoribus diſtricte praecipimus, ut infra annum ab hujus noſtrae Synodi promulgatione bonorum omnium quavis ratione ad eadem capitula, collegia, hoſpitalia, confraternitates, & congregationes, pertinentium, quorum cura ipſis, ſeu in communi, ſeu in particulari commiſſa reperiatur, legale inventarium perficiant, perfectumque Nobis exhibeant in archivio noſtro Epiſcopali ſervandum, cujus tamen exemplar aliud authenticum apud ſe retineant in particulari cujuslibet Eccleſiae, aut loci pii archivio collocandum. In eo autem perficiendo inventario methodus, atque inſtructio ſervetur, quam a Concilio Romano praeſcriptam damus in appendice n. VI. Volumus quoque, & mandamus, ut ſingulis ſaltem decenniis inventaria hujuſmodi renoventur (a).

§. XXIV.

(a) Vide in eruditiſſima Synodo eccleſiae Tuſculanae an. 1763. par. I. cap. 20. pag. 217.

§. XXIV.

De Judicibus, Examinatoribus, & Teſtibus ſynodalibus.

Judices, & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi . . . . , ut judicent populum juſto judicio. Deuteronomii cap. XVI. verſ. XVIII. *Miſtè viros, qui conſiderent terram . . . . , quam daturus ſum filiis Iſrael . . . . Miſit ergo eos Moyſes . . . . , & dixit ad eos . . . . . Conſiderate terram, qualis ſit, & populum, qui habitator eſt ejus, utrum fortis ſit, an infirmus . . . . . ipſa terra bona, an mala: urbes quales muratae, an abſque muris: humus pinguis, an ſterilis, nemoroſa, an abſque arboribus?* Numerorum cap. XIII. verſ. III. XVIII. XIX., & XXI.

I. COnſulto ſacro Concilio Tridentino ſtatutum eſt, ut Epiſcopus eligat in ſingulis Conciliis dioeceſanis cum conſilio dumtaxat Synodi, (licet non accedat ipſius conſenſus) = *aliquot perſonas, quae qualitates habeant juxta Conſtitutionem Bonifacii VIII., quae incipit*, Statutum, *& alioquin ad id aptas, ut praeter Ordinarios locorum, iis etiam cauſae eccleſiaſticae, ac ſpirituales in partibus delegandae committantur; & ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, alium cum conſilio ipſius capituli in ejus locum ſubſtituat uſque ad futuram dioeceſanam Synodum: ita ut habeat quaeque dioeceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac ut ſupra qualificatas, quibus hujuſmodi cauſae . . . . . committantur . . . . , quam deſignationem ſtatim Epiſcopi ad ſummum Romanum Pontificem tranſmittant* = (a). Qualitates vero, quae in Bonifaciana Conſtitutione indicantur, illae ſunt, ut ejuſmodi ſcilicet perſonae in eccleſiaſtica dignitate ſint conſtitutae, vel ſaltem perſonatum, vel canonicarum obtineant in cathedrali Eccleſia (b). Nos igitur mandatis Concilii Tridentini obſequentes, & praeterea commodo regularium proſpicientes, ut ipſi cum hoc requiſito proprios conſervatores eligere poſſint juxta Gregorii XV.

(a) Concil. Trident. cap. 10. ſeſſ. 25. de reform. (b) Cap. *Statum* de reſcrip. in 6.

gorii XV. Conſtitutionem (a), infraſcriptos declaramus, & conſtituimus judices ſynodales, iiſque praecipimus in diſcuſſione cauſarum delegatarum cancellarium curiae Epiſcopalis adhibere (b).

JUDICES SYNODALES.

Rmus D. Camillus Campanelli Vicarius Generalis, J. V. D., ac Prothonotarius Apoſtolicus.

Rmus D. Johannes Baptiſta de Comitibus Eccleſiae Cathedralis Praepoſitus, J. V. D., ac Prothonotarius Apoſtolicus.

Admodum Rev. D. Joſeph Antonius Gigli ejuſdem Eccleſiae Canonicus, antiquior, ac Prothonotarius Apoſtolicus.

Adm. Rev. D. Magnus Antonius Giuſti ejuſdem Eccleſiae Canonicus, ſacrae Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Paulus Leggi ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Carolus Magnus Anzellotti ejuſdem Eccleſiae Cathedralis Canonicus.

Adm. Rev. D. Johannes Baptiſta Romiti ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Johannes Laurentius Fioravanti ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Joſeph Fratazj ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Clemens Coletti ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Carolus de Magiſtris ejuſdem Eccleſiae Canonicus, ac J. U. D.

Adm. Rev. D. Gregorius Lauri ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Nicolaus Corazzi ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Vincentius Magni ejuſdem Eccleſiae Canonicus, ac ſacrae Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Laurentius Favali ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Dominicus Ceſari ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Joſeph Colantoni ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Julius Gigli ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Cajetanus Ambroſetti ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

Adm. Rev. D. Vincentius Favalli ejuſdem Eccleſiae Canonicus.

II. Sacro-

(a) Gregor. XV. in conſtitut. 9. *Sanctiſſimus*.

(b) Sac. Cong. Conc. in Alban. 15. Jan. 1656.

II. Sacroſancta eadem Tridentina Synodus jubet inſuper & mandat, ut Epiſcopus in dioeceſana Synodo examinatores eligat ad minus ſex (non plures viginti juxta ſacrae Congregationis declarationem (a), qui autem ſint = *magiſtri, ſeu doctores, aut licentiati in theologia aut jure canonico, vel alii clerici, ſeu Regulares, ... aut etiam ſaeculares, qui ad id videbuntur magis idonei: jurentque omnes ad ſancta Dei evangelia, ſe quacumque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros: caveantque ne quidquam prorſus occaſione hujus examinis nec ante, nec poſt accipiant; alioquin ſimoniae vitium tam ipſi, quam alii dantes incurrant* = (b). Arbitrio tamen Epiſcopi permittit ipſa Tridentina Synodus, ut in examinatorem eligendum proponat, vel eum qui nullo condecoratus gradu eſt = *Ex quo fit* (ait Bened. XIV.) *ut etiamſi plures in dioeceſi reperiantur doctoratus laurea inſigniti, nihilominus Epiſcopus ..... poterit cum Synodi approbatione aliis ſive ſaecularibus, ſive regularibus examinatoris officium committere* = (c). Examinatorum ſynodalium officium durat uſque ad novam Synodum, dummodo ſex ad minus ſuperſint. Intra vero annum ab ultima celebratione poterit Epiſcopus alios in locum defunctorum ſubrogare cum praedictis requiſitis (d), & accedente conſenſu majoris partis capituli, ne ſenarius numerus deficiat; poſt annum altera non celebrata Synodo = *officium omnium examinatorum ſynodalium ſubrogatorum expiret* = (e), nec alii ſubrogari poſſunt (prout neceſſe eſt ad validum experimentum concurrentium ad vacantes Eccleſias parochiales) ſine facultate ſacrae Congregationis Concilii (f). Capitulum vero ipſum ex juſtitia adprobare tenetur quos Epiſcopus elegerit ac proponat, ut ſenarium examinatorum numerum compleat, quoties praeſcriptis a Tridentino qualitatibus praediti fuerint; quod ſi eos adprobare recuſaverit, ipſius capituli conſenſus,

(a) Vide Lambertin. de Syn.Dioeceſ. lib.4. cap.7. n.3.

(b) Conc. Ttid. cap.18. ſeſſ.24. de reform.

(c) Bened.XIV. de Syn.Dioeceſ. loc. cit. n.4., & ſac.Cong.Conc.ap.Fagnan. in caput *Inter ceterat. de Reſcriptis* a num.45.

(d) Clemens VIII. in decreto relato a Garcia, de Beneficiis, par. 9. cap. 2. num.72.

(e) Clemens VIII. laud.decreto apud Garciam loc. cit.

(f) Bened.XIV.de Syn.Dioeceſ.lib.4. cap.7. num.9.

ſenſus, utpote injuſte denegatus, haberi debet pro praeſtito (a). Satius tamen erit, ut omnis controverſiis aditus praecludatur, quod Epiſcopus, eo in caſu a ſacra Concilii Congregatione ſupplementum petat capitularis conſenſus (b).

III. Vacante parochiali Eccleſia, quae per concurſum conferenda ſit, coram Epiſcopo, vel Vicario generali adhibitis tribus ſaltem examinatoribus, ut ſupra approbatis, concurſus ad validam proviſionem erit inſtituendus nullo interveniente extraneo examinatore. Ita quoque in concurſu ad parochialem Eccleſiam juriſpatronatus eccleſiaſtici; & in examine praeſentati a patronis laicis, examinatores ſynodales adhiberi debent, qui ſunt caſus in Tridentino expreſſi. In Ordinibus conferendis, & approbatione confeſſariorum ad arbitrium Epiſcopi erit advocare ſynodales examinatores, vel alios prudentes, & idoneos viros, ut ſibi placuerit, qui examen inſtituant (c). Tridentinum enim examinatores ſynodales tantum exigit in concurſibus ad parochiales, neque ſanctio coarctativa ad ſimiles etiam caſus, extendi debet, uti monet Benedictus XIV. (d), qui & opportune addit, quod etſi Benedictus XIII. in ſua Conſtitutione, quae incipit *Paſtoralis* (& habetur in appendice ad Synodum Romanum) edixerit, ut praebenda theologalis, & poenitentiaria in Italia, eique adjacentibus Inſulis conferantur praevio examine, & concurſu, eo plane modo, quo conferuntur Eccleſiae parochiales, expreſſe tamen declaravit, concurſus ad illas non neceſſario inſtitui oportere coram examinatoribus ſynodalibus, ſed coram Epiſcopo, & quatuor examinatoribus, etiamſi ſynodales non ſint (e).

IV. Examinatorum ſynodalium partes erunt nedum concurrentium ſcientiam experiri, ſed perpendere eorum aetatem, mores, prudentiam, aliaque omnia ad gubernandam Eccleſiam opportuna, ita ut concurſus ſuper ſola ſcientia ſit nullus (f). His vero omnibus conſideratis, & communicatis invicem ſuffragiis, ad examinatores dum-

(a) Pignatell. conſult. 119. tomo 1. Surdus, deciſ. 220. Mantic: deciſ. 226. tract. 9. &c.

(b) Bened. XIV. loc. proxime citat. num. 10.

(c) Trid. ſeſſ. 24. cap. 7., & 15. de reform.

(d) Bened. XIV. cit. cap. 7. num. 2., & cap. 8. num. 2.

(e) Bened. XIV. de Synodo lib. 4. cap. 7. num. 2.

(f) Trid. cit. cap. 18. Bened. XIV. in litt. Encycl. 68. tom. 1. Bullar.

dumtaxat pertinet denunciare Epiſcopo illos, qui idonei, & approbati ad parochialem Eccleſiam vacantem judicati fuerint; ſi pares, vel ſingulares in votis fuerint, accedere poterit Epiſcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Ad ſolum vero Epiſcopum ſpectat, ex approbatis magis idoneum eligere & aſſumere. Si Eccleſia parochialis juriſpatronatui eccleſiaſtico ſubjaceat, digniorem inter approbatos ab examinatoribus praeſentat patronus, ſi Epiſcopo competat inſtitutio; ſi alteri, digniorem eligit Epiſcopus. Si juriſpatronatus laicorum fuerit Eccleſia, qui a patrono praeſentatus erit, abſque concurſu a ſynodalibus examinatoribus diſcuſsus, ut ſupra, nonniſi idoneus repertus ab Epiſcopo admittatur (a).

Formula juramenti ab examinatoribus, ſicut dictum eſt, exhibendi, haec erit: = Ego N. N. examinatoris officium, quod ſuſcipio, promitto, ſpondeo, & juro, me rite, & recte adimpleturum, omni ſpe, metu, praemio, & humana affectione remotis: *Sic me Deus adjuvet, & haec ſancta Dei Evangelia.*

Infraſcriptos igitur examinatores in hac Synodo probandos nominamus, & eligimus.

EXAMINATORES SYNODALES

EX CLERO SAECULARI.

Rmus D. Camillus Campanelli Vicarius Generalis J. U. D., ac Prothonotarius Apoſtolicus.

Rmus D. Johannes Baptiſta de Comitibus Praepoſitus Eccleſiae Cathedralis J. U. D., ac Prothonotarius Apoſtolicus.

Admodum Rev. D. Joſeph Antonius Gigli ejuſdem Eccleſiae Cathedralis antiquior, ac Prothonotarius Apoſtolicus.

Adm. Rev. D. Magnus Antonius Giuſti ejuſdem Eccleſiae Cathedralis Canonicus, ac ſacrae Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Caeſar Bernardinus Macali ejuſdem Eccleſiae Canonicus Poenitentiarius, ac ſacrae Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Matthias Ambroſetti ejuſdem Eccleſiae Canonicus Theologus, ac ſacrae Theologiae Doctor.

Adm. Rev. D. Cajetanus Viti Eccleſiae Collegiatae S. Angeli Cuſto-

(a) Trid.cit. cap.18. Bened.XIV.cit. cap.8. n.4. cum ſeq.

dis Canonicus, & Eccleſiae Parochialis S. Andreae hujus Civitatis Archipresbyter.

Adm. Rev. D. Silveſter Maſſimi ſacrae Theologiae Doctor, & Parochiarum unitarum S. Pancratii, ac SS. Coſmae, & Damiani hujus Civitatis Archipresbyter.

Adm. Rev. D. Hyacinthus Lolli Archipresbyter Eccleſiae Collegiatae S. Mariae Terrae Moroli.

Adm. Rev. D. Franciſcus Bonifazj hujus Ven. Seminarii Rector, ibique Studiorum Praefectus.

EX CLERO REGULARI.

Admodum Rev. P. Vincentius Maria Santoro ſacrae Theologiae Magiſter Ordinis Praedicatorum, ac Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Epiſcopi Theologus.

Adm. Rev. P. Fulgentius Caſtiglioni ſacrae Theologiae Profeſſor, & Praedicator Generalis ejuſdem Ordinis, Prior Ven. Conventus S. Jacobi hujus Civitatis.

Adm. Rev. P. Caſimirus Sellaroli ſac. Theologiae Profeſſor, & Praedicator Generalis ejuſdem Ordinis.

Adm. Rev. P. Pius Perolio ſac. Theologiae Magiſter ejuſdem Ordinis, & in Camerinenſi Univerſitate ſac. Theologiae Lector, ac Coenobii S. Jacobi hujus Civitatis filius.

Adm. Rev. P. Magiſter Joannes Baptiſta Saraceni Definitor perpetuus Ordinis Minorum Conventualium S. Franciſci.

Adm. Rev. P. Magiſter Hippolytus Carafa ejuſdem Ordinis, Ven. Conventus S. Angeli hujus Civitatis Guardianus; ac Definitor perpetuus.

Adm. Rev. P. Magiſter Felix Fanelli Definitor perpetuus ejuſdem Ordinis.

Adm. Rev. P. Thomas Bonaſoli ſacrae Theologiae Magiſter Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, & Romanae Provinciae hodiernus Prior Provincialis, ac coenobii S. Auguſtini hujus Civitatis filius.

Adm. Rev. P. Johannes Mariae a S. Remo ex Provincialis Ordinis Cappuccinorum.

Adm. Rev. P. Franciſcus Gabrini Ordinis Clericorum Regularium Minorum Eccleſiae SS. Johannis Evangeliſtae, & Benedicti Abbatis hujus Civitatis Parochus.

V. An-

V. Antiquiſſimo praeterea Eccleſiae more inductum eſt, ut in Synodo aliqui eligantur viri probatae fidei, prudentes, & zelo gloriae Dei, ſalutiſque animarum accenſi, qui *Teſtes ſynodales* nominantur (a). Hanc ſalubrem diſciplinam, quae fortaſſe remitti coeperat, in priſtinum rigorem reſtituit S. Carolus Borromaeus anno MDLXXVI. in Concilio Provinciali Mediolanenſi IV. (b), eorumque officia deſcripſit, ſcilicet, ſolo caritatis ſtudio, & abſque ulla juriſdictione ſecreto invigilandi, & magna diligentia inquirendi, an adimpleantur, & ſerventur decreta in Synodo ſtatuta, ut Epiſcopus, ſive ejus Vicarius generalis ex relatione hominum integerrimae fidei ſciat, quae in dioeceſi occurrunt emendanda, & corrigenda, miniſteriumque ſuum impleat.

VI. Huic ergo muneri in hac civitate, & dioeceſi eligimus viros, quorum nomina, & liberius agant officium impoſitum, in hac ſchedula (*Secretarius oſtendit Synodo ſchedulam*) noſtro ſigillo munita, & clauſa continentur (c).

TESTES SYNODALES

IN CIVITATE.

N. N.
N. N.
N. N.
N. N. quorum nomina Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus reticeri voluit.

IN DIOECESI.

Omnes RR. Vicarii Foranei.

(a) Can. *Epiſcopus in Synodo* 7. cauſa 35. quaeſt. 6. Innoc. III. in Conc. Lateranen. cap. 6. can. *Sicut* de accuſat.

(b) Conc. Provinc. Mediolan. IV. par. 3. cap. 6.

(c) Syn. Neapolit. 1726. Bened. XIV. de Syn. lib. 4. cap. 3. num. 8. Lanucci in Syn. pag. 283., & ſeq.

§. XXV.

De Ludi magiſtris, & Medicis.

Quare deſpicit unuſquiſque noſtrum fratrem ſuum violans pactum Patrum noſtrorum? Diſperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, Magiſtrum, & diſcipulum de Tabernaculis Jacob. Malachiae cap. II. verſ. x., & XII. = *Aegrotavit Ezechias uſque ad mortem, & venit ad eum Iſaias ..... dixitque ei ..... Praecipe domui tuae: morieris enim tu, & non vives. Qui convertit faciem ſuam ad parietem, & oravit Dominum.* Libro IV. Regum cap. XX. verſ. I., & II.

I. AD ludi magiſtros omnes civitatis, & dioeceſis noſtrae mentem, ac ſermonem convertimus. Quantum enim Chriſtianae reipublicae obſint ludi magiſtri ſuum munus rite & recte non exequentes, ſatis exprimere nequimus. Quapropter in Domino enixe obſecramus, obteſtamur, & hortamur magiſtratus, & omnes, ad quos pertinet, ut nulla ſumptus habita ratione, optimos perquirant praeceptores, qui juvenes, & adoleſcentes non ſolum ſcientia, ſed & in primis chriſtianis moribus imbuere valeant.

II. Ut optimi quantum fieri licet, aſſumantur, mandamus, ut nemo poſſit aperire ſcholas, etiam grammaticae ſine noſtra in ſcriptis approbatione (a). Qui vero fuerint electi a magiſtratibus, vel laicorum communitatibus, requiſiti coram Nobis compareant, ut diſcuſſi approbationem noſtram reportent ſuper moribus, & doctrina chriſtiana (b), & fidei profeſſionem emittant.

III. Quotidianas ſtudii in ſchola exercitationes ipſi ludi magiſtri inchoent, & concludant pia aliqua oratione. Quapropter in gymnaſio adſit ſemper ſacra imago Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel beatiſſimae Virginis Mariae. In litterariis exercitationibus jugiter inſerant incitamenta ad timorem Domini, & ad peccati fugam. Minime praetermittant pueros ſecum ducere ad Miſſae ſacrificium quotidie

(a) Vide Gavantum verbo: *Ludi magiſtri* n. 5., & Gallemartium in caput 1. ſeſſ. 5. de reform. Conc. Trid. n. 23.

(b) Sac. Cong. Conc. in Aſculana 28. Junii 1691. apud Monacell. Formular. tomo 1. tit. 3. form. 12.

Digitized by Google

die audiendum. Saltem quindeno quoque die poenitentiae ſacramento animam expient, & qui ad debitam pervenerint aetatem, ſanctiſſimae Euchariſtiae ſacramento ſe reficiant, ac roborent. Scholares item in una die cujuslibet hebdomadae doctrinam chriſtianam ex propoſito doceant; diebus Dominicis, & feſtis de praecepto ad exercitium ipſius doctrinae chriſtianae una ſecum ſimul ducant ad Eccleſiam cathedralem, ſive parochialem, in eaque ſuam operam in docendo exhibeant: exigant quoque a pueris, ut diebus feſtis de praecepto interſint devote Miſſis, & Veſperis cantatis, proceſſionibus, concionibus, & devotionibus, praecipue autem recitationi ſolemni ſacratiſſimi Roſarii; ſicque religionem, & pietatem tenellis illis animis inſerant juxta praeceptum Concilii Lateranenſis v. ſub Leone X. ſeſſ. IX. (a).

IV. Vicariis noſtris Generali in urbe, & Foraneis in dioeceſi jubemus, ut puerorum ſcholas ſaepe viſitent, inquirantque, an Magiſtri ſupradictas regulas, & obſervationes exequantur, & quae noſtra providentia indigent Nobis referant (b).

V. Edicimus tandem, approbationem noſtram (ſine qua nemini, ut diximus, permiſſum erit ludi magiſtri officium exercere) quoliber triennio eſſe renovandam. Hanc autem ſcriptam approbationem noſtram unuſquiſque gratis accipiet.

VI. Nemo etiam medici, aut chirurgi munere in civitate, vel dioeceſi noſtra fungatur, qui non prius coram Nobis, ſive Vicario noſtro generali fidei profeſſionem emiſerit, & inſuper a Nobis, ſive Vicario noſtro generali admonitus ſerio fuerit de ratione, quam Deo, & Nobis quoque redditurus eſt, ſi ex ejus neglectu, aliquem, ut ſaepe accidere ſolet, ex hac vita ſine Sacramentali confeſſione decedere contingerit. Sane huic graviſſimo animarum periculo conciliorum decretis, ſummorum Pontificum conſtitutionibus ſcimus, ſemel, atque iterum ab eccleſia fuiſſe proviſum. Hinc ad illud magis, magiſque praecavendum ſalutarium eccleſiaſticarum legum de hac re memoriam renovare, & obedientiam exigere tenemur.

VII. In oecumenico Concilio Lateranenſi IV. ſub Innocentio III. celebrato, & relato *in capite Cum infirmitas* XIII. de poenitentiis, & re-

(a) Conc. Provinc. v. Mediol. par. 1. ubi Barboſa. Vide Lanuccii in Syn. tit. 4.
(b) Trid. cap. 8. ſeſſ. 22. de reform., cap. 2.

& remiſſionibus haec habentur = *Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino* languido, *quem ſanaverat* „ *Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat* „ *praeſenti decreto ſtatuimus, & diſtricte praecipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant, & inducant, quod medicos advocent animarum, ut poſtquam fuerit de ſalute animarum proviſum, ad corporale medicinae remedium ſalubrius procedatur; cum ceſſante cauſa ceſſet effectus. Hoc quidem, inter alia, huic cauſam dedit edicto, quod quidam in aegritudinis lecto jacentes, cum eis a medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidant, unde facilius periculum mortis incurrant. Si quis autem medicorum, noſtrae conſtitutionis, poſtquam per Praelatos fuerit publicata, tranſgreſſor extiterit, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiae arceatur donec pro tranſgreſſione hujuſmodi ſatisfecerit competenter.*

VIII. Recenſita *Lateranenſis Concilii* conſtitutio confirmata, & innovata fuit a Clemente V. anno MCCCXI. in ſecundo Ravennatenſi Concilio rubrica XV. de poenitentiis. = *Monemus*, inquit, *omnes inſuper medicos, quod quando vocati fuerint ad infirmos, non ulterius redire habeant, nec curare eoſdem, niſi prius eis confiteri, quod ipſi infirmi praedicti medicum advocaverint animarum, & eis fuerit de animarum ſalute proviſum; & ſi quis medicorum contemptor hujus monitionis extiterit, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiae arceatur, donec de tranſgreſſione hujuſmodi ad arbitrium Ordinarii ſatisfecerit competenter.*

IX. Sanctus autem Pius V. conſtitutione, quae incipit *Super gregem* (a), non modo eadem confirmat, quae in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. propoſita fuerunt, & ad illa obſervanda vehementer hortatur, ſed alia quoque decernit, ac primum §. III. = *Quod omnes medici, quum ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint, ipſos ante omnia moneant, ut idoneo confeſſori omnia peccata ſua juxta ritum S. Romanae eccleſiae confiteantur; neque tertio die ulterius eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam, (ſuper quo ejus conſcientiam oneramus,)*

(a) Conſt. 3. ſua in Bullarii Romani volumine 2.

mus,) *conceſſerit*, *& eis per fidem confeſſoris in ſcriptis factam conſtiterit*, *quod infirmi*, *ut praemittitur*, *peccata ipſe confeſſus fuerit* = Et §. v. = *Quod ultra poenas in dicta conſtitutione contentas*, *quas incurrere declaramus*, *perpetuo ſint infames*, *& gradu medicinae*, *quo inſigniti erant*, *omnino priventur*, *& a collegio*, *ſeu univerſitate medicorum ejiciantur*, *ac poena etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorum*, *ubi deliquerint*, *multentur* = § vi. denique = *Praecipimus*, *& mandamus*, *ut nullus poſthac ubique locorum in medicina doctoretur*, *aut ei quomodolibet medendi facultas a quovis Collegio*, *& univerſitate concedatur*, *niſi omnia in praeſenti noſtra conſtitutione contenta medio eorum juramento coram Notario publico*, *& teſtibus obſervare in eorum manibus*, *vel Ordinarii juraverint*, *& de hujuſmodi juramento in privilegio*, *ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat*. *Quod ſi collegia*. *& univerſita es praefatae*, *non recepto a promovendo juramento hujuſmodi*, *eoſdem ad gradum praedictum promoverint*, *aut eisdem licentiam medendi praeſtiterint*, *poenam privationis facultatis aliosulterius doctorandi incurrant*.

X. Gregorius XIII. in ſua LXVIII. conſtitutione (Bullarii Romani Tom. II.) ubi Infidelibus, atque Hebraeis facultatem medendi Chriſtifidelibus interdicit, omnia, quae a Concilio Lateranenſi, & S. Pio V. praecipiuntur, denuo confirmat. Eaſdem leges ſedulo obſervandas plura Concilia Provincialia, & dioeceſana indixerunt. Concilium autem Romanum ſub Benedicto XIII. celebratum, titulo primo, capite I. recenſita decreta innovat, & confirmat, eorumque executionem curae, & vigilantiae Epiſcoporum ſerio committit.

XI. Nos igitur ſub poenis perjurii, perpetuae infamiae, medicinae gradus privationis, excommunicationis etiam, aliiſque pecuniariis arbitrio noſtro infligendis, ſtricte mandamus, ut medici, & chirurgi, ex enunciatarum eccleſiae legum praeſcripto, in prima viſitatione aegrotos (modo podagra, aliove morbo non laborent, qui in lecto eos cubare non obliget) de ſuſcipiendo poenitentiae Sacramento admoneant, & ab eorum cura, ſi poſt tertiam viſitationem monitioni non paruerint, omnino abſtineant, uſquedum Sacramentum ipſum eos ſuſcepiſſe non conſtiterit ex atteſtatione, quam de

de aegrotantium confeſſione a ſe audita, ſub poena ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus, a quoquam confeſſario ſaeculari, vel regulari ſtatim, vel intra eamdem diem ſcripto exarari volumus, apud infirmos, vel eorum domeſticos relinquendam, ſubindeque medicis, vel chirurgis oſtendendam.

XII. Verum, ut ſapienter monet Benedictus XIV. inſtitutione eccleſiaſtica XXII. num. XVII., unanimi theologorum, canoniſtarum, ac medicorum ſententia in medium prolata, ſi forte ita gravis ſit morbus, ut ſine medici ope aegroto periculum mortis immineat, etiamſi poſt tertium diem adhuc peccata ſua confiteri recuſet, non tamen deſerendus a medico eſt, ſed omni potius juvandus ope, ut eidem videlicet, ſi forte convaluerit, ad meliorem frugem redeundi locus relinquatur.

XIII. Etſi vero in caſu, in quo infirmus de facienda peccatorum ſuorum ſacramentali confeſſione jam admonitus a medico ejus adhortationem contempſerit, & inrerea gravi, & evidenter mortis periculo ſubjaceat, ſi medicinae deſtituatur auxiliis, inculpare poſſit medicus illius curam agere, numquam tamen putandum eſt, medico licere in prima cujusliber decumbenris infirmi viſitationi admonirionem de perſolvenda confeſſione praetermittere; quemadmodum communiter hodierni exiſtimant medici tunc ſemper quando in prima aegroti viſitatione non apparet, ſive quod morbus ad extremum redactus ſit, ſive quod ad extremum brevi remporis ſpatio redigi poſſit. Etenim = *ſi Lateranenſe Concilium* (inquit ex S. Antonino praelaudatus Benedictus XIV.) *quod S. Pii V., aliorumque Pontificum auctoritate confirmatum fuit, medicis praecipit, ut de ſuſcipiendo poenitentiae ſacramento aegrotos moneant, atque animarum, corporumque ſaluti opportune conſulant, eamque cauſam Patres aſſerunt, quod aegroti ad confitendum adacti prorſus animo concidunt, & morbi gravitatem augent „ cum, inquam, haec ita ſint, neceſſario ſequitur, hujuſmodi deſperationi magis aditum patefieri, ſi medicorum admonitio tunc fiat, quum morbus pene ad extremum redigitur, vel redigi poteſt; hoc tamen malum evitabitur, ſi juxta ſacras conſtitutiones aegroti moneantur, quum diſcrimen vitae nondum impendeat, nec ullum futuri diſcriminis indi-*

indicium videatur : = (a) additque paucis adjectis, quod *experientia magiſtra hoc comprobatur · Quum enim in noſocomiis, etiam qui periculoſo morbo non laborant, excipiantur, & ſingulis indicetur, ut ſacramento poenitentiae prius animam expurgent, tamen cognitum ſatis eſt, in deſperationem eos minime prorumpere, ob eam ſane cauſam, quod hujuſmodi legem in noſocomiis conſtitutam intelligunt, licet nullum vitae periculum ex morbo deprahendatur.*

XIV. Propterea ſciant medici, per ſuperius evulgatam ſanctionem noſtram, memorataque Conciliorum, Romanorumque Pontificum decreta adſtrictos ſe eſſe ad praemonendos de facienda ſacramentali confeſſione decumbentes aegrotos cum primo eos viſitaverint, tum ſi illorum morbos laethales evaſuros ſuſpicentur, tum ſi nullum ipſorum mortis periculum eorum mentibus objiciatur.

§. XXVI.

De Oratoriis privatis.

Judith ingreſſa in oratorium ſuum, & induens ſe cilicio poſuit cinerem ſuper caput ſuum, & proſternens ſe Domino clamabat ad Dominum = Judith. cap. IX. verſ. 1.

I. MAniſeſtum eſt habuiſſe Hebraeos oratoria privata in domibus ſuis : hunc vero pium religioſumque morem ad chriſtianos quoque novimus tranſiiſſe ; ſiquidem vel ab Apoſtolorum tempore (b) in laicorum domibus viguit privatorum oratoriorum uſus, in quibus Miſſae ſacrificium, accedente tamen Epiſcoporum licentia, celebrabatur (c). At cum ad eam concedendam Epiſcopi faciles plerumque eſſent, ac proinde non pauci irrepſiſſent abuſus, factum fuit, ut Tridentini Concilii Patres poſt varios hac de re editos ſermones, hoc tandem ediderint decretum (d) = *Neve patiantur Epiſcopi privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab iiſdem Ordina-*

(a) Bened. XIV. cit. inſtit. 22. n. 19. & 20. laudans S. Antonin. in ſumma, tom. 3. tit. 7. cap. 2. §. 4.

(b) Bened. XIV. de ſacrificio Miſſae ſectione 1. §. 10.

(c) Can. *Miſſam* de conſecrat. diſt. 1.

(d) Trid. ſeſſ. 22. in decreto de evit. & obſerv. in celeb. Miſſae.

rio designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, & consuetudinibus quibuscumque. Hinc factum est, ut non amplius Episcopis facultas (a) sit concedendi usum oratoriorum privatorum, in quibus Missa celebretur. Licentia enim, quae ab ipsis daretur, celebrandi Missam in oratoriis privatis, stare nequit cum Tridentini Concilii praecepto iisdem Episcopis impositio, ne id patiantur. Praedictum itaque jus ad sanctam Sedem devolutum esse, & hanc esse veram Concilii verborum intelligentiam docuit Paulus V. in epistola encyclica ad universos Episcopos, data, in qua diserte concludit = *Facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius Concilii decreto unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.*

II. Postquam reservata apostolicae Sedi fuit haec oratoria privata concedendi facultas, dici vix potest (b) quantum curae diligentiaeque ad omnes tollendos abusus, qui ex ejusdem facultatis concessione oriri possent, adhibuerit, Romano jubente Pontifice, sacra Congregatio Concilii, ex cujus sententia hae tandem statutae fuerunt leges, videlicet, = ut oratorium parietibus sit extructum, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur; ut idem vel ab Episcopo, vel ab alio, cui vices ipse suas delegaverit, visiterur, attenteque inspiciatur, num decens atque compositum sit, & num aliqua eorum, quae necessaria sunt, desint, ut Episcopus ipse licentiam celebrandi Missam impertiatur; ejusmodi vero licentia secundum rationabile illius arbitrium perduret: ut non plures in die, sed unica tantum Missa in oratorio celebretur a Sacerdote vel saeculari, vel regulari, dummodo saecularis ab Episcopo approbatus sit, regularis autem licentiam habeat etiam a suo regulari superiore: ne celebrari possit Missa solemnibus diebus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi,, aliisque solemnioribus diebus, inter quos enumerandi sunt dies Epiphaniae, & Ascensionis Domini, Annunciationis, & Assumptionis Beatae Mariae Virginis, omnium Sanctorum, nec non Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli

(a) Bened. XIV. in epist. encycl. ad Episcopos Regni Poloniae §. 11.
(b) Paul. V. an. 1605. Bened. XIV. de sacrif. Missae sect. 1. §. 42. Id. Benedict. XIV. in lit. encyclicis ad Episcopos Polon. §. 12.

Pauli, ac Titularis Eccleſiae loci: ut exprimantur perſonae, quarum praeſentia neceſſaria eſt, ut Miſſa in privato oratorio celebrari poſſit, aliae item perſonae, quae ſi eodem tempore Miſſae interſint, eccleſiaſtico ſatisfacere poſſunt praecepto: tandem ut declaretur, omnia ſine Parochialium jurium praejudicio fieri debere. = Et ſane ſub iis conditionibus, legibus & clauſulis oratorii privati facultas a Romanis Pontificibus concedi ſolet; quamquam aliquando juſtis de cauſis concedatur alicui (ſed per extraordinarium Breve, aut per apoſtolicum reſcriptum) ut vel ſecundam Miſſam celebrare facere poſſit, vel ut eadem aliquanto citius, aut aliquanto ſerius tempore in rubricis praefixo celebretur, vel ut celebretur diebus exceptis, vel aliquid aliud hujuſmodi.

III. Cum utriſque plerumque conjugibus licentia concedatur, ut coram ipſis, eorumque filiis, conſanguineis, & affinibus in eadem domo habitantibus Miſſa in privato oratorio celebrari poſſit, dubitatum fuit, an ſi neuter conjugum, ſed unus ex filiis, aut conſanguineis in eadem domo habitantibus adſit, eo jubente celebrari Miſſa valeat, & reliqui affines, & conſanguinei eamdem audientes Miſſam eccleſiaſtico praecepto poſſint feſtis diebus ſatisfacere? *Celebrari non poſſe*, reſpondit Sacra Congregatio Concilii (a), niſi aliquis ex indultariis in oratorio *praeſens habeatur*; quam reſponſionem apoſtolica auctoritate confirmat *Benedictus XIV.* (b), juſſitque hanc in poſterum clauſulam in privatorum oratoriorum conceſſionibus inſeri = *Volumus autem, ut nati ac conſanguinei & affines praedicti unicam dictam Miſſam, vobis quidem praeſentibus audire tantummodo, numquam vero celebrari facere audeant.*

IV. Ut autem quae indultariae perſonae ſint, agnoſci facile poſſit, illud adjunxit praelaudatus doctiſſimus Pontifex, ut videlicet pro indultariis perſonis illae haberentur, quae in Brevis fronte, ſeu *inſcriptione* nominatae ſunt, cum ad eaſdem ipſas Breve dirigatur. Quod ſi forte in corpore Brevis aliqua nominetur perſona, qua praeſente concedatur, ut Miſſa celebrari poſſit, & alii affines, conſanguinei vel familiares eamdem audientes praecepto ſatisfaciant, tunc etiamſi ea perſona in fronte Brevis minime nominetur, ut tamen

(a) S.C.C. in Marſicen. Oratorii 3. Decemb. 1740.

(b) Bened. XIV. conſtit. 7. Januar. 1741.

pro indultaria habeatur, idem Pontifex in litteris encyclicis (a) ad Poloniae antiſtites miſſis expreſſe ſtatuit, ac declaravit. Praeterea cum alicui interdum ab apoſtolica Sede malae valetudinis cauſa conceſſum fuiſſet, ut diebus etiam exceptis Miſſam in privato oratorio audire poſſet, ac praecepto ſatisfacere, dubitatum fuit, = *utrum natali Chriſti Domini die a Sacerdote, qui in oratorio celebrat, tres Miſſae celebrari poſſent; an vero ad normam Brevis ordinarii unica tantum eſſet celebranda?* = Re mature diſcuſſa tres Miſſas celebrari poſſe Sacra Congregatio Concilii declaravit (b).

V. Diſputabatur quidem olim, an ſacrae quaedam functiones in privatis oratorii fieri, ac potiſſimum, *an Baptiſmi, Poenitentiae, atque Euchariſtiae Sacramenta miniſtrari poſſent?* Verum quoad Baptiſmum controverſia dirempta prorſus eſt in Concilio Viennenſi (c), in quo ſub Clemente V. decretum fuit, ne baptiſmus conferri poſſet in aliis locis (caſu neceſſitatis excepto) praeterquam in templis, in quibus ſacri hujus lavacri fontes reperiuntur; niſi cum de Regum vel de Pricipum filiis ageretur. Quoad poenitentiam vero, atque Euchariſtiae Sacramenta, cum eorum ſanctitas exigat (d), ut extra verae neceſſitatis caſum nonniſi in Eccleſia adminiſtrentur, Nos S. Carolum Borromaeum (e), alioſque ſanctiſſimos, doctiſſimoſque Epiſcopos imitati, & Benedicti XIV. in citata epiſtola encyclica diſpoſitioni obſecundantes, ſynodali hoc noſtro decreto praecipimus ac mandamus, ut nullus ſive ſaecularis, ſive Regularis Sacerdos in privatis oratoriis eadem Sacramenta miniſtrare audeat, niſi vel noſtram, vel Vicarii noſtri generalis licentiam obtinuerit.

VI. Reliquum nunc eſt, ut iis quibus ab Apoſtolica Sede privati oratorii facultas in hac noſtra dioeceſi conceſſa jam eſt, aut concedetur in poſterum, pauca quaedam pro divini cultus conſervatione, atque incremento praeſcribamus. Volumus itaque, ut ipſum oratorium, a quocumque alio domeſtico uſu immune, religioſo quodam ornatu, ac decore eniteat, ut munda ſit, ac nitida in divinis myſteriis

(a) Epiſt. ad Epiſc. Polon. §. 15.
(b) S. Congr. Conc. 13. Ianuar. 1725. tom. 3. theſ. reſolut.
(c) Clement. unica de Baptiſmo, & ejus effectibus.
(d) Ritual. Rom. ſub Paulo V. tit. de Sacram. poenitentiae.
(e) Conc. Prov. Mediol. 1. in actis eccleſ. Mediolanen. par. 1. pag. 11. par. 4. pag. 520., 761., 733., 775.

riis adhibenda ſupplex, ut demum ea omnia, quae in Pontificiae conceſſionis Brevi preſcribuntur, ſumma religione ſerventur.

VII. Veſtigiis denique inhaerentes quamplurium Epiſcoporum, qui in Synodis tum Provincialibus, tum & dioeceſanis apoſtolicam conceſſionem habentibus oratorii domeſtici, prohibuerunt, ut inibi miſſae celebrentur quibuſdam etiam diebus in Pontificio Brevi non exceptis (id quod, ut de aliis, ſileamus, factum fuit in Concilio Provinciali a Cardinali Cantelmo, in Synodo dioeceſana a Cardinali Philomarini anni MDCXLIV., & in alia ab eodem MDCLVIII., & a Cardinali Franciſco Pignatello in Synodo anni MDCCXXVI.) inhibemus Miſſae celebrationem in oratoriis privatis nedum in diebus, quos ipſa Brevis conceſſio excipit, quoſque jam ſuperius num. II. deſignavimus, ſed in diebus quoque Circumciſionis D. N. J. C. & Corporis ejuſdem Chriſti Salvatoris noſtri, Sancti Joſephi Sponſi B. Virginis Mariae, Sanctae Annae ejuſdem deiparae Virginis Matris, S. Johannis Baptiſtae Praecurſoris Domini, ac S. Magni Epiſcopi & Martyris praecipui hujus noſtrae civitatis, & dioeceſis Patroni; quibus quidem diebus tam in apoſtolico Brevi, quam decreto hoc ſynodali exceptis, ſi qua Miſſa in dictis oratoriis celebretur, celebrantes quicumque etiamſi Regulares eſſent (etenim ad hujuſmodi praecavenda auctoritate apoſtolica Nobis delegata, & a Concilio Tridentino Epiſcopis attributa fungimur, & potimur) (a) poenis ſubjaceant (b) ſuſpenſionis ipſo facto, aliiſque arbitrio noſtro: oratoria vero ipſo etiam facto interdicto ſuppoſita ſint.

§. XXVII.

(a) Trid. ſeſſ. 22. dec. de obſerv. & evit. in celeb. Miſſae S. Cong. Conc. in Neapolit. 30. Maii 1699. ad tertium, & ſextum dubium.

(b) In Syn. Neapolit. an. 1726. par. 3. cap. 3. de oratoriis privat. n. 4. & 1., ubi praeter cit. can. *Miſſar.* de conſecr. diſt. 1. & decreti S.C.C. de mand. Pauli V. 10. Mart. 1615., & 24. Maii 1664. citantur etiam Syn. dioeceſanae Cardinalium Delcii, Carafae, 1619., Philomarini 1652. Caraccioli 1680., & aliae quam plurimae.

De funeribus & ſepulturis.

§. XXVII.

Quando orabas cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. = Tobiae, cap. XII. verſ. XI.

I. NON modo in veteri, ſed & in novo teſtamento ſepulturae honorem laudari, obſervat S. Hieronymus (a), & notat non ſemel S. Auguſtinus (b). Hoc pacto rationalem animam honorari, docet Origenes (c), quod videlicet, etiam illius organa honorifice ſepulcro demandantur. Profecto = *Si paterna veſtis* (uti ſcribit ipſe S. Auguſtinus) *& annulus, ac ſi quid ejuſmodi tanto charius eſt poſteris, quanto erga parentes major exſtitit affectus; nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quae utique multo familiarius, atque conjunctius quam quaelibet indumenta geſtamus.* = (d) Paucis autem interjectis, addit = *Antiquorum juſtorum funera, officioſa pietate curata ſunt, & exequiae celebratae, & ſepultura proviſa: ipſique, dum viverent, de ſepeliendis, vel etiam tranſferendis ſuis corporibus, filiis mandaverunt; & Tobias ſepeliendo mortuos Deum promeruiſſe, teſte Angelo, commendatur. Ipſe quoque Dominus die tertio reſurrecturus, religioſae mulieris bonum opus praedicat, praedicandumve commendat, quod unguentum pretioſum ſuper membra ejus effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit: & laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorifice tegendum, ſepeliendumque curarunt ... Unde & illud ſalubriter diſcitur, quanta poſſit eſſe remuneratio pro eleemoſynis, quas viventibus & ſentientibus exhibemus, ſi neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiaeque perſolvitur.* = Conſtat denique, quania, vel ſub ipſa gentilitate, cura de mortuis fuc-

(a) S. Hieron. lib. 1. epiſt. 25. ad Paulam, de obitu Bleſillae.

(b) S. Auguſt. lib. *de cura pro mortuis*: ib. 1. de civit. Dei; ſer. 32. de Verb. Apoſt. alias, 172.

(c) Orig. lib. 8. contra Celſum.

(d) S. Auguſt. lib. 1. de civit. Dei, cap. 13.

fuerit, ex titulis digeſtorum = *de Religioſis & ſumptibus funerum*, *& ut funus ducere liceat* = & = *de mortuo inferendo* = ac = *de ſepulchro violato*. = Plura ergo hac de re animadvertere, atque edicere ducimus; & primo quidem decernimus, quod eveniente obitu cujuslibet fidelis, eccleſiaſticae ſepulturae digni, ante primam noctis horam, ſignum de illo per Eccleſiae Parochialis campanam detur, per quod alii ad preces pro defuncti anima fundendas excitentur. Si vero poſt noctis horam primam mors acciderit, illud ſignum vel in Regularium Eccleſiis, protrahatur ad novam illuſcentem diem (a).

II. Quoad locum deinde ſepulturae, & quoad funerum ſumptus, quid obſervandum, quidve fugiendum praeſcribentes, cum exploratum ſit, = *quod jus funerandi eſt de jure Parochiali, quemadmodum & Sacramentorum exhibitio*, = (b) proprium omnium Parochianorum ſepulchrum, Eccleſiam eſſe parochialem, ex canonibus *Relatum II. Ex parte V. In noſtra X* de ſepulturis, & cap. VI. eodem titulo, in ſexto, declaramus. Latet enim neminem per novam Eccleſiae diſciplinam civiles, & canonicas leges abiiſſe, prohibentes, ne intra Eccleſias ſtruerentur ſepulturae (c); id ſolum ad ſaeculum uſque IX. (d) Martyribus (e), Regibus, Imperatoribuſque (f) permittentes, atque quibuſdam primariis eccleſiaſticis viris, ſicut & laicis vitae ſanctitate conſpicuis (g). Inducta ergo ſecutis temporibus, ac per ſacros canones firmata diſciplina cadavera humandi intra Eccleſias ipſas, dummodo earum conditoria ejus parietibus non affigantur (h), aliiſque ſervatis conditionibus (i), nemo unus parochiali Eccleſiae jus ſepeliendi abjudicavit. Aequum enim eſt, ut quorum, dum vivunt, ſpiritualem curam Parochus, loco patris ſuſtinet, ipſis cum decedunt, juxta perſolvat, oretque pro eis, ſive vivis, ſive

(a) Synod. III. Brancat. pag. 8. Syn. Sacchetti pag. 90. Syn. Sermatth. pag. 82.

(b) Abbas in C. de Sepulc.

(c) Cod. Theodoſ. de Sepulc. viol. Conc. Bracar. I. cap. 36. vide S. Johan. Chryſoſt. hom. 37. in Matth. Sidonium Apollin. lib. 3. epiſt. 12. Onuphr. Panvin. de Coemeter. cap. 12.

(d) Cod. Juſtinian. L. 2. de ſacr. eccleſ. Carol. M. lib. 1. capitular. c. 159. Leo *Sapiens*, novel. 53.

(e) Conc. Carthag. V. cap. 14.

(f) Euſeb. in vita Conſtantini. lib. 4. cap. 7. S. Joh. Chriſ. hom. 26. in epiſt. 2. ad Cor. & libro = *Quod Chriſtus ſit Deus* = cap. 8.

(g) Conc. Mogunt. cap. 52.

(h) S. Pius V. conſt. *Cum primum*.

(i) Ritual. Rom. de exequiis Conc. Mediolan. I. p. 2. cap. 61. & IV. p. 1. cap. 13.

ſive defunctis, ac ſacrificia offerat. Inhumationis autem ejuſmodi jus, *ex S. Sedis privilegio* aliis Eccleſiis conceditur, in quibus *gentilitium*, *ſeu familiare*, quod *Majorum* ſepulchrum dicitur, erigi poteſt, & ſibi ſepulturam eligere, qui velle & nolle reapſe habet; adeout, quoties extra *Majorum*, aut propria voluntate electum ſepulchrum tumuletur cadaver, exhumari, & ad ejuſmodi ſepulchrum reſtitui debeat (a). Hoc autem inhumationis aliis Eccleſiis privilegium conceſſum, haud ad exſequias proculdubio extenditur. Iſtae enim Parocho, & parochiali Eccleſiae ademptae non cenſentur ex facultate ſepeliendi in electo, vel in *Majorum* ſepulchro. Aequum enim eſt, quod filius Mundo demigrans matrem, quae eum lacte ſuo ſpirituali lactitaverat, in morte ſaltem agnoſcat. Praecoculis tamen habendum, quod Bonifacius VIII. *univerſis religioſis, & ſaecularibus clericis cujuſcumque ſtatus, vel conditionis diſtrictiſſime prohibet = in virtute S. obedientiae, ac ſub interminatione maledictionis aeternae, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum Eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent.* = (b) addita quoque poena reſtitutionis cadaverum, *ſi petantur*, & omnium etiam, quae occaſione ſepulturae ad eoſdem quomodolibet pervenerint, integraliter infra decennium faciendae: = *quam* (inquit) *niſi fecerint, Eccleſiae ipſae . . . necnon & caemeteria earumdem ex tunc eo ipſo ſint, & tamdiu maneant eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, donec ab eis facta fuerit reſtitutio plenaria omnium praedictorum*: = Clemens autem V. in Concilio Viennenſi (c) Bonifacii hanc decretalem inſtauravit, & allatis poenis, alteram excommunicationis ſanctae Sedi reſervatae adjunxit. Quo circa, pro vitanda omni ſuſpicione de ſuggeſtione doloſa, omnibus ſive ſaecularibus clericis, ſive religioſis, ſive ipſis confeſſoribus diſtricte prohibemus, ne ſuper loco ſepulturae ſermones inſtituant cum iis, qui eum vel a majoribus, vel a propria electione habent, aut eligere poſſunt; Parochis tamen, & quidem dumtaxat, permittimus infirmos,

(a) C. *Ex parte* S. C. *Cum liberum ſit.* 6. de Sepultur. & C. *Animarum.* 1. eod. tit. in 6. & S.C.C. in Lunen. Sarzan. *Cadaver.* 28. Novemb. 1711. in Sorana, *Funerum.* 14. April. 1923. & in Nuſſana, *Sepulturae.* 28. Januar. 1736.

(b) C. *Animarum* cit. in 6.

(c) Clementina, *Cupientes.* 3. §. *Sane.*

firmos, quatenus opus ſit, interrogare, quo in tumulo condi velint. Liquido igitur apparet, quod deficiente gentilitio, familiari, vel legitime electo ſepulchro, jus cadavera ſepeliendi, funerandique ad parochialem Eccleſiam ſpectare, cujus rector, ſeu Parochus ſacramenta, aliaque paſtoralia officia parochianis, qui nempe intra Eccleſiae ſuae limites domicilium habebant, pro more exhibuerat.

III. Ne autem eadem ipſa repetere fruſtra cogamur, alia quae de ſepulturae loco ſtatuere decrevimus (opportune infra declaranda) nunc mittentes, de funerum ſumptibus ſermonem inſtituimus. Omnes exactiones pretii titulo pro ſepultura quaerere, aut recipere, uti illicitas, cum S. Gregorio Magno, Leone IV., Honorio III., Hincmaro Remenſi (a), Conciliiſque provincialibus per ea tempora celebratis, prorſus improbamus, & tamquam ſimoniacas, cum Alexandro III. damnandas dicimus, & aſſerimus (b). Verum, cum iidem Rom. Pontifices, eademque Concilia provincialia, dum exactiones ejuſmodi damnabant, ſpontaneas a defunctis relictas, vel ab haeredibus collatas oblationes recipere probent, idcirco ſtatutis per ſacros canones ſtandum eſt, quibus praecluſo aditu ad lites, & controverſias clericos inter, & defunctorum haeredes oriri ſolitas, ſancitum eſt, 1. ut laici laudabiles inductas pro exſequiis offerendi conſuetudines obſervent: 2. ut per Epiſcopos ad illas ſervandas urgeri poſſint: 3. ut Epiſcopi, habita perſonarum, & locorum ratione, illis oblationibus modum, & quantitatem, juxta laudabilem conſuetudinem ſtatuant. Hinc, ipſi ſacri canones, & ſacrae Congregationes nullatenus privari debere eccleſiam parochialem portione ſua canonica decernunt (quae *quarta funerum* vulgo audit, licet alicubi major aut minor ſit quarta oblationum parte) etiam cum cadaver in alia eccleſia tumulari contigerit (c). Ob eumdem itaque finem, jurgia, videlicet, occaſione obventionum funeralium vitandi, ac praecavendi, volumus, ut a capitulo cathedralis noſtrae eccleſiae, auditis civitatis parochis, & regularium ſuperioribus,

(a) S. Greg. Mag. lib. 7. indic. 2. ep. 4., & 56. Leo IV. epiſt. de cura paſtorali. Honorius III. cap. 13. de ſcripturis. Hincmar. Remen. Capitul. I. cap. 12., & III. cap. 2.

(b) C. 8., & 9. de ſimonia.

(c) C. 1. 2. 8., & 9. de ſepulturis, & Clementina *Dudum*. 2. de ſepulturis 9. *Verum ne parochiales*, & Conc. Rom. tit. 1. cap. 5., & Bened. XIII. conſtit. *Romanus* an. 1725.

aliisque omnibus intereſſe habentibus, aequa, ac rationabilis ejuſmodi obventionum taxa lucubretur, & abſoluta cum fuerit, Nobis exhibeatur, ut ad ſacram Concilii Congregationem pro approbatione mittere poſſimus. Quid autem *quartae funeralis* nomine parochis noſtrae dioeceſis, ex laudabili communi conſuetudine, exhibendum veniat, docuit Benedictus XIII. per haec verba (a): = *Perſolvenda & cum effectu tradenda parochis eſt quarta pars omnium intorticiorum, & candelarum, quibus defuncti cadaver in itinere ad eccleſiam tumulantem aſſociabitur: nec non omnium intorticiorum, & candelarum, quae in eadem eccleſia circa cadaver, vel etiam in altaribus in die funeris accendentur. A praedicta quarta funerali exceptae intelligantur, & ſint candelae, quas ſacerdotes, etiam regulares, vel piarum ſodalitatum confratres funus aſſociantes manualiter per viam accenſas deferent* =.

IV. Firmo ſemper manente jure parochorum ad *quartam funeralem* ejuſmodi quoticſcumque, & quavis de cauſa extra parochialem eccleſiam defunctus tumuletur, declarare ducimus, quod ſi quis, dum viveret, duo habuit domicilia, = *domiciliorum eccleſiae habebunt inter ſe dividere canonicam portionem* = (b); ea tamen parochia, ſub qua deceſſit, praeferatur in funere faciendo (c). Si quis vero villicus ruri domicilium habens in civitate aegrotat, urbanus rector, intra cujus paraeciae limites ille moratur, teneatur illi ſacramenta, aliaque pietatis officia ad obitum uſque exhibere, ſi praeſto non ſit parochus ipſius. Eveniente autem illius morte, dimidia obventionum funeralium pars una urbano tradatur parocho, qui ſacramenta, aliaque ad mortem uſque pia ſolatia eidem exhibuit, altera vero, illius rurali proprio parocho. Quia tamen ab omni ſpecie mali monente Apoſtolo, quiſque abſtinere debet, omne proinde, quod turpe redolere poſſit lucrum, hac praecipue in re diſtricte vetamus. Hinc ſub poenis arbitrio noſtro infligendis, ſevere parochis prohibemus, 1. ne pro aſſociatione cadaveris defuncti exteri quidquam plus exigant, quam ſi cadaver civis alicujus fuiſſet (d), ſicut nec plus pro aſſociatione tumulandi

(a) Benedict. XIII. conſtit. proxime cit.
(b) C. *Cum quis* 2. de ſepult.
(c) Syn. Sermatth. pag. 97.
(d) S. Cong. Conc. 27. Maii 1717., & ſac. Cong. Epiſcop. 25. Maii 1640.: item 31. Mart. 1646., & 10. Jun. 1654., & 8. Aug. 1659.

landi extra parochialem eccleſiam, quam ſi in iſta cadaver tumularetur (a): 2. ne funeralem obventionem augere praeſumant, eo quia cadaver extra paraeciae limites deportandum ſit, vel quia inſuetus eis labor addatur horae, aut diſtantiae cauſa in funebri proceſſione, ſeu cadaveris deportatione ad eccleſiam tumulantem. Jura enim taxata, ac recepta quovis augere praetextu clericis interdicitur (b). Regulares, praeterea, in quorum eccleſias inferre contigerit defunctorum cadavera, ſummam pecuniae exorbitantem ne exigant; aliter, opportuno remedio Nos turpi ejuſmodi quaeſtui proſpiciemus (c). Pauperum vero exſequiae gratis exolvantur (d), duo tamen lumina in eorum funere ſaltem adhibeant parochi vel propriis expenſis, vel piae ſodalitatis, ſi quae eſt, ad quam cura ejuſmodi funerum pertineat: unaque Miſſa pro quolibet defuncto paupere ſaltem celebretur priuſquam tumuletur cadaver; ad cujus eleemoſynam fideles per parochum excitentur (e), neque majorem parochus, aliive quicumque ſollicitudinem efferant pro divitum, quam pro pauperum cadaveribus humandis (f). Si quae demum controverſiae oriantur erga funeralia emolumenta, edicimus & jubemus, quod ad Nos, ſive ad Vicarium noſtrum generalem recurſus fiat, ut quid ſolvi debeat indicetur, & *laici compeſcantur, qui malitioſe nituntur laudabilem conſuetudinem immutare* (g). Qua propter poenam arbitrio noſtro infligendam ſubibit, qui defuncti corpus ſepelire renuat, aut funus protrahere praeſumat, ea ductus cauſa, quod ſtipes prius definita non ſit (h); ſicut & ille, qui in eo caſu ante cadaveris humationem pignus quaerat, aut recipiat, quo definienda, aut definita ſtipes ſecura fiat (i). Hoc enim ſimoniam redolere perſpicuum eſt (k).

(a) Conc. Prov. Neapol. II. cap. 4. titulo 2.

(b) Rituale Roman. de exequiis, & & Conc. IV. Mediolan. par. 2. tit. de funer., & exeq.

(c) S. Rit. Cong. in una Neapol. 16. Jan. 1677.

(d) S. Cong. Epiſcop. in Caſſanen. 5. Maii 1617. apud Marchett. Prax. Vic. capit. par. 3. tit. 40.

(e) Ritual. Rom. Bene. XIV. inſtit. 36. Synod. Abbat. p. 75., & Syn. Viterbien. p. 142.

(f) Sinod. Provinc. Neapolitanum II. tit. 2. c. 4.

(g) C. *Ad audientiam* 24. de ſimonia.

(h) Conc. Prov. Neapol. I. cap. 47., & II. loc. cit.

(i) S. Cong. Epiſcop. in Cortonen. 17. Sept. 1617.

(k) C. *Non ſatis* 8. C. *Cum in Eccleſiae corpore* 9. de ſimonia. Bened. XIV. inſtit. 103. n. 58.

V. Jam vero de ſepulturae loco ſermonem iterum inſtituentes, declaramus, quod licet jure communi unuſquiſque in parochiali eccleſia, intra cujus limites domicilium habebat, debeat ſepeliri; jure tamen ſpeciali, aut privilegio plures ſunt, qui alibi tumulari poſſunt & debent. Et primo quidem, cum *nulli* (qui & debitae aetatis ſit, & a jure non impeditus) *negetur propriam eligere ſepulturam* (a), etiam extra patriam ſuam (b), in ea quam elegerit, (electione ante obitum tacite aut expreſſe non revocata) inhumari debet, non autem in parochiali, aut gentilitio ſepulchro (c). Impuberes, proinde, non ſecus ac religioſi poſt ſolemnem profeſſionem (d), cum velle & nolle liberum non habeant, nec teſtandi facultate ſint donati, minime poſſunt valide ſibi ſepulturam eligere = *An autem pro infantibus, & impuberibus liceat parentibus in plurali eligere ſepulturam* = ? Quaeſitum fuit a ſacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium negotiis praepoſita, & reſponſum fuit = *affirmative* = (e): & quidem = *ſi conſuetudo id habeat . . . . . Hoc tamen non poſſunt, ubi conſuetudo hujuſmodi non habetur* = (f). Cum autem ejuſmodi conſuetudo in noſtra hac dioeceſi non ſit; imo contraria vigeat, nullam in parentibus facultatem agnoſcimus, & non agnoſci decernimus, ad electionem ſepulturae pro eorum natis, ſive infantibus, ſive impuberibus. Licet enim ſit, qui parum ſibi conſtans (g) affirmaverit, quod = *hodie generaliter, & nulla attenta conſuetudine permittitur parentibus eligere ſepulturam filio impuberi in quacumque eccleſia* =; conſtat tamen, praeter veruſtiores ſac. Congr. reſolutiones, a Matthaeuccio (h) relatas, noviſſime a ſac. Congreg. Concilii decretum fuiſſe, quod pater, *ſi legitima conſuetudo loci id non habeat*, eligere filio impuberi ſepulturam non poteſt (i). Quocirca reſolutiones earumdem ſacrarum Congregationum ſuper facultate ejuſmodi parentibus

(a) C. *Nos inſtituta* 1., & C. *Fraternitat.* 3. de ſepult.

(b) Gloſſa in C. cit. *Nos inſtituta*. verbo *Alienam*.

(c) L. fin. ff. de haered. inſtit. C. *Licet* de *Procuratorib.* in 6.

(d) C. *Religioſus* 5. *de ſepulturis*.

(e) S.C. Epiſc. 8. Jun. 1731.

(f) C. *De uxore* 7. de ſepultur., & C. *Licet* 4. eod. tit. in 6.

(g) Card. Petra tomo 2. ad conſtitut. Honorii III. n. 9.

(h) Matthaeucci in Offic. cur. ca. 48. quarum poſterior lata fuit an. 1649.

(i) S. Cong. Conc. in Alexan. *Funerum* 13. Jul. 1704. in reſp. ad 5., & 6. dubium.

bus conceſſa (a), implicitam ſecum ducere eamdem conditionem de conſuetudine a ſacris canonibus praeſcriptam, cenſendum eſt; & quidem de conſuetudine, haud particularis eccleſiae, ſed omnium eccleſiarum dioeceſis, aut civitatis, ac legitime praeſcripta (b).

VI. Sepulturae autem electio non praeſumenda, ſed probanda eſt (c): nec ſola praeſumptio praevaleat unquam contra jus clarum, indubiumque parochialis eccleſiae: ob eamdem cauſam = *debet probari per teſtes, qui debent deponere de ſpeciali ſepulturae electione, & non de propoſito eligendi* = (d); qui tamen, non feminae ſint (e), nec de familia ſepulchrum eligentis, ejuſve affines, aut conſanguinei ad quartum uſque gradum, neque electae eccleſiae adſcripti (f); ſufficit tamen ut de ejuſmodi electione conſter per teſtamentum, & codicillum (licet alias invalidum) vel per ſcripturam, indubie propria eligentis manu ſcriptam (g), vel ex depoſitione jurata confeſſarii, aut alterius teſtis, omni exceptione majoris informa probante (h): vel per nutus & ſigna, clare eligentis voluntatem oſtendentia (i). Ad validitatem vero electionis ſepulturae coram parocho factae, exigit ſac. Concilii Congregatio, quod = *Parochus* (de illa teſtimonium ferens) *non teſtetur ad proprium commodum* = (k). Idque ob rationis paritatem de teſtimonio confeſſarii intelligi volumus.

VII. Tu-

(a) Apud Barboſ. in ſumma Apoſtol. deciſ. verbo *Sepultura* n. 14. Samuel. de ſepult. tract. 1. diſp. 6. controv. 1. concluſ. 4. Murgam diſquiſ. mor. tom. 1. tract. 7. ſect. 2. diſp. 9. Nicolium lucubr. utriuſque jur. t. 1. lib. 4. tit. 15. Gaud. a Janua de viſit. Pra l. Regul. dub. 20. ſect. 3. cap. 7. n. 26.

(b) Sperell. deciſ. 89. Paſſerin. de ſtatu homin. tit. 2. q. 187. art. 4. electio autem omnino vivente filio, ſecus poſt ejus mortem fieri debet. Sac. Cong. Epiſc. in Fulginat. 17. Octob. 1587., & S. C. C. in una Montis Peluſii 6. Jun. 1659.

(c) Genuenſ. in praxi cap. 76. n. 8.

(d) Panimoli. deciſ. 5. adnot. 3. Gavant. in Manuali Epiſcop. verbo *Sepultura*. Ventrill. in praxi tom. 1. adnot. 5. Genuenſ. loc. cit. c. 61., & Syn. Sacchetti pag. 95., atque in Syn. Sermatth. pag. 94.

(e) Fagnan. in C. *Cum eſſet* de Teſtament. n. 42., & ſeqq. Bened. XIV. inſtit. 105. n. 10.

(f) Vide Card. Petram tom. 2. ad conſtit. 2. Honorii III. n. 20., & ſeq., & Matthaeuccium in offic. cur. cap. 49., atque Gaud. de Janua loc. cit. cap. 7. dub. 20. a num. 23.

(g) Riccius in praxi par. 1. reſol. 575. Maſcard. de probation. tom. 3. concl. 1297. Moſeſius in ſumma tom. 2. tract. 13. cap. 8., & ſac. Cong. Conc. pluries, apud Ferrar. in Biblioth. V. Sepultura, n. 110.

(h) Amoſtaz de cauſ. piis lib. 6. c. 8. Sperell. dec. 88. Gaud. de Janua loc. cit. n. 23.

(i) S. C. C. 13. Febr. 1666. ad 6., & 18. Mar., ac 17. Jul. 1744.

(k) Eadem ſac. Congeg. ad primum dubium.

perpetuum) adoleſcentulos quoque, qui ſtudii cauſa (a) extra domum propriam habitant, ſicut & famulos, qui apud dominum degunt, ſed in alia (b) parochia domum pro uxore, ac familia propria conductam habent, ac dentum educandas, quae (c) in civitate domicilium paternum vel fraternum habent, hos omnes, non ad parochiam, ſub qua forte obierint, ſed ad parochiam, ubi proprium, vel paternum, fraternumve habent domicilium, pertinere decernimus.

IX. Tertiarii viri, & mulieres vulgo *Bizzocche* nuncupatae, ſi habitum regularem induerint, ſervatis omnibus requiſitis, quae ab Apoſtolicis praeſcribuntur Conſtitutionibus, decedentes, in propria parochiali eccleſia tumulentur; niſi apud regulares ſepulturam ſibi elegerint, aut in eorum eccleſiis pro iiſdem peculiarem extiterit ſepulchrum, ut jam ſupra ſtatutum, declaratumque fuit. Quando autem eorum cadavera in propria parochiali eccleſia tumulanda non erunt, tunc non in ipſa exequiarum functiones ſunt perſolvendae, ſed in eccleſia illa, in qua erunt ſepelienda, ac proinde a propriis domibus non in eccleſiam propriam parochialem ſunt deportandae, ſed ad illam, in qua tumulabuntur: hocque ſervandum eſſe ſancimus, quotieſcumque defunctorum corpora extra propriam parochialem eccleſiam fuerint tumulanda.

X. Confratres ſodalitatum laicorum, etiamſi ſepulchrum proprium confraternitas habeat, niſi in ipſo elegerint ſepulturam, in eccleſia parochiali tumulentur. Si vero collegialiter ſepulturae electio fuerit facta a confratribus, pro illis ſingulariter teneat; non autem ſucceſſores afficiat (d). Excipimus caſum, in quo pro tumulandis confratribus in ſepulchro proprii oratorii impetratum fuerit Apoſtolicum privilegium cum parochialium jurium derogatione.

XI. Qui habet domicilium in civitate, vel caſtro, & ad villam ruralem ſe transfert recreationis gratia, vel ut ruralia exerceat, & inibi non electa ſepultura, nec habens ſepulchrum majorum decedat, debet ſepeliri in propria civitatis, vel caſtri parochia, ſi abſque periculo ad illam poſſit deferri: ſic enim expreſſe diſponitur in cap.

(a) Ibidem.
(b) Idem ſtatut., & Lambertin. inſtitut. 33. n. 17.
(c) In Syn. Viterbienſi 1762.
(d) S. Cong. Conc. in Neapolitana 3. Febr. 1666. ad 7.

in cap. If. III. de ſepulturis in ſexto = *Is, qui habet domicilium in civitate, vel caſtro, quando ad villam ruralem ſe transfert recreationis cauſa, vel ut ruralia exerceat in eadem, ſi non electa ſepultura decedat ibidem, non in eccleſia dictae villae, ſed in ſua parochiali, vel in ea potius in qua majorum ipſius ab antiquo ſepultura exiſtit, ſepeliri debet; dummodo abſque periculo ad ipſam valeat deportari* =.

XII. Ille autem, qui habet domum hyemalem in civitate, & aeſtivam in rure, & ſic aequali tempore modo in una, modo in altera habitat, ſeu moratur, ſepeliendus eſt in parochia, in qua decedit: ſiquidem iſte aequiparandus ei eſt, qui in duobus locis aeque principale domicilium habet, & ſic efficitur utriuſque parochiae parochianus, adeoque ſepeliendus eſt in parochia, in qua decedit, cum ipſa ſit pro tunc vera ejus parochia (a).

XIII. Oblati, donati, nedum tertiarii, ſed etiam ſaeculares, qui regularibus deſerviunt, & intra eorum monaſteriorum ſepta, ac domos reſident, & ſub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti, ſed ratione ſervitutis, ſi inibi decedant, ſunt ibi irrequiſito parocho tumulandi; iſti enim eximuntur a ſubjectione Ordinariorum, & parochorum, & gaudent privilegiis religioſorum, quibus inſerviunt, quamvis ſalario ſint ſtipendiati (b); ſecus autem ſaeculares illi, qui tantum ipſis monaſteriis deſerviunt, ſed in eis non ſunt de familia, nec continui commenſales, & cum ſaecularibus exteris extra monaſteria habitant, & vivunt (c).

XIV. Puaellae in clauſtro monialium educationis cauſa morantes, ſi decedunt non ſibi electa ſepultura, ſepeliendae ſunt in parochia, ſub qua eſt monaſterium; dummodo majorum ſepulturam non habeant. Quod ſi elegerint ſepulturam in monaſterio, poſſunt ibi ſepeliri, data quarta funerali parocho (d). Hoc

(a) Cap. *Ex parte* 5. Cap. *In noſtra* 10. de Sepulturis. Cap. *Animarum* 1. eod. in 6.

(b) Card. Petra tom. 2. Comment. ad conſtit. 9. Innocent. III. ſect. unica, n. 42. Card. de Luca de Regul. diſc. 1. n. 50. Matthaeuc. Official. curiae, quoad ſepultur. cap. 68. n. 15. Pirhing. lib. 3. decret. tit. 28. n. 9. Paſſerin. de ſtat. homin. tomo 2. q. 187. art. 4. a n. 228. Reinſtuel. lib. 3. decretal. tit. 28. n. 21.

(c) Argumento ducto ex conſtit. *Superna*. Clementis X. ex Conc. Trident. cap. 11. ſeſſ. 25. de reform., & ex reſolut. ſac. Cong. Conc. 14. Aug. 1568.

(d) S. C. C. in Feretrana 11. Apr. 1742. ad 1., & 3., & in eadem repropoſita die 1. Sept. 1742. ad 1. Vide Pignatell. tom. 7. conſ. 67.

Hoc idem ſervata proportione ſentiendum erit de tumulatione mulierum ſaecularium in monaſteriis monialium legitima facultate commorantium, & inibi decedentium (a).

XV. Regulares profeſſos, ſi extra ſuum monaſterium, aut conventum decedant, & ad ipſum deferri commode poſſint, in eo ſepeliendos eſſe declaramus, quemadmodum ſtatuit Bonifacius VIII. per ea verba (b) = *Religioſi, niſi a propriis monaſteriis adeo forſitan ſint remoti, ut ad ea, cum moriuntur, commode portari non poſſint, nequeunt (cum velle, vel nolle non habeant) ſibi eligere ſepulturam; ſed ſunt apud ſua monaſteria tumulandi* =. Quamquam autem regularibus, qui in ſaecularium domibus ad mortem aegrotant, a parocho loci extrema miniſtranda ſunt ſacramenta, quemadmodum non ſemel ſacra Congregatio Concilii declaravit (c), huic tamen parocho quarta funeralis danda non eſt, quando ejuſmodi regularium cadavera (d) ad proprium monaſterium tumulanda deferuntur. Quod ſi in locis adeo remotis regulares intereant, ita ut ad propria monaſteria commode deferri nequeant, ſpatio videlicet unius diei, tunc eligere ſibi poſſunt ſepulturam; ut ex allatis Bonifacii VIII. verbis liquido conſtat; niſi vero eam elegerint, in eccleſia parochiali, intra cujus fines moriuntur, tumulandi ſunt, & quidem proprii monaſterii ſumptibus, ſi tamen ab eo bona in communi poſſideantur. *Quid* (inquit Gloſſa in cap. *Religioſi* de ſepulturis in ſexto) *ſi moriantur non electa ſepultura? Communis opinio doctorum eſt, quod ſepeliendus eſt in eccleſia parochiali, in cujus parochia mortuus eſt.*

XVI. Licet quiſque benevalens, qui de una ad aliam parochiam animo mutandi domicilium ſe transfert cum familia, & mobilibus, domicilium ipſum quoad omnia jura parochialia mutaſſe cenſeatur, infirmus vero diſcedens a parochia, nonniſi poſt aliquod tempus, novum domicilium parochiale acquirat in praejudicium prioris parochi (e); Nos tamen ad removendas lites, & contentiones, quae in jure ſepeliendi, & funerandi plerumque oriri ſolent, non-

(a) Vide Pignatell. loc. cit., & Matthaeuc. Offic.cur. cap.32.

(b) Cap. *Religioſi* 5. de Sepul. in 6.

(c) S.C.C. in Collen. 11.Apr.1609., & in Meſſanen. 20.Sept.1698.

(d) Sac.Cong. Epiſcop. in Puteolana 22.Maii 1615.apud Barboſam de officio, & poteſtate Parochi cap.6. n.68.

(e) Satut. Cler. Rom. cap. 3. §.12. cum ſeq. Rot. dec. n.3. pa r.xi. rec.

nulla hic conſtituimus, & ordinamus. 1. Ut ſacramenta infirmis a parocho miniſtrentur, in cujus parochia exiſtunt, etiamſi advenae, & forenſes ſint, qui nullum domicilium conſtitutum habeant; illi etiam, qui domicilium habentes, illud commutaverint ſe ſe ad alteram parochiam transferendo, ſacramenta recipiant a parocho, in cujus ſunt diſtrictu. 2. Jus ſepeliendi, & funerandi quoad advenas, & peregrinos ſpectet ad parochum cathedralis eccleſiae, & ibi tumulari debent, niſi alibi ſepulturam elegerint. Quoad vero incolas commutantes domicilium, ſive bene valentes, ſive infirmos, jus ſepeliendi & funerandi ſpectet ad parochum, in cujus parochia per quadraginta dies (ut dioeceſis noſtrae conſuetudini jam invectae morem geramus) defuncti habitaverint, ſine praejudicio ſepulturae propriae, vel electae: ſicque ſi ipſi viventes per quadraginta dies non permanſerint in novo domicilio, parocho prioris parochiae competit jus ſepeliendi & funerandi; ſoluta tamen in his caſibus quarta funerali illi parocho, qui in ultima infirmitate ſacramenta miniſtravit. 3. Habitantes, & aegrotantes extra maenia civitatis, in diſtrictu nullius parochiae, cenſeantur parochiani proximioris parochiae. 4. Gubernator civitatis, medici, chirurgi, ludi magiſtri, ſecretarius magiſtratus, notarius civilis, & criminalis, baroncellus, forenſes cum ipſorum familiis, & domeſticis a parocho, in cujus parochia aegrotant, ſacramenta recipiant; & etiamſi in altera eccleſia ſepulturam elegerint, ibique tumulandi fuerint, ſemper tamen parocho, a quo illis fuerunt ſacramenta miniſtrata, quarta funeralis perſolvenda erit. Ubi vero, ſi nulla electa ſepultura deceſſerint, illorum cadavera ſepelienda ſint, nolumus hic definire, eo quia res iſta in controverſiam deducta inveniatur, litem agitante rev. parocho S. Johannis de Duce contra capitulum cathedralis noſtrae, & pro utraque parte jura, & conſuetudines objiciantur. Cum autem quaeſtionis hujus deciſio vel a curia noſtra, vel a ſupremis Almae Urbis tribunalibus facienda innotuerit, tunc quidquid ſancitum fuerit exequutioni mandabitur.

XVII. Sed quoniam ne in morte quidem, quae rerum finis eſt omnium, lites, & contentiones finem habent, adhuc alia quam multa tum declarare, tum decernere debemus, ut plurimis, quae in dies erumpere ſolent, occurramus controverſiis. In primis expli-

explicemus oportet, nomine ſepulchri *Majorum* nequaquam indigitari ſepulchrum, ubi alicujus pater, vel avus caſu, & ut ajunt, ex accidenti humatus fuit, ſed ubi tumulati fuerunt tamquam familiari, gentilitio, & proprio. Hoc autem familiare, gentilitium *majorumque*, & familiae ſepulchrum illud reputandum eſt, quod a majoribus patre, ſcilicet, avo, proavo, aliiſque aſcendentibus in linea recta (a) pro ſucceſſoribus conſtitutum fuit: & quidem ab ejuſmodi aſcendentibus ex parte patris, non autem matris, vel aliorum conſanguineorum. Quia tamen aſcendentes, ſepulchrum deſcendentium, ſicut & tranſverſales tranſverſalium ſepulchrum non ſequuntur, ni haeredes ſint, & ſepulchrum, haereditarium, idcirco, pater, avus, proavus, aliive aſcendentes tumulandi ſunt, cum decedunt, non in filii, nepotis &c. ſepulchro (niſi hoc haereditarium ſit, illique haeredes, vel illud ſaltem elegerint) ſed in propria uniuſcujuſque ipſorum parochiali eccleſia (b).

XVIII. Poſt campanae parochialis eccleſiae ictus, mortem parochiani indicantes, idem ſignum edat eccleſia illa, in qua ejus cadaver tumulabitur. Volumus autem liberum eſſe unicuique parochorum in proceſſione funebri, qua ad tumulantem eccleſiam defertur ſui parochiani cadaver, procedere cum ſtola etiam per vias ad diſtrictum ſpectantes alterius parochiae, abſque eo quod alteri parocho obventio ulla ſit danda, vel ab eo ulla petenda venia ſit, aut licentia.

XIX. In obitu alicujus ſodalis cujuſquam laicorum confraternitatis decernimus, confratres ad ejus funus convenientes teneri ab eccleſia parochiali proceſſionaliter domum defuncti adire cum parocho, qui ſtolam deferat, & ad quem ſpectabit indicere vias, per quas cadaver eſt aſportandum: quod ſi defunctus in oratorio confraternitatis ſepeliendus ſit, officium ſuper cadaver fiat a parocho, & ab eodem cantetur Miſſa, ſi velit (c).

XX. Si ad eccleſias regulares cadavera deferantur, funus non extollatur, niſi prius vocato, & expectato parocho, dummodo aliter ipſe non permiſerit, vel indicta hora adeſſe recuſaverit: ſub uni-

(a) L. *Juriſconſultus* 10. ff. de gradibus. L. *Appellationes* 51. ff. de verbor. ſignif.

(b) Vide Lavorium, in variis lucubration. tit. 2. cap. 11. n. 121.

(c) Sac. Rit. Cong. apud Monacell. prim. edit. tom. 2. pag. 11. in reſponſ. ad 20. dub., & pag. 17. num. 70. cum ſeq.

ca cruce proceſſio funebris dirigatur, nempe illius eccleſiae, ad quam cadaver tumulandum defertur: nec alia Crux, ſive Crucifixus ſub aliquo praetextu, vel conſuetudine elevetur, ſive ſit propriae parochiae, ſive regularium, ſive confraternitatum; ſalvis concordiis, vel immemorabili, & centenario uſu (a). Ad parochum ſpectat officium ſupra corpus defuncti domi, & per vias cum ſtola: cappellani confraternitatum poſt ipſas immediate cum ſtola incedant, ſi talis ſit conſuetudo, non vero in fine proceſſionis cum parocho (b). Interveniente tamen capitulo cathedralis, vel collegiatae eccleſiae ſub ejus unica cruce dirigatur proceſſio, niſi obſtet contraria immemorabilis conſuetudo (c).

XXI. In limine eccleſiae regularium parochus ſaecularis ultimum vale defuncto precibus annunciare debet, niſi contraria vigeat conſuetudo, vel conventio. Ita in aliis eccleſiis, quae proprium rectorem habeant, in limine parochus ſtolam deponat, illamque aſſumat presbyter eccleſiae, & officium funebre in ipſa proſequatur: quamvis vero capitulum cathedralis eccleſiae gaudeat praerogariva ingreſſus cum cruce, & ſtola in eccleſiam regularium, ad ipſos tamen ſpectant officium mortuorum, & alia circa cadaver peragenda (d). Nihil autem obſtat, ſi regulares velint expectare cadaver in limine propriae eccleſiae ſepultuariae (e).

XXII. Si quid in poſterum evenerit, quod in dictis noſtris legibus dirimi non poſſit, id quoad ejus fieri poterit cohaerenter ad ſtatura Cleri Romani per curiam noſtram decidatur; quae ſtatuta in iis, quae noſtris ſanctionibus non adverſantur, vim legis habere debere jubemus.

XXIII. Sicut turpis avaritiae, aut ſordidae cupiditatis ſuſpicio in funeribus procul abeſſe debet ab eccleſiaſticis, ita ex ipſa improba cauſa ab haeredibus ultima officia, & honores defunctis fraudari non debent. Si qui autem in his defecerint, perpetua hac noſtra conſtitutione edicimus, ut haeredes de funere non facto, juxta conditio-

(a) Statuta Cler. Rom. cap. 5. §. 7., & cap. 7. in addit. ubi & decreta.
(b) Statuta Cler. Rom. in addit. cap. 7. ubi & decreta.
(c) Sac. Cong. Rituum in Aretina 22. 1697., & in Piſauren. 22. Mar. 1632.
(d) S.C. Epiſc. in Andrien. 18. Febr. 1624. in Spolet. 10. Jun. 1609.
(e) Statuta Cler. Rom. cap. 7. in addit., ubi decreta.

ditionem, & qualitatem defuncti, taxam conſuetam ſolvere debeant Parochis tam in cera, quam in reliquis (a).

XXIV. Sciant praeterea univerſae dioeceſis noſtrae parochi, cadavera infantium projectorum gratis omnino ab ipſis ſepelienda eſſe, ex privilegio Archihoſpitali S. Spiritus de Urbe conceſſo a plurimis ſummis Pontificibus, & praeſertim a Clemente XIII., ut patet ex ejus edicto die XXI. Auguſti anni MDCCLX. emanato, ſub paragrapho penultimo.

XXV. Cadaver, antequam ad eccleſiam efferatur, decenter ad modeſtiae leges indutum ſit; vel ſi miſerae ſortis homo fuerit, linteo ſaltem obvolvatur: clericorum in ſacris corpora non aliud habere poſſunt indumentum (b), quam ſuo ordini reſpondens; unde neque regulari, neque cujuſcumque ſodalitii habitu indui permittat parochus. Sacerdotum autem manibus (c) vetamus aptari calicem, ſed omnibus presbyteralibus indumentis veſtito cadavere, manus vel in formam crucis ſupra pectus, vel hinc, & inde extenſae collocentur.

XXVI. Diu, numquam noctu (d) ad eccleſiam cadavera efferantur. Si quando autem haeredibus veſpertina hora arrideat, licentia noſtra, vel Vicarii noſtri accedat, depoſita tamen prius eleemoſyna ſcuti unius aurei, applicanda in ſolatium, & levamen pauperum in carceribus detentorum (e). Hoc idem inhibetur arbitrariis poenis in eruditiſſima Synodo Tuſculana par. III. cap. XIV. n. v., & in Synodo Lanucci tit. II. cap. IX.

XXVII. Nemo ſive parochus, ſive alius quivis etiam regularis (f), ſub poenis per ſacros canones ſtatutis, aliiſque arbitrio noſtro ſepelire audeat in loco ſacro eos, quibus eſt eccleſiaſtica ſepultura deneganda. Hujuſmodi ſunt infideles, haeretici, judaei, ſchiſmatici, eorumque fautores, publice excommunicati, & denunciati, notorii uſurarij, raptores, meretrices (qui nullo dato

(a) Rota in Romana Funeralium 15. Jun. 1699. coram Molines in appendice Stat. Cler. Rom. n. 8.

(b) Edictum Clem. XI. 9. Jan. 1705.

(c) Conc. Prov. Benevent. anni 1693. cap. 18. canon *Nemo per ignorantiam* de conſecr. diſtin. 1. apud Urſaya tom. 7. par. 2. diſt. 31. cap. 23. de ſuner.

(d) S. C. C. 15. Mar. 1704. edictum Clem. XI. 9. Dec. 1704.

(e) Abbati in Syn. pag. 74. Cardinalis Oddi in Syn. pag. 141.

(f) Clement. 1. de Sepult., & cap. *Quicumque* de Haered. in 6.

contritionis ſigno impoenitentes obtiſint) qui in ſingulari certamine occiſi ſunt , vel qui crudeli manu mortem ſibi intulerunt ob deſperationem , vel iracundiam (non tamen ſi ex inſania id accidat) niſi pariter ante mortem dederint poenitentiae ſigna , ac denique ii omnes , quos recitat Rituale Romanum titulo de *Exequiis* , attente , ubi caſus occurrerit , perlegendum . In iis tamen caſibus nihil , niſi Nobis conſultis , decernant parochi : horum cadavera ſordide contecta ita longe ab eccleſia terrae mandentur , ut inde clericorum divina canentium voces exaudiri non poſſint .

XXVIII. Cujuſvis cadaver , niſi poſtquam e vita deceſſerit , viginti ſaltem efluxerint horae (a) ne ſepulturae tradatur (quemadmodum praeſcribitur in Rituali Romano) modo pro caſuum contingentia aliter quandoque fieri Nobis expediens viſum fuerit . Eorum vero corpora , qui repentinam oppetiere mortem , ut de obitu nulla prudens relinquatur dubitatio , ne ſepeliantur , niſi elapſis a morte viginti quatuor horis (b) , aut , ſi peritis ita videbitur , longiori etiam temporis intervallo : & hoc praeſertim ſervari mandamus in morte mulierum in partu decedentium .

XXIX. Nemo ſine noſtra in ſcriptis permiſſione cujuſcumque defuncti corpus qualibet de cauſa , vel praetextu ſecare , aperire , aut ſemel ſepulturae traditum exhumare , vel de uno in alium locum transferre praeſumat (c) , ſub graviſſimis poenis etiam excommunicationis , ſi opus fuerit , arbitrio noſtro infligendis .

XXX. Nova ne extruantur ſepulchra , noſtra non impetrata in ſcriptis licentia , ſub poena interdicti (d) , neque eccleſiae pavimentum ad cujuſque cadaver etiam depoſiti loco tumulandum effodiatur (e) , minuſque ſepulchra ſupra eccleſiae pavimentum (f) , aut ſub altaribus , in quibus ſacroſanctum Miſſae ſacrificium celebratur , vel prope illa aedificentur (g) . Si quae ita extructa alicubi reperiantur , ſublatis prius inde oſſibus , & cineribus , ac in caemeterium illatis , ſtatim

(a) Ritual. Roman. tit. de exequiis , §. *Nullum corpus* .

(b) In Synod. Farſen. anni 1683. cap. 23. num. 3.

(c) Conc. Mediol. IV. par. 2. tit. de Funer & exeq. §. *Ne cuiquam* Stat. Cler. Rom. in addit. pag. 44. §. *Cadavera* .

(d) S. C. C. in Salmonen. 10. Maii 1727.

(e) Syn. Fulginaten. anni 1722. c. 23. num. 1.

(f) S. Pius V. conſt. *Cum primum* 5. §. 5.

(g) Can. *Praecipiendum* 15. cauſ. 13. qu. 2.

ſtatim claudi volumus, & mandamus. Os autem cujuslibet ſepulchri tribus ſaltem cubitis ab Altaris ſuppedaneo diſtet, ita ut Sacerdos celebrans ſuper illud pedibus non conſiſtat (a). Cujuſcumque ſepulchri os, ne malus cadaveris putreſcentis odor afflare aerem poſſit exteriorem, duplici, ſi fieri poſſit, aut ſaltem uno lapideo, integroque integumento obſtruatur, quod ita aequabile ſit, ac expolitum, ut eccleſiae ſolo penitus exaequetur & cum ſepulchri ore tam apte cohaereat, ut nulla prorſus pateat rima, per quam malus odor in eccleſiam erumpat (b). In his vero operculis crux, vel ſacra immago non ſculpatur, neque lapidi ſepulchrali emblemata, vel inſcriptiones a Nobis non approbatae (c).

XXXI. Stricte autem vetamus, ne ſepulchra in choro, vel in presbyterio, praeterquam pro ſacerdotibus humandis, conſtruantur (d). In qualibet vero paraecia volumus, ut tria ad minimum extent diſtincta ſepulchra; unum pro eccleſiaſticis in decentiore eccleſiae loco, aliud pro parvulis baptizatis decedentibus ante ſeptennium (e), tertium pro laicis perſonis in adulta aetate e vita migrantibus. Quodlibet autem ſepulchrum noviter extructum, ex Ritualis Romani praeſcripto, parochi benedictione donetur. Duplex ſepulchrum laicorum, unum pro viris, alterum pro mulieribus nedum permittimus, ſed & magnopere laudamus (f).

XXXII. Cadavera infantium ſine baptiſmo decedentium, licet non in loco ſacro, prope tamen eccleſiam ſepeliri poterunt (g). Foetus vero in ventre matris exiſtens una cum illa loco etiam ſacro erit humandus, tamquam, viſcerum ejus pars: infantium corpora dubio baptiſmi intercedente in eccleſia tumulentur (h).

XXXIII. Coemeteria quoque, quae agri ſunt Dei, in quibus grana *ad vitam perpetuam ſeminantur* (i), loca item ſacerdotali benedictione Deo ſacrata, & religioni initiata ab omnibus honore de-

(a) Sac. C. Conc. Epiſc. in Niſiorem 24. Jan. 1705.
(b) Conc. Mediol. 1. par. 2. tit. de Sepulturis.
(c) Lanuc. in ſyn. tit. 3. cap. 9.
(d) Conc. Mediolan. IV. loc. cit. §. in Choro.
(e) Ritual. Roman. loc. cit. & tit. de exequiis parvulorum §. in primis.
(f) Synod. Lanucci loc. cit.
(g) Ritual. Roman. tit. de exeq. §. Infantibus Syn. Farſen. cit. Syn. Fulginat. cit. cap. 23. num. 6.
(h) Gloſſ. in cap. *Eccleſ.* de conſecrat. diſt. 1.
(i) Onuphrius Panvin. de coemet. cap. 11.

debito colantur, decenter cuſtodiantur, muro undique ſepiantur, ne ad ea belluarum umquam pateat acceſſus, a vepribus, arboribus, immunditiis ſollicite expurgentur (a). Crucis ſignum cum mortis ſymbolo apponatur ſupra illorum ianuam. Haec, clauſa jugiter maneat, ejuſque clavis ſemper ſit penes parochum: qui & curabit attente, ut ſepulchra opportuno evacuentur tempore, & expurgentur, nihilque in his, & in coemeteriis a quocumque effici ſinant, quod religioni, & loci ſanctitati adverſum videatur.

XXXIV. In ſanctimonialium eccleſiis, defuncti corpus ſepeliri nequit abſque licentia ſacrae Congregationis Epiſcoporum & abſque aſſenſu monialium (b).

XXXV. Nullius cadaver abſque noſtra licentia extra feretrum in terra, vel ſupra culcitram exponatur. Id ipſum mandante Clemente XI. praeſcriptum fuit, per edictum Eminentiſs. Card. urbis Vicarii (c), de quo mentio ſit in Statutis Cleri Romani; & multo ante, a Rituali Romano (d).

XXXVI. Cadavera eorum, qui violenta morte perierunt, non deferantur ad eccleſiam, priuſquam innotuerit parocho per miniſtros noſtrae, vel laicalis curiae inſpecta corpora fuiſſe, & illatae mortis ſigna recognita. Si vero miniſtri juſtitiae plus aequo cunctarentur, efferatur cadaver ad eccleſiam, ubi nullimode recognoſci permittatur, ſepelieturque modo conſueto; ſub poena autem excommunicationis ipſo facto incurrenda, prohibemus, ejuſmodi exhumari cadavera, ut recognoſci queant: accedente vero legitima facultate ſacrae Congregationis Immunitatis, inſpectio cadaveris extra eccleſiam fiat (e).

XXXVII. Ante ſepulturam, invitis haeredibus nihil cadaveri detrahatur ex ſudariolis, velis, aliiſque ornamentis. Super iis enim neque parocho, neque confratribus, neque eccleſiae tumulanti jus aliquod competit. Qui ſecus fecerit, poenis contra ſpoliantes funus ſtatutis teneatur; videlicet reſtitutione oblatorum, & amiſſionis quartae, ſeu obventionis ſibi contingentis (f).

XXXVIII. Lai-

(a) Conc. Mediol. IV. dart. 1. tit. de coemet. §. 1., & 2.

(b) S. Cong. Epiſc. pluries ap. Petram ad conſtit. apoſt. tom. 2. pag. 199. n. 29.

(c) Die 9. Decemb. 1704.

(d) Rit. Roman. tit. de exſequiis, verſic. *Depoſito feretro*.

(e) S. Congr. Immunit. in Macerateu. 8. Aug. 1645., & in Anagnina 21. Januar. 1659.

(f) S. Cong. Conc. in Tiburtina 13. Aug. 1718.

XXXVIII. Laicorum cadavera ponenda ſunt pedibus verſus altare majus; in oratoriis autem vel cappellis, verſis pedibus ad illarum altaria: quodque ſervetur dum locantur in ſepulchro; presbyteri vero cadavera caput habeant verſus altare (a).

XXXIX. In eccleſia cuſtodiendum eſt cadaver, & quidem ſemper cum luminibus donec tempus adveniat ſepulturae. Caveant vero cuſtodes a commeſſationibus, & potationibus, aliiſque actibus, a quibus ſanctitas eccleſiae, & pii officii modeſtia abhorret, ſub ſevera diſciplinae noſtrae interminatione.

XL. Sacras caeremonias, ac ritus, quibus ſancta mater eccleſia catholica in filiorum ſuorum exſequiis uti ſolet, tamquam vera religionis myſteria, chriſtianaeque pietatis ſigna, & fidelium mortuorum ſaluberrima ſuffragia, Parochi ſummo ſtudio obſervent, atque uſu retineant. Cereis accenſis, piis precibus & pſalmis alternatim recitatis funera comitentur. Circa feretrum, ubi in eccleſia expoſitum eſt cadaver, eccleſiaſtici tum ſaeculares, tum regulares, ſi ad exſequias convocati fuerint, conſuetas preces canere, vel recitare debent. Laicis autem viris confraternitatum ſodalibus non permittimus in eodem circulo cum clericis orare tunc, & pſallere. Recitatio trium nocturnorum, & laudum officii defunctorum abſolvatur in exſequiis tantum clericorum, & ſanctimonialium; pro laicis vero utriuſque ſexus & cujuſcumque conditionis, perſoluto unico nocturno recitentur laudes: vel cantato reſponſorio *Libera me Domine*, & oratione *Non intres in judicium*, adjungatur canticum *Benedictus Dominus* cum antiphona, & orationibus ſolitis. Hujuſmodi diſtinctionem inter clericos, & laicos quoad prolixiorem aut breviorem pſalmodiam in eorum exſequiis exſolvendam nemo abſque noſtra, vel noſtri Vicarii licentia audeat immutare.

XLI. In diſtributione candelarum (quibus accenſis exſequiae perſolvi debent, vel quarum elargitione conſueta funerum obventio tribuitur) volumus, quod ſuperiores cujuſcumque eccleſiae etiam regularium prae aliis candelas habeant pondere majores. Intorticia autem quae prope feretrum ardent, ut moris jam eſt, diſtribuantur.

XLII. Laudabilem quoque, & religioſum uſum, quo noſtrae dioe-

(a) Rit. Rom. tit. de exſeq.

dioeceſis ſacerdotes mutuam ſibi decedentium ſuffragiorum retribuunt vicem, retineri ſervarique quam maxime cupientes, hac noſtra ſynodali ſanctione mandamus, ut quoties alicujus ſacerdotis mors acciderit, Vicarius foraneus, ſeu Parochus loci Nos, vel Vicarium noſtrum generalem de ejus obitu certiores confeſtim reddat, ut litteris per Nos, vel Vicarium noſtrum generalem datis ad univerſos noſtrae dioeceſis Vicarios foraneos, de confratris obitu omnes ſacerdotes illico commoneantur, eorumque ſinguli infra octo dies ab accepta mortis notitia Sacroſanctum Miſſae ſacrificium in expiationem animae defuncti Deo miſericordiarum Patri lubenter ac prompte, de more offerant; atque ita, ſicut vivens mutua amoris, & dilectionis officia invicem impenſe exhibuerant, ita eorum cuique decedenti, reliqui ſuperſtites mutuam pariter reddant ſpiritualis auxilii opitulationem.

XLIII. Ad praeſcriptum Romani Concilii ſub Benedicto XIII. (a) decernimus, quod ſub unius julii in abſentes punctatura, in eccleſiis tam cathedrali, quam collegiatis, aliiſque conventualibus, ſcu receptitiis noſtrae dioeceſis praeter conſtitutum (b) ſolemne anniverſarium perpetuum pro Epiſcopi anima ultimo defuncti, recurrente die obitus ejus, (vel pridie, ſi is impeditus fuerit) alterum etiam in perpetuum anniverſarium peragatur infra octavam omnium defunctorum pro omnibus dioeceſis Epiſcopis, qui ex hoc ſaeculo tranſierunt. Veteri item, quamplurimis dioeceſanis ſynodis probatiſſimae conſuetudini (c) inhaerentes, ſub eadem punctaturae poena decernimus, quod aliud infra octavam eamdem in eiſdem eccleſiis anniverſarium fiat pro defunctis capitularibus presbyteris fratribus. Eadem etiam die Parochi pro praedeceſſoribus defunctis privatam ſaltem Miſſam celebrent, aliamque die obitus anniverſaria ultimo praedefuncti anteceſſoris. In Miſſis praeterea ſolemnibus (d) defunctorum, ſicut & per Adventum, & Quadrageſimam (feſtis diebus exceptis, Dominiciſque vocatis = *Gaudete*, & *Laetare* =) organa pulſari diſtricte interdicimus.

XLIV. De-

(a) Conc. Rom. an. 1725. tit. 15. cap. 5.

(b) Caerem. Epiſcop. lib. 2. cap. 36. & 37.

(c) In Syn. Sermatth. Oddi, Montilii, Muti, & aliis multis.

(d) Conc. Rom. loc. cit. cap. 8.

XLIV. Denique eccleſiarum cathedralis, & collegiatarum canonicos hortamur, ut ſolemni miſſae pro uniuſcujuſque concanonici defuncti anima celebrandae intereſſe non omittant, etiamſi extra reſidentiam obierit. Vehementer inſuper laicis & clericis miſericordiam commendamus erga ſanctas defunctorum animas flammis piacularibus addictas; ut majori, quo poterunt, ſacrificiorum numero, eleemoſynis, orationibus, pie, ac ſollicite eas relevare quaeant. *Sancta enim, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur* (a). *Nota*, inquit Lucas Tudenſis, *quod non ſolum dicit* ſancta, *ſed* ſalubris... *quia per Dei gratiam ſalus oritur viventibus, & defunctis*. = (b) = *Non enim fruſtra haec ab Apoſtolis ſunt legibus conſtituta* (ait Chryſoſtomus) *ut in venerandis... myſteriorum memoria eorum fiat, qui deceſſerunt... Vult ergo Deus, nos ut nobis mutuum auxilium afferamus*: = (c) *gratumque habet*. (addit Damaſcenus) *ut nos omnes tum in vita, tum poſt confectum vitae curriculum alii ab aliis juvemur. Neque alioquin anſam hanc nobis porrexiſſet, ut eorum, qui e vita migraſſent incruento ſacrificio meminiſſemus*: = (d) neque toties in ſacris ſcripturis (e) ſuperſtites hortaretur, & juberet auxilium atque opem ſanctis illis animabus praeſtare, niſi & noſtrae quoque utilitati proſpicere vellet. *Si autem* (verba Chryſoſtomi ſunt) *Jobi filios expiabat patris ſacrificium, quid dubitas, an nobis pro eis, qui exceſſerunt offerentibus exiſtat aliqua conſolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari*: = (f) atque ita evenire, ex revelatione facta virginae Gertrudi, ſeu *Truthae* nomine teſtatur Richelius: (g) = *Valde gratum eſt Deo*, inquit, *ut animas electorum ſuorum, orationibus, miſſis, jejuniis, eleemoſynis, & aliis piis exercitiis a poenis liberemus: hoc adeo acceptum eſt illi, quaſi ipſum Dominum ex captivitate redemiſſemus & hoc integre reſtituit nobis tempore opportuno, quando in*

(a) Macchab. 2. cap. 12. veeſ. 46. vide Toſi in Syn. par. 4. cap. 10. Lanucci in Syn. tit. 3. cap. 9. Oddi in Syn. tit. 3. cap. 6.

(b) Luc. Tudens lib. 1. contra Albigen. cap. 17.

(c) S. Johan. Chryſoſt. homil. 3. in epiſt. ad Philipp.

(d) S. Iohan. Damaſcen. vel quisquis auctor, orat. pro defunctis.

(e) Eccl. cap. 7. = 11. = & 38. Tobiae cap. 4. & ad Roman. cap. 12. Vide Theoph. Raynad. Heteroclit. Spirit. ſection. 1. part. 2.

(f) S. Johan. Chryſoſt. homil. 41. in primam ad Cor.

(g) Richel. in append. ad colloq. de judicio.

in ſinum noſtrum oratio noſtra revertitur . = Addens, Chriſtum laudatae virgini dixiſſe . = *Quicumque pro defunctis oraverit , ſit particeps omnium bonorum, quae fiunt per eccleſiam pro illo defuncto* . = (a) Singulis itaque ſpiritualis noſtrae ditionis, S. Bernardi (b) uſurpantes verba maximum ejuſmodi miſericordiae opus commendamus: = *Percurre ergo quaecumque es fidelis anima, regionem expiationis, & vide quid in ea fiat, & in nundinis iſtis fac ſarcinam tuam affectum compatiendi.*

(a) Vide Gerſonem lucubratione inſcripta = *Querela defunctorum . . . . ad ſuperſtites in terra amicos* .

(b) S. Bernard. ſer. de quinque negotiationib.

FINIS PRIMAE SESSIONIS.